



Anzà 2836.



HENRICI CANNEGIETERI
DE MUTATA
ROMANORUM NOMINUM
SUB PRINCIPIBUS RATIONE,
LIBER SINGULARIS.

ITEM

POSTUMUS BATAVIAE ADSERTOR,
HERCULES MAGUSANUS, ET DEUSONIENSIS AGGERUM BATAVIAE AUCTOR, EX NUMMIS ATQUE EX INSCRIPTIONIBUS DEMONSTRATUS.

NEC NON

TREBELLII POLLIONIS
NEGLIGENTIA CASTIGATA.

ET

MONUMENTUM DODENWERDENSE
EXPOSITUM.



LUGDUNI BATAVORUM,

Apud { SAM. ET JOH. LUCHTMANS,
TRAJECTI ad RHENUM,
ABRAHAMUM VAN PADDENBURG,
ET
J. VAN SCHOONHOVEN, & Socios.

MDCCLXXIIII.

CAROLUS SIGONIUS, *de Nominibus Romanorum, Libro I. Cap.* I. Cum multae res in tota Antiquitate Romana parum adhuc tractatae & cognitae: Tum illa difficilis atque obſcura quaeſtio eſt, quae eſt de ratione Nominum Romanorum.



VIRO ILLUSTRI

JANO DE BACK

REGIAE PRINCIPI FOEDERATARUM CIVITATIUM GUBERNATRICI A SANCTIORIBUS CONSILIIS, ATQUE A SECRETIS, ET LIBELLORUM SUPPLICUM MAGISTRO.

S. D.

HENRICUS CANNEGIETER.

Plures ſunt cauſſae, cur voluminibus his Nomen Tuum praeſcripſerim. Prima eſt, ut teſtificarer propenſam voluntatem, qua me meosque proſequeris, animumque meum memorem, & Tibi de-

votum, exponerem. Altera, quod ea rerum, disciplinarumque ſcientia es praeditus, ut optime de inſtituto meo judicare poſſis. Cognovi eum animi Tui cultum, quoties ad ſermones Tuos me admiſiſti, ad quos aditus voluiſti mihi eſſe faciles. Animadverti enim ſingularem antiquitatis cujusque prudentiam, non ex commentariis recentioribus acceptam, ſed ex fontibus hauſtam. Admiratus ſum praeterea judicii, in diſtinguendis Scriptoribus, elegantiam, &, quod nequaquam poſtremo loco ducendum, egregium, in ſaeculi noſtri ingeniis fovendis, ornandisque, ſtudium. Sunt, fateor, majora ad praeconium, quibus Rem Publicam demereris, Conſiliorum Gravitas, Fides, Conſtantia, & in curis, Patriae, Principique, diſpenſandis Sapientia. Verum illa ſunt ejusmodi, ut amplio-

rem

rem orationi campum, aut conspectius Theatrum desiderent. Hoc in praecipuis mihi votis semper erit, VIR ILLUSTRIS, ut vitae Tuae & rerum cursus, qui Virtuti Tuae debetur, felicissimus porro sit, & perpetuus. Ita namque fiet, ut nec Maecenas Hominibus eruditis, nec Stator Musis infugam pronis sit defuturus. Vale. Scripsi Arnhemiae Kalend. Januar. Anni cIↄ Iↄ CCLVIII. *quem Deus Tibi Tuisque faustum felicissimumque esse velit.*

PRAEFATIO.

eci, quod peregrinantes in locis difficilibus ſolent, ut viam aperiant, qua, quantum fieri poteſt, commode & ſecuri ambulent. Nam ut explicarem Nominum Romanorum rationem, non per diſputationes Doctorum Virorum eundum eſſe cenſui, quae variae ſunt, & contentionibus impeditae. Sed iter ingreſſus ſum, quo priſcorum Monumenta, & praecipue Lapides vetuſti, ducebant; quibus in antiquitate inveſtiganda nihil eſt certius. Notae ſunt Franciſci Robortelli & Caroli Sigonii de Nominibus, & praecipue Foeminarum, pugnae, & ſciſſa in partes Doctorum Virorum turba, Paullus Manutius, Onuphrius Panvinius, Antonius Auguſtinus, Joſephus Caſtalio, quibus dein acceſſit Petrus Servius. Illorum opera nonnulla Gruterus Lampadis ſive Facis Liberalium Artium Tom. 2. inſeruit. Nonnulla etiam Graevius in Theſauri Antiquit. Roman. Tom. 2. recenſuit. Caeteris vero felicior fuit Servius, quod ea aetate vixit, qua Gruterus, edito Theſauro, Inſcriptionum divitias recluſerat. Et tamen Servio nos feliciores ſumus, quibus plures iſtiusmodi Theſauri patent, quos ſaeculum hoc noſtrum in lucem protulit. Theſauros deſigno non tantum Inſcriptionum, ſed & Nummorum, quibus nummis praecipuus uſus mihi fuit in contexendis Poſtumi, caeterorumque Tyrannorum Galliae, Hiſtoriis. Inſcriptionum Editores paſſim nominavi. Nummos mutuatus ſum maximam partem ab Adolpho Occone & Franciſco Mediobarbo. In opuſculo de Nominibus parcius indulſi Cri-

ti-

ticae; ne salebrosa via tardius & difficilius evaderem. Quae & caussa est, cur abstinuerim a Varronis de Nominibus praeceptis, quae non, nisi prolixa & accurata dissertatione, enodari queunt, pertinentque magis ad antiquiorem appellandi consuetudinem, quam ad sui remotiorisque temporis morem. Unum vide: negat ille lib. 1. pag. 111. de Lingua Latina, Marcam, & Numeriam dici, at vero Petrus Servius in Miscellaneorum illa parte, quam Graevius in praefationem Thesauri Antiq. Tom. 2. transtulit, recenset duas Marcas, duas item Numerias: M. Aeliam, & M. Ulpiam: N. Juliam, & N. Juniam. Idem dein hoc epigramma ponit.

DIS MANIBVS
SEX. OCTAVIVS IANVARIVS
VIVVS FECIT SIBI ET
M. DOMITIAE QVARTAE
CONIVGI K. B. M
IN. F. P. XVI. IN. A. P. XXVII

Subditque mox *N. Faustam* (malit quispiam *Faustiam*) *Quintam*. Varro praeterea pag. 113. Praenominibus accenset, quae Cognomina esse constat. At vero expedies Varronem, si dicas, Praenominum vocabulo eum etiam Cognomina fuisse complexum; quod nonnunquam ea Praenominum more Gentilitiis Nominibus praemittebantur. Speravi insigne decus & ornamentum me additurum esse huic labori meo ex opere Celeberrimi olim viri Jacobi Perizonii, cujus ille spem quondam injecit, de Nominibus Romanis. Nemo enim nescit summam viri eruditionem & admiran-

dam

dam ingenii ſolertiam, quibus haud pauca eruit, quae aliis inacceſſa & inpervia videbantur. Quare dedi litteras ad Nobiliſſimum atque Ampliſſimum Virum Antonium Perizonium, civitatis Brielenſis Senatorem, rogavique, ut, ſi in ſcriptis Patrui illius ſui, quae ad Patrem ſuum hereditate redierant, iſtius generis opus, aut ſaltem conatus nonnulli ſupereſſent, qui quidem ad inſtitutum meum pertinerere viderentur, eos mecum benigne communicaret. Cujus inſtituti mei quo certior eſſet, perſcripſi ad illum rationem ejus omnem, & cujusque capitis ſummam. Reſpondit autem hnmaniſſime, eſſe ſchedas Patrui ſui prae manibus, in quibus nonnulla de Nominibus Romanis exarata erant, ſed ejusmodi ea eſſe, ut videantur nunquam ab Auctore in volumen coactae deſcriptaeve: nec quidquam in iis ſibi repertum, quod conſilio meo ſit accommodatum. Ad extremum Erratorum typographicorum invidiam deprecor, quae mea culpa admiſſa non ſunt.

AD CLARISSIMOS
LUDOVICUM
ET
ANDREAM GUILLARDUM,

SPECTATISSIMAE INDOLIS ADULESCENTES
PATRITIOS,

LUDOVICI THIBOUST,
PARRHISIENSIS EPISTOLA.



UI scriptorum monimenta accuratius introspicere & ea veluti in librili solerter collocata perpendere accuratius laborarunt: adulescentes clarissimi: eos esse commendabiliores praestantioresque non minus vere quam prudenter animadverterunt: qui fidelibus historiarum monimentis res a majoribus insigniter gestas: consiliaque admirabilia: ac rerum inopinatos eventus multiplici quadam exemplorum copia exscripsere. Historia siquidem (quam Cicero, eloquentiae parens primarius, temporis testem: lucem veritatis: vitam memoriae; nunciam vetustatis appellat) ea ministrat affatim: copiosius suggerit, uberrime suppeditat, quibus homines, insignes priscorum mores aemulabundi ad beatam vitam reddantur & paratiores, & instructiores, culpabilia obscoenaque factu vitabundi non reformident haec adeo, sed fugiant, insectentur, despuant. Neque enim posteritati quisquam exquisitius consulere possit, neque ea in publicum edere, unde sibi omnis ordo, sexus, aetas, vel majora litterarum adminicula, vel copiosiorem ad instruendos mores supellectilem spoponderit, quam historiam, id est magistram: & ducem bene, ac beate vivendi, de qua & rerum omnium peritia provenit: & ea documenta haurire queant homines, quibus vel publicis, vel privatis rationibus utilitas pariatur. Nulla siquidem, ulla ex parte, litteraria monimen-

men-

menta licet reperiri, quae historiarum adminiculo non indigeant, ac earum vestigia non exosculentur. Nec jam legum latores praeterimus: qui mendose suum munus adimpleant, qui nec officium bene instituendae civitatis exequentur, nisi rerum gestarum narrationem plane tenuerint: ex ea singulorum mores veluti in exemplari: & humanae vitae speculo inspecturi, quos in unum contractos circumspicienter eliciant, tum denique electos, qui ad communem omnium utilitatem proderint, in medium proferant, atque promulgent. Sed & Philosophia neque de moribus praecepta explicare, neque de rerum domesticarum usu, ac de peritia tota reipublicae administrandae, constituendaeque sine multijuga exemplorum narratione agere satis possit; quandoquidem conducibilius, efficaciusque docendi genus per exempla, quam per documenta esse, nemo homo non novit. Natura enim comparatum est, ut excellentium virorum exemplis advocentur homines ad studium gloriae; & allecti, non nisi quae praeclara sint & honesta, vel imitari studeant, vel assequi. Usu quoque venit ut humanarum rerum vicissitudinem contemplabundi: flantem, reflantemque toties fortunam alterna velorum explicatione moderantur, ipsiusque variantis fortunae incursus solerter circumspiciant. Homines praeterea ab improborum vita absterreri, solo etiam metu vel dedecoris, vel supplicii satis constat. Itaque apud Plutarchum legimus hanc fuisse Lacedaemoniis consuetudinem, per festos dies, bene potos servos, infames cupedivoras, vinolentia dementatos, adducere inter convivia, quo vinosorum exemplo docerent adulescentes, quantum in se mali spurcissima ebrietas contineret. Quamobrem nihil conducibilius, nihil praestabilius historia, reperiri posse contenderim, & nullam esse facultatem, nullam disciplinam, quae ei velut bene vivendi magistrae non cesserit. Inter eos vero qui praestantissimum hoc scribendi genus tradidere, Paulum Orosium floruisse, ac de rebus humanis egregie meritum esse plane concesserimus, qui etsi conflictationes generis humani: cupiditates: & varios calamitatum eventus se scripturum pollicetur: nihilo tamen secius perpetuae historiae seriem, ab orbe condito, ad memoriam suorum temporum summa cum fide est complexus, pestilentias, terraemotus, inauditas vastationes, casus inexpectatos, atque portentosa rerum miracula pro sui operis instituto conferens. Neque eloquentiae laudibus caruit, cujus perspicua brevitas, succulentiore rerum narratione concinnata, gravibus quidem sententiis cumulatissima, & inevitabili distincta varietate splendescit, efful-

effulgetque atque eo impellit lectorem, ut vix existimet tantum dicendi artificium contineri in hoc corpusculo. Alexander Aphrodiseus in suis problematis Phisicam affert rationem, Cur brevi statura homines proceris ut plurimum sunt prudentiores: Nimirum quia constipata atque compacta illis est anima in universo corpore. Proceris vero in longitudinem distenta resolvitur. *Quod hoc suo carmine complexus est Papinius:*

Major in exiguo regnabat corpore virtus.

Quapropter Homerus Ulixem brevem, ac prudentem, Ajacem vero procerum, ac stolidiorem describit. In quod equidem problema, veluti in diverticulum non invitus transilui, ratus eandem afferri solutionem de prudentia nostri Historiographi, qui in hoc suo brevi opere res tot retroactis saeculis gestas ampliter describit, brevitatem neque obscuram neque jejunam observans, sed quae quanto suppressior est, tanto est prudentior, & luculentior. Enimvero ego ipse multis rebus subinvitatus, adulescentes spectatissimi, vos moneo, & hortor, ut praestantissimum hoc opus vobis nominatim dedicatum, hilari vultu, & serena fronte suscipiatis: multum inde jucunditatis multum emolumenti, nec minus beatitudinis reportaturi. Opus est enim non minus frugiferum, quam voluptificum, cui equidem annotatiunculas chartatim in marginibus adscripsi, & earum composui litterarium indicem, ut illis argumenta occurrerent scitu patentiora, hoc vero fierent faciliora repertu; fuit hic labor sane non injucundus mihi, existimanti hoc pacto operae precium facturum me, idque promulgaturum, quo vestra eruditio nonnihil adjuvaretur ad praeclarum & virtutis, & litteraturae fastigium adipiscendum. Valete & hanc operulam mei in vos amoris ac observantiae testem perenni studio confoveatis.

ILLUSTRI GENEROSOQUE VIRO

DOMINO

GEORGIO A SEINA,

Ex inclyta & praeclara Comitum à Vittgenstein familia, Metropolitanae Ecclesiae Coloniensis Canonico Archigrammateo, divorum Patrocli apud Susatum haud ignobile Vestphaliae oppidum, Gereonis, ac Apostolorum apud Coloniam item, urbem Ubiorum famigeratissimam, Ecclesiarum Archidiacono, Praeposito, Domino & Patrono suo, quam plurimum observando,

Joannes Caesarius,

S. D.



Ivus Aurelius Augustinus, vir praeter animi lenitatem, quam jam inde à prima adolescentia prae se tulit semper, ac perpetuo servavit, tum & praeter vitae sanctimoniam, qua mox post ejus ad Christianismum conversionem, inclarescere coeperat apud Deum & homines, ac deinde insigniter claruit, dum vixit, magni sane judicii fuit, cum in prophanis & secularibus, tum in divinis praecipue & sacris literis, quas, posteaquam Christo in sacro fonte nomen dederat, diligentissime scrutatus est, volvit atque revolvit, & in his elucidandis exponendisque non segniter versatus innumeros prope libros à se scriptos posteris reliquit. Hic (inquam) cum inter alia studia quae tractabat, in manibus haberet componeretque grande illud opus, sive volumen, quod de Civitate Dei inscripsit, & in libros viginti duos digessit, quorum in prioribus quidem decem acutissime disputat contra infideles, quos vulgo paganos vocant, & Christiani nominis hostes, qui Romani imperii imminentem ruinam, ut quod per id temporis inclinare coeperat, Christianae pietati fideique & religioni imputabant. In quibus, proinde libris vir ille gravissimis certissimisque ex probatis Historiarum Scriptoribus desumptis testimoniis, illos confutat atque convincit, imo luculentissime ostendit demonstratque, non novum fore, aut etiam pro miraculo habendum, Romanum

im-

imperium defiturum aliquando, aut certe inclinaturum: cum clarissime constet, apud Historiarum Annaliumque, imo & Chronicorum scriptores, ab eisdemque memoriae proditum sit, regna & imperia subinde vel subversa funditus, vel translata fuisse: ut si quis exempla petat, Assyriorum, Medorum, Persarum, Macedonum sive Graecorum, etiam sub falsa illa religione, quae diu ante Christi Salvatoris nostri adventum universum pene orbem occuparat atque illuserat. Quae nimirum quid aliud (quaeso) fuit, quàm falsorum deorum, sive verius daemonum, cultus exitiosissimus? Caeterum ne impiis illis & blasphemis Christianae religionis osoribus & conviciatoribus superesset quicquam, quo suam illam vafritiam & versipellem malitiam ac maledicentiam adversus Christianos ipsos praetexerent, imo vel toti demum orbi patesceret, sanctissimi ejus viri tam pium institutum non esse frivolum, inhortatus est idem vir Paulum Orosium Presbyterum, virum, per ea tempora sibi apprime familiarem, & in lectione Historiarum exercitatissimum, ut ab orbe condito Historias contexere aggrederetur ad sua usque tempora, unde tandem maledici illi homines vel inviti intelligerent cognoscerentque non Christianam religionem in causa esse, quod jam tum Romanum imperium inclinare videretur, sed hominum potius gravia horrendaque scelera atque flagitia, idque haud dubie divina providentia sic disponente & moderante omnia pro suo nutu ad communem semper humani generis salutem, ejusque emendationem. Orosius igitur tanti viri hortatui seu potius praecepto (ut & ipse de se in operis sui praefatione ingenue testatur) non illubens paruit, tametsi id sibi difficile admodum fore sentiret, ac protinus aggressus Historias conscribere, per libros septem ab origine mundi exorsus, collectis undique (ut est verisimile) Annalibus, adjutusque proculdubio, quos ante se habuit, Historicis minime vulgaribus, eos ipsos libros septem in opus redegit, profecto ut non inelegans, ita nec caeteris Historiarum scriptoribus longe postponendum: quin eisdem in hoc fortassis praeferendum, quod ubique autor ipse in toto opere illo suo, cum rerum gestarum narratione, temporum annorumque collationem, supputationemque conjunxit; Quatenus non parvi refert, eum, qui res diversis gestas temporibus cognoscere studet, temporum quoque ipsorum, quibus res illae gestae sunt, certam simul rationem observationemque habere. Quod quidem opus quia jam aliquoties excusum extitit, sed mendis interim non paucis scatens, licet toties tentatum ab his emaculari repurgarique: nunc demum

mum cura & expensis magistri Gotfridi Hittorpii. civis Coloniensis non infimi ordinis, viri me bercule & industrii & honesti, sed recognitum prius non parva diligentia, partim nostra, partim aliorum quorundam, & ab restantibus mendis repurgatum, in lucem iterum prodit, multo sane aliter quam hactenus, simulque & typis admodum plausibilibus excusum. Caeterum hanc nostram in hoc navatam lucubrationem atque operam, cum jam circumspicerem mecumque cogitarem, cuinam ex principibus viris nuncuparem dedicaremque, ut cujus tutela niteretur, tua mihi cum primis gratia in mentem venit, inclyte ac generose Comes, nec id quidem sane ab re. Quippe cujus favorem & benevolentiam saepius in me expertus sum, non absque fructu & commodo aliquo meo. Itaque ut gratitudinem saltem aliquam erga te meam & animi erga te mei propensionem, nunc tandem vel utcumque declarem ostendamque, (Nam id in votis jam dudum habui vir cordatissime dignissimeque) hoc tuae gratiae ac munificentiae in praesentia munusculum offero dedicoque: nec dubito quin tua erga me benevolentia, illud quantulumcunque sit, aequo benignoque animo sit acceptura, ut qui soleas pro tua prudentia, non ad rem quae donatur offerturve, sed ad animum potius quo donatur offerturque, respicere. Quod tamen ubi jam pro comperto habuero, non est quo non ipse mihi nomine gratiae tuae gratulari merito debeam. Bene valeat tua Gratia. Coloniae, pridie calend. mensis Augusti.

RE.

REVERENDO IN CHRISTO PATRI AC DOMINO,

Domino Quirino, Dei & Apostolicae sedis gratia episcopo Cyrenen. Reverendissimi ac Illustrissimi principis & Domini nostri

D. HERMANNI,

Sanctae Colonien. Ecclesiae Archipraesulis, & Sacri Rom. Imperii per Italiam Archi-Cancellarii, principis Electoris, Vuesphaliae & Angariae ducis, Legatique nati &c. in pontificalibus Vicario generali, Gerardus Bolsuinge Reckelinchusensis Salutem.



UM multi sunt hodie; Reverende Pater idemque doctissime Praesul, qui in restituendis veterum monumentis, de re literaria certatim bene mereri studeant, tum vel in primis in eorum albo est vir candidissimus juxta atque optimus GODEFRIDUS HITTORPIUS, *qui nunquam non aliquid veterum elucubrationum suo impendio vel purgatius vel elimatius in lucem profert: Atque adeo nuper mecum egit, ut Paulum illum Orosium cum veteribus ac manuscriptis exemplaribus collatum, à tot mendorum myriadibus pro viribus vindicarem: quibus quidem hactenus vel somnolentia, vel ignavia seu mavis inertia tum scribarum, tum chalcographorum adeo mutilatus, corruptus, ac deturpatus fuerat, ut vel doctos nedum rudiores à sui lectione merito deterreret. Neque id mehercule, quantum ad autorem attinet; sinistro judicio: siquidem unus ille Orosius, vir ut apparet omnium bonarum literarum etiam divinarum peritissimus, is est cui vel soli in historiis merito fides haberi debeat. Quippe qui homo Christianus, sano integroque judicio praeditus, adhaec nulli privatim factioni addictus, nulli nationi seu genti deditus, ex optimis quibusque historiis ac annalibus jam inde ab exordio humani generis conscriptis, divo quoque Augustino autore negotiumque id ei injungente (nam utrique eandem scribendi causam fuisse constat, Augustino libris de Civitate Dei* XXII, *Orosio bis septem falsas paganorum seu ethnicorum suspiciones ac calumnias depellenti) ea collegerit, sedulaque opera ad posteros transmiserit, quae citra controversiam ab omni as-*

affectu vanitateque seclusa prorsus atque sejuncta viderentur, adhibitis passim & in loco optimis saluberrimisque Christiani pectoris condimentis, quae pium ac cordatum lectorem non minus profecto, quàm ipsae historiae juvabunt. Accedit his quoque quod optimi hujus viri beneficio res profecto innumerae & haud quaquam spernendae clarius nobis dentur pervideri: quarum scilicet perditis archetypis vix alibi hodie vestigium superest. Quod genus sunt multa quae optima fide ex fidelissimis Livianae industriae monumentis, jam olim injuria temporum seu potius ignavorum hominum deperditis, fidelissime transsumpsit. Porrò si cui per alias forte occupationes liberum non sit omnes omnium historias evolvere, hic habet velut absolutum compendium, selectissima quaeque magisque necessaria ex omnibus complectens, quod quidem cunctarum historiarum instar esse possit. Historiarum vero ἐγκώμιον *pro merito celebrare ut mearum non est virium, ita hic locus minime admittit, tantum detrectatores unius Ciceronis dicto veluti fuste comprimam:* Ignorare, *inquit*, quid antequam natus sis actum seu gestum sit, hoc est semper esse puerum. *Jam vero quantum olei laborisque huic auctori restituendo impensum sit, nemo pervidebit judicabitve exactius, quam qui hoc exemplar cum prioribus quibusvis etiam tam scriptis quam impressis contulerit. Nam quid recenseam seu mavis subjiciam centum amplius versus, mutilata sensus integritate, passim intermissos? quorum tamen, ne quis vanum me putet, è multis paucos indicabo. Itaque conferatur initium capitis tertii libri* II. *ubi ea verba desiderabantur:* Cui successit, ut dixi, uxor sua Semiramis, quae cum & ipsa XLII. annis regnaret *&c. Item cap.* XVII. *ut alia transeam, libri* V. *sex plus minus versus nulla alioqui constante sententia requirebantur, nempe ibi:* Die dicta à suppositis ejusdem factionis judicibus, per scelus innocens Metellus damnatus, in exilium cum totius urbis dolore discessit. *& quae sequuntur usque*, infamibus ausibus. *Itidem cap. sequenti ejusdem lib. non minus tres praetermissi fuerant, ibi:* Namque ita ut attoniti timore hostium steterant, alii stirpibus, alii saxis reclines, alii armis suis innitentes &c. *Quid dicam de tot millibus verborum vel restitutis vel in locum repositis? Ad quam quidem rem non parum momenti nobis attulerunt tria vetustissima exemplaria scripta, quorum unum vix hodie notis aut legibilibus literarum figu-*

ris

DE MUTATA ROMANORUM NOMINUM, SUB PRINCIPIBUS RATIONE.

CAPUT I.

De Nominum Romanorum ratione.

Occasio instituti operis. Carolus Sigonius explanator egregius Nominum, quibus Romani antiquiores usi: non item Nominum posteriorum. De Praenominibus nonnullorum, sub Augusti imperio, Sigonii error perstringitur. Grammaticorum veterum errores de Nominibus notantur. Valerii Probi error. M. Brutus quare Caepio cognominatus. Caesar quorum fuerit Praenomen. Valerii error de Praenominibus Foeminarum. Festus expositus. Foeminarum Nomina in Afranii Togatis. Caesilla, Rodocella, Murcula, Ravilla cujusmodi Nomina. Festus tentatus. Tertullus & Tertillus quale Nomen. Item Terentilla, Rufilla, Caesilla. Rodicula quid. Murcus & Murceus quis. Livilla, Domitilla cujusmodi Nomina. Statius Murcus. Burra quae. Multiplex error Prisciani, item Alcuini. Ratio Nominum sub Principibus mutata. Caussa fuit peregrinitas in urbem infusa. Quando primum peregrini in civitatem adsciti. Quando eorum magna colluvies Romae. Quanta Servorum & Libertinorum copia. Quae inde antiquorum morum, Nominum & prisci sermonis labes.

A Cum


um in eo essem, ut antiqua Bataviae monumenta, a Romanis prodita, explanarem, fieri non potuit, quin crebro de Nominibus hominum mihi disputandum esset. Quandoquidem autem in alia omnia discedebam a Virorum Doctorum opinionibus, semel faciundum esse, existimavi, ut meam de Nominibus Romanis opinionem, singulari libro exponerem. Hunc librum cum maxime exhibeo. Non autem in eo, rationem Nominum omnium sum persecutus, sed duntaxat eorum, quibus Romani, oppressa a Caesaribus republica, fuerunt usi Antiquiorem illam complures tradiderunt: omnium autem diligentiam vicit Carolus Sigonius: Posteriorem nonnulli, ut sese res cuique dabat, perstrinxerunt, sed plene traditam, non memini. Dubitare etiam licebit, Sigonium, eam ita solerter & callide perspectam habuisse, ut illam vetustiorem. Nam, quod addit in fine operis, ubi mutatam cum libertate priscam Nominum ordinationem fuisse scribit, Julium Antonium Africanum, Paullum Fabium Maximum, Potitum Valerium Volusum, Cossum Cornelium Lentulum, qui imperante Augusto fuerunt, insuetis Praenominibus fuisse praeditos, de eo ambigendum mihi videtur. Nam Fabio Paullo Maximo, qui Consul fuit anno V. C. 742. Publii Praenomen fuisse accepimus, isque Paullus Fabius Maximus in eorum numero recensetur a Valerio de Nominum ratione, qui perplexo Praenominum & Cognominum usu in Fastis memorantur, & Cornelio Lentulo Cosso, qui Consulatum gessit anno V. C. 752. Praenomen Cneji fuit. Certe in Nummo argenteo Cn. Lentulus Cossus nominatur. De Antonio Julo, an Julio deinceps dicemus. Quem Potitum Valerium Volusum dicat, non video, nec vacat quaerere. Fuit Valerius Potitus Volusus bis Consul, sed is alienus est a saeculo Augusteo. Fuit Augusto regnante Valerius Messalla Volusus, sed Praenomine Lucii uterque. Ipse Sigonius in Fastis suis Potitum Valerium M. F. M. N. Messallam, quem sibi Augustus in Consulatu quinto ex Kalendis Juliis suffecit, recenset, sed de Praenomine ejus disputatio longa est, quam hujus libelli modulus non capit. Quod autem Sigonius sententiae suae vel testes vel auctores producit Valerium & Priscianum, quisque videbit, si eos consulat, aberrasse eos longe a vero. Siquidem Valerius, sive is Maximus sit, sive Probus, in Epitome de Nominibus Romanis, quae Valerii Maximi Editionibus subnecti solet, ut doceat,

ceat, quaedam Cognomina in Nomina (intellige Nomina Gentilicia) fuisse conversa, Caepionis Bruti exemplum dicit, Caepionis Gentile Nomen fuisse ratus, cum Cognomen illud sit Gentis Serviliae, in quam ab avunculo fuit adoptatus M. Brutus Caesaris percussor, vide Manutium, atque aliorum commentarios ad Ciceron. ad Attic. lib. 2. ep. 24. & Ferrar. in Philipp. 10. cap. ult. quare frustra Spanhemius de Usu & praest. numism. pag. 523. culpae Valerii colorem quaerit. Verius Appianus lib. 2. pag. 497. Μάρκος ὁ Βροῦτος ὁ καιπίων ἐπίκλην. *Marcus Brutus cognomine Caepio.* Gentile Nomen Junii a patre vero habuit, a patre adoptivo Servilii. Neque verius est illud, quod de Praenomine Caesaris dixit Valerius, quod is inter Praenomina refert. Soli Imperatores eo Praenomine sunt usi, subacta republica, ad Principatum significandum, caeteri omnes abstinuerunt. Salva re Romana Cognominibus accensebatur. Pergit Valerius, *antiquarum mulierum in usu frequenti Praenomina fuerunt, ut Rutilla, Caesella, Rodocella, Murcula, Burra a colore dicta,* quae pro veris habuit Sigonius in eo capite, quo de Praenominibus Foeminarum disputat. Vellem alterius monumenti auctoritatem addidisset Vir antiquitatis Romanae peritissimus. Nam non illa Praenominum, sed Cognominum speciem prae se ferunt, quod & Festo notatum, qui in voce *Rutilium*, ubi *Rutilius* (viri docti hanc Farnesiani codicis lectionem mutant in *Rutilus*, rectius forte in *Rutillus* mutassent) Cognominibus accenset. Illud autem in primis observandum, quod addit Festus, *ut indicat frequenter Afranius.* Ubi autem hoc Afranius? In Togatis credo, quas crebro ad partes vocat Festus Verriusve. Meminit etiam earum Quintilianus atque alii. Unde augurari licet, scenicarum personarum illa fuisse Nomina, quorum nonnulla ad captandum risum a Poëtis sunt conficta: quanquam non dubito, Togatas, id est Romanas puellas, praecipue rure atque in plebe, inter familiares, iis Cognominibus per lasciviam & jocos fuisse vocatas. Rutilla, vox diminutiva est vocis Rutilus (diminutivis autem nominibus Romae in scena cum Latina tum Graeca appellabantur puellae) ut Caesilla, Rodocella, Murcula, vocum Caesius, Rudis, Murcus. A Caesius est Caesiolus, & Caesillus, Caesullus est apud Festum in voce *Raviliae. Raviliae*, (Ursinus mavult legere *Ravillae*) inquit, *a ravis oculis, quemadmodum a Caesiis, Caesullae.* Forte & hoc nominis ex Afranii Togatis est repetitum. Ut autem a Tertia est Tertiola, atque inde ὑπεροχαριστικῶς Tertilla & Tertulla; a Terentia Terentiola, Terentulla & Terentilla,

tilla, a Rufa, Rufula & Rufilla, quae Nobilissimarum Foeminarum Cognomina fuerunt, vid. Sueton. in Aug. cap. 69. sic a Caesia, Caesiola, Caesilla, Caesulla, & Caesella. Rodocella est a rodis, pro quo & rudis & raudis dixerunt. Est namque a rudis, rudicula & rudicella, sive quod ab instrumento rustico & coquinario, cujus mentio apud Catonem de Re Rustica cap. 95. & Columellam, lib. 12. cap. 46. profecta est appellatio, sive quod rudiorem & neglectiorem vestitum ea arguit. Murcula certe a murco est, quod Servius ad Virgil. Æn. 8. v. 636. murcidum interpretatur, id est segnem, inertem atque ignavum, unde & Murcei in Onomastico antiquo νωθεῖς. Ammianus Marcellinus lib. 15. prope finem, in Italia Murcos dictos scribit, qui, ut armis inhabiles essent, pollicem praecidebant. Apparet, Rodicularum, & Murcularum vocabula conviviis & jocis apta fuisse. Quanquam nec hoc negandum, Rutilas & Caesillas ex honestissimis Gentibus Romae Foeminas fuisse dictas. Namque ut ex Gente Livia, Livillae, ex Gente Domitia Domitillae, sic ex Rutilia, & Caesia Gente Rutillae sunt cognominatae. Neque hoc omittendum, Murci cognomen genti Statiae fuisse, unde Statius Murcus Julio Caesari de Bello Civil. Lib. 3. cap. 15. Vellejo praeterea memoratus, nec nummis ignotus. Statius Murcus Speculator est apud Tacitum Histor. lib. 1. cap. 43. De Burra, a colore dicta, nihil addo illis, quae Pighius in notis ad Valerium. Quid Priscianus? Ille vero lib. 2. pag. 528. ubi exponit, quid sit Nomen, Tullium inter Praenomina ponit, idque verum esse ostendit Tullii Servilii exemplo: credas eum Servium Tullium nescivisse, aut Tullum Hostilium. Mox Paullum Gentile Nomen dicit; quo quid ineptius? & tamen sequitur id Alcuinus, lib. 1. pag. 307. Edit. Putsch. tanto deterior, quanto aetate remotior. Quemadmodum autem ille errores erroribus cumulet piget meminisse. Lepidus Diomedes, quem in tradendis Romanorum Nominibus laudat Sigonius, est, lib. 1. pag. 307. ubi rationem eorum Graecis & Paridis Nominibus adsimilat. Nihil ergo subsidii ab hujusmodi Scriptoribus, quos Sigonius primo loco ponit, nobis exspectandum fuit. Forma autem & ratio Nominum, quae Caesarum aetate fuit, longe diversa est illi, quae sub Consulibus & Republica salva erat. Principum tempore non tantum imperii summa mutata, sed & in privatis rebus multa migrata sunt. Nominum labes, & mali caussa est peregrinitas. Moribus antiquis stetit Res publica & privata, quam diu in Latio, atque in Italia militatum est. Quanquam enim populos

los inde multos in civitatem ſuam adſciverunt Romani, quia tamen eodem ſanguine multi, geniti eodem ſolo, eodem cœlo innutriti omnes, diuturnitate commerciorum, cultu, diſciplinis, moribus conſimiles erant, nec vitium aut damnum attulit horum populorum ſocietas, rerumque divinarum, & humanarum communicatio. Poſteaquam vero imperium ultra mare atque ultra Alpes prolatum eſt, utraque collapſa ruit. Cœpit labes a Punicis triumphis, auctum eſt malum a triumphis Aſiaticis, Graecis, Hiſpanicis, Gallicis, & Gentium fere omnium: Quibus triumphis, quantum imperio & opibus eſt adjectum, tantum rebus caeteris, tantum vitae & morum ſimplicitati, caſtitatique ſermonis deceſſit. Ad ſermonem refero Nomina. Nam ut vocabula rebus ſignandis, ſic Nomina hominibus appellandis fuerunt inventa. Quisque autem intelligit, quum Curia, fora, templa, comitia, privatorum tecta, rura, villae, repleta fuerint Servis, Libertinis, quorum maxima pars ſub corona ante emti fuerant, aut nati ab iis, qui bello capti venerant: quum magnus in urbe peregrinorum numerus, qui civitate donati, aliorumque ex omnibus terris ad illud imperii domicilium concurſus: quanta fuerit in illa hominum, rerum, morum, diſciplinarum, inſtitutorum, cultuum, ſermonum, nominum confuſio & perturbatio. Ut de aliis non dicam, quot Sylla Dictator novos cives ex ſervis fecit? Auctor eſt Appianus Alexandrinus de Bello Civ. lib. 1. pag. 413. eum ex Servis proſcriptorum plusquam decem millia cives Romanos feciſſe. Quot putabimus feciſſe eum cives ex illis, quos in bello Mithridatico ceperat, aut beneficio ex omni Aſia cognitos habebat, atque ob id civitate donarat? Quot Pompejum, qui victricia arma late circumtulit, atque ex Europa, Aſia & Africa triumphos egit? Quot Julium Caeſarem Dictatorem? de quo Suetonius tradit, cap. 24. univerſam legionem ex Tranſalpinis Gallis conſcriptam civitate donaſſe: peregrinos, atque inter eos Gallos Braccatos in Senatum adlegiſſe, cap. 80. aliquando viginti ſervorum millia manumiſiſſe, atque ad remum dediſſe cap. 16. unde incredibilis poſt id tempus Juliorum copia. Teſtamentorum licentiae in liberandis Servis Auguſtus demum impoſuit modum, legibus Aelia Sentia & Fuſia Caninia latis. Si Senecae fides eſt impie ludenti in Ἀποκολοκυντώσει, Claudius conſtituerat omnes Graecos, Gallos, Hiſpanos, Britannos videre cives. Quod decreverat Claudius, peregit Caracallus, qui civitatem communicavit cum omnibus, qui in imperio Romano erant. vid. l. 17. ff. de Stat. Hom. Per ea,

quae dixi, tempora, & maxime sub Augustis, ut barbarie omnia contaminata fuerunt, sic & prisca illa & religiosa nominum structura adulterata est. De vitiato sermone ita Cicero lib. 9. fam. ep. 15. *Ego autem, existimes licet, quod lubet, mirifice capior facetiis, maxime nostratibus, praesertim cum eas videam primum oblitas Latio tum, cum in urbem nostram est infusa peregrinitas, nunc vero etiam Braccatis & Transalpinis Nationibus, ut nullum veteris leporis vestigium appareat.* Laetior per ea tempora peregrinorum soboles fuit, quibus temporibus Nobilitas bellis civilibus exhausta, mox Principum crudelitate extincta periit.

CAPUT II.

De Praenominum, Nominum & Cognominum commutatione, & de Foeminarum Nominibus.

Marcus, Quintus, Cognomina; Sextio diminutivum Sexti, Pollio Paulli. Titus Cognomen. Cajus, Lucius, Numerius, Publius, Gentium Nomina. Rufus, Firmus, Praenomina. Inscriptio tentata. Nero & Praenomen & Cognomen in Gente Claudia varie usurpatum. Perplexus in Fastis antiquis Nominum usus, ratione susceptus sub Imperatoribus. Flavius Praenomen. Plurium Gentium Nomina commista. Didii Juliani Imp. multa Nomina. Habuit & Marci Praenomen. Casaubonus notatus. Julius Antonius an Julus dictus. Torrentius notatus. Suetonii scriptura defensa. Domitilla eadem Domitiae. Claudilla eadem Claudiae. Duo & tria Foeminarum Nomina quo tempore cœpta. Inscriptio exposita.

Initium faciam de commutata Praenominum, Nominum (Nomina gentis designo, quae saepissime ἁπλῶς Nomina dicuntur) & Cognominum ratione. Sub Principibus Praenomina in locum Cognominum, Cognomina in locum Praenominum, Nomina Gentilia in locum amborum transierunt. Namque Marcus, Quintus, Sextus, Titus, quae Praenomina olim fuerunt, deinceps Cognomina sunt facta. C. Atilio, C. F. Marco Grut. DCCCLIX. 6. Cajus Domitius Marcus LXII. 8. M. Petronio Marco DCC. 8. T. Accius Marcus Murator. Inscr. MMXXVII. 2. Est Aurelius Marcus in monu-

numento T. Aurelii Scribonii Equitis Singularis Augusti, qui natione Batavus erat. Lapidem integrum exhibet Gudius Inscr. CLIV. 7. & Fabrettus pag. 358. n. 77. mutilatum Gorius Inscr. Etrusc. part. 1. pag. 135. n. 18. nec non Muratorius Inscr. DCCCLXXXI. 5. Cognomen Quinti animadverte in his Gruter. DCCCLXXVIII. 4. T. Manlio Quinto. DCCLXXVI. 8. M. Cominius Quintus. CCCCLXXXII. n. 1. Fabia L. F. Quincta. Murator. Inscr. MCCLV. 10. Ælia Tullia Quinta. Idem MCCLXXXIX.. 11. Reinesius. XIII. 2. Alluciae Quintae & in Append. XIX. Cornelia Quinta. Et Murator. MCCCCIII. 6. Sergiae Quintae. Cognomen Sexti. L. Caecilius Sextus. Murator. MDCCLXXVIII. 10. C. Egnatius Sextus. DCXII. 2. M. Calpurnius Sextio. MCCCXVIII. 4. Sextio diminutivum est Sexti nominis, ut Pollio Paulli. Julia Sexta MDCLXXXXI. 16. Ælia Sexta. Reinesius Class. XII. 8. Septimia Sp. f. Sexta. Cl. XIX. 35. Cognomen Titi. Gruterus DXXXII. 1. M. Ulpius Titus. Cajus, Lucius, Numerius, Publius olim Praenomina fuerunt, deinceps Nomina Gentium facta. Grut. CCCCXLIV. 2. Cn. Gajus Pudens. Idem MXXV. 9. M. Cajus Maximi. Praef Praetor. Murator MDCXLIX. 10. Ossa L. Cai. SEX. F. Januari & 11. M. Caji M. F. Marc. Idem DCCXV. 5. C. Lucius C. F. Maniacus. & CCCVI. 1. C. Numerio Albano DCCCXXXVII. 9. Cn. Numerio Cn. F. Trom. Valenti. DCCLXI. 5. T. Publio T. F. Latino. Plura nullo negotio ex vulgatis Inscriptionum indicibus colligentur. Cognomina Rufi, Firmi, alia, Praenominum loca occuparunt. Reines. Class. XIII. 22. L. Cornelio Rufi Patri. Murator. MCCLXXXII. 3. Ti. Tuccio Patri Catiae (vel C. Atiae) Matri Ruso Tucio Fratri. Item DCCLII. 8. L Valerius Firmi F. Stel. Firminus. Nobile illud Neronis Cognomen, celebratum in Gente Claudia, Drusus Augusti privignus sibi Praenomen praefixit Sueton. in Claud. cap. 1. *Patrem Claudii Caesaris Drusum, olim Decimum, mox Neronem praenomine.* Circumferuntur Nummi ejus ex quovis metallo hac epigraphe: NERO CLAVDIVS DRVSVS GERMANICVS IMP. At vero Frater ejus, successor Augusti, Neronis Cognomen retinuit, ita namque Nummus ejus TI. CLAVD. T. F. NERO COS. ITER. IMP. ITER. Idem adoptatus ab Augusto abjecisse videtur, certe a Nummis exulat. Resumsit illud Domitius Ænobarbus, posteaquam ab Imperatore Claudio est adoptatus, quanquam is adoptivus pater eo abstinuit. Cave ergo perplexo usui Praenominum & Cognominum, quem Valerius in Fastis consulum sibi observatum scribit, attribuas, si quando eorum alterum in alterius locum trans-

tranflatum videas, tempori enim debetur is ufus, & certae rationi, quae inde ab imperio Augufti fufcepta. Gentile Nomen Flavii Praenominis fedem habet in hoc Fabretti marmore cap. 10. n. 96. Tito Flavii filio Alexandro, nec non Flavio Marco Ulpio Sabino. Gruter. DXXXIII. 1. Aurelius Flavi filius Flavianus. Lapis erutus eft ad Neomagum, in cujus Urbis curia etiam nunc fpectatur, memoratur praeterea Pontano Hiftor. Gelr. pag. 9. Grutero DXXXIII. 1. Adde quae difputavi in Differtatione ad Fl. Avianum cap. 9. Duarum pluriumque Gentium Nomina commifta videas Gruter. MCXXI. 8. T. Cocceius Salvius, id quod in memoriam redigit Didium Salvium Julianum Imperatorem. Ei Publii Praenomen tribuit Cafaubonus ad Spartianum in Didio Juliano, fed in Nummis Marcus appellatur. Πολυώνυμος ille fuit, dictus namque Marcus Didius Salvius Julianus Severus, natus patre Petronio Didio, tefte Spartiano. Cognofcis etiam hunc Nomine retuliffe duas Gentes, retulit etiam duas Avidius Caffius Imperator. Retulerunt & alii Imperatores, quos mitto Aetate iis omnibus priores fuerunt Rofcius Caelius, & Fulvius Aurelius. De illo Tacitus Hiftoriar. lib. 1. cap 60. De hoc Idem cap. 79. Tullum Cluvium an Tullium Cluvium dixerit Cicero Philipp. Orat. 9. cap. 3. incertum ob pugnam librorum vetuftiorum. C. Caecilius Claudius Ifidorus fuit Afinio Gallo & C. Marcio Cenforino Cos. memoratus Plinio Nat. Hiftor. lib. 33. cap. 5. Non video ergo, quae cauffa fit, cur Julium Antonium non feramus, Antonii & Octaviae filium, neque enim tanti eft Dionis Caffii fcriptura, in qua Ἴουλλος, ut a confenfu librorum Latinorum recedam, Velleji, Taciti, Suetonii, ad quem vide notas Oudendorpii noftri, Celeberrimi Viri, in vita Claudii cap. 2. nec audiendus Torrentius, qui ob id T. Flavium Petronium Suetonii in Vefpaf. c. 1. non fert, quod duarum Gentium ea Nomina funt. Nam & Foeminae Gentium duarum Nomina junxerunt. Salvia Titifcenia Augufto nondum regnante fuit Sueton. in Aug. cap. 69. Albia Terentia tempore Claudii Imperatoris. Idem in Othone cap. 1. *Flavia Domitilla, filia Flaviae Domitillae Imperatoris Caefaris Domitiani neptis.* Domitillae idem quod Domitiae Nomen eft. Caligula uxorem habuit Enniam Naeviam Sueton. in Calig. cap. 25. habuit etiam uxorem Juniam Claudillam cap. 12. Tacitus Annal. lib. 6. cap. 20. & 45. Claudiam nominat. Calvedia Vettia eft in Marmoribus Felfineis pag. 484. Addubitatum fuit, olim Foeminae uno tantum Nomine infignes fuerint, an tribus, Praenomine, Nomine, & Co-

gno-

gnomine. Libertate Populi Romani incolumi raro duobus, rarius etiam tribus ornatae fuerunt, vergente vero republica, & praecipue perdita, duo, tria Nomina mulierum frequentia fuerunt. Vulgo nota sunt Augustarum atque earum, quae uxores aut uxorum loco fuerunt Imperatoribus, Nomina, in quibus Livia Drusilla, Cornelia Orestilla, Lollia Paulina, Julia Drusilla, aliaeque, quae facile ex Nummis eruuntur. Tranquillus in Claud. cap. 26. Sponsas Claudii has nominat, Aemiliam Lepidam, Augusti proneptem: Liviam Medullinam, cui & Cognomen Camillae fuit: Uxores autem Plautiam Urgulanillam, Aeliam Petinam, Valeriam Messallinam. Dicendum vero, Praenomina mulierum minus frequentata fuisse. Inveniuntur tamen haec apud Murator. ML. I. L. Marcia Procula. MDCXXXXII. I. Ap. Aureliae Ap. filiae Lupercillae. MCCXIV. 4. L. Septimiae Doxae. Reinesii hic lapis est Cl. XIV. 124.

DIS. MANIBVS. SACRVM.
Ↄ. PLINIA. L. F. LAMI
V. K.
VALE. MI. V. VALE.

Male FLAMI. legitur. Caetera ita expedi: *Uxor carissima vale, mi uxor vale.*

CAPUT III.

De Nominibus Conjugum & Liberorum.

Fratres sub libera republica Praenominibus, domita vero, Cognominibus distinguebantur. Filius major Cognomen a Patre, minor a Matre trahebat. Flaviorum Praenomina & Cognomina. Flavia Domitilla. Fratres iisdem Praenominibus. Muratorii Inscriptio illustrata. Marmor antiquum illustratum. Diversa patris & filiorum Nomina. De Praenomine & Cognomine Drusi. Drusus Liviorum & Claudiorum Cognomen. Drusus olim Praenomine Neronis, abjecto Decimi. Nomina a matris familia adsumta. Nomen Gordiani unde.

Decrevi in hoc capite de Nominibus Liberorum, id est, Filiorum Filiarumque differere. Ordo scio, postulat, ut prius

dicam de Nominibus Conjugum. Sed quia Imperatorum aetas nihil detraxit de more vetusto, quo uxor patris Nomine Gentili, nonnunquam etiam Cognomine ejus appellabatur, nihil est, quod de iis exponam hoc loco. Argumenta autem eorum, qui nuptas maritorum nomina suscepisse, scribunt, in epistolam retuli, quam huic disputationi nostrae subjeci. Liberi sunt aut veri, aut adoptivi, aut spurii. Veri sunt ex justis nuptiis nati. Stante republica filii inter se, id est fratres, distinguebantur Praenomine, nonnunquam Cognomine: republica vero inclinata, eodem saepe Praenomine insigniebantur, sed Cognomine diverso. Filius major Cognomen fere a patre trahebat, minor a matre, sed in *anus* productum. Flavius Sabinus, pater Imperatoris Vespasiani, uxorem habuit Vespasiam Pollam, atque ex ea filios duos: major filius patris Cognomine Sabinus est dictus, minor a Vespasia matre Vespasianus. De ea re ita Suetonius in Vespas. c. 1. *Flavius Sabinus diem obiit, superstitibus, uxore Vespasia Polla, & duobus ex ea Liberis, quorum major Sabinus ad Praefecturam Urbis, minor Vespasianus ad Principatum usque, processit. Natus fuit Vespasianus, quinquennio ante, quam Augustus e vita excederet.* Idem cap. 2. Imperator idem Vespasianus uxorem habuit Flaviam Domitillam, id est, Domitiam, ex ea tulit similiter filios duos, majorem patris Cognomine Vespasianum, minorem, matris Nomine in *anus* migrato, Domitianum. Sueton. in Vespas. cap. 3. *Inter haec Flaviam Domitillam duxit uxorem, Statiliae Capellae, Equitis Romani Sabratensis, ex Africa, delicatam olim, Latinaeque conditionis; sed mox ingenuam & civem Romanam, recuperatorio judicio, pronunciatam, patre adserente Flavio Liberale, Ferentini genito, nec quicquam amplius, quam quaestorio scriba. Ex hac liberos tulit, Titum & Domitianum, & Domitillam.* Fratres hi Vespasianus & Domitianus, eodem Praenomine, Titi, fuerunt. Iisdem etiam Praenominibus usi Sabini, qui frater fuit Vespasiani majoris, filii duo; quorum natu major Cognomine paterno Sabinus, minor, Clemens est nuncupatus. Praenomen uterque Titi habuit, quod ex Fastis Consularibus notum, uterque autem Consulatum gessit, Sabinus anno V. C. DCCCXXXIV. Clemens DCCCXXXXVII. Non aliter in marmore Murator. DCCLXXIV. 7. T. Aelius Acilianus & T. Aelius Jocundus fratres dicuntur. Posteaquam enim fratres Cognominibus coeperunt discrepare, Praenominibus iisdem coeperunt uti. Eidem Muratorio LXXIX. 6. duo Lucii Vettii Telesphorus & Chrysantus fratres memorantur. MCCLIX. S. Pater

L.

L. Grattius Pharnaces, Filius alter L. Grattius Spes, alter L. Grattius Successus. Idem Murator. LXXXXIV. 9.

D. VETVRIVS ANTIGONVS
D. VETVRIVS SP. F. PHILO
D. VETVRIVS ALBANVS
PATER CVM FILIIS POSVIT.

Philo Spurius filius dicitur, quod ex concubina ortus. In ejusdem Thesauro LXXIX. 2. Nemonius filios duos genuit, utrumque Praenomine Marci, sed Cognomine diverso: alter namque Eutychianus dictus, alter Gemellinus. Item Tiberius Claudius Nero non Caesar, sed homo privatus apud Murator. DCCCVI. 2. filios habuit Marcum Cornelium Saturninum & Marcum Cornelium Julianum. Apud eundem Muratorium CCCXXXVIII. C. Pomponius Primus fratrem habuit C. Pomponium Verum.

Virgilius & Fratres ejus duo discretis Cognominibus appellati, illorum alter Silo, alter Flaccus, ipse Maro dictus Sueton. in vita Virgilii. Intelligis, cur Suetonius, sollicitae diligentiae Scriptor, in Vitell. cap. 2. monuerit P. Vitellio, avo Imperatoris, quatuor filios fuisse Cognomines, ac tantum Praenominibus distinctos. Vixit is Vitellius sub Augusto, quo tempore jam cœperat consuetudo distinguendi filios Cognominibus. Multa ab usu antiquo abhorrent, nisi omnes adoptatos dicamus, in hoc marmore Muratorii MCCLII. 5.

CORNELIO. SABINO. Q. SVLPIC. F.
ET GERGIAE MATIDIAE
L. SEPTIMII. F. POSTHVMIAE
ET VALERIO PETRONIO ET
MODESTINAE ANTONIANAE
C. F. Q. CASTALIVS SABINVS
COR. F. PARENTIB.
GERMANISQVE MEIS AMANTIS.

Pater primum Praenomine & Gentis Nomine designatur, nempe *Q. Sulpicii* filius, & *L. Septimii* filia, dein solo gentis ut *Cor.* id est CORNELII filius, quare & paullo ante C. F. non Caji, sed Cornelii filium accipio. Porro filius nec ullum patris nomen habet, Fratres quoque Sororesque diversis Nominibus appellantur. Si tem-

poris ordinem in exemplis recensendis sequi velim (quem tamen cur sequar nulla caussa est) ante Flavios dicendi mihi fuerunt Claudii fratres Augusti privigni, quos vulgo Drusi & Tiberii Nominibus distinguimus. Uterque initio eodem Cognomine fuerunt. Vid. Sueton. in Tib. cap. 4. unde & Albinovanus Poeta ad Liviam Augustam v. 1.

Visa diu felix mater modo dicta Neronum.

At vero Drusus mox illud sibi Praenomen adoptavit, abjecto Praenomine Decimi. Vid. Sueton. in Claud. cap. 1. Queritur Livia in illa elegia v. 147.

Jamne ego non felix? jam pars mihi rapta nepotum,
Materni celeber nomine Drusus avi.

Intellige ergo, Claudium hunc e familia materna Cognomen Drusi esse adeptum, quod tamen Cognomen nec Claudiis alienum. Fuit enim Claudius Drusus, qui Italiam per Clientelas occupare tentavit. Sueton. in Tib. cap. 2. De Poppaea Sabina Tacitus Annal. lib. 13. cap. 45. *Erat in civitate Sabina Poppaea, T. Ollio patre genita, sed Nomen avi materni sumserat.* Gordianus materni avi, qui Gordianus Imperator erat, Nomen gessit, de quo Herodianus lib. 7. cap. 10. De hoc avo Julius Capitolinus in Gordianis cap. 2. *Horum*, inquit, *Gordianus senior, id est, primus, natus ex patre Metio Marullo, matre Ulpia Gordiana, originem paternam ex Gracchorum genere habuit.* Ecquid autem nominis Gordianus habuit, aut simile Gracchis majoribus, aut Metio Merullo Patri? De Sancto Innocentio Episcopo Dertonensi in Liguria Auctor vitae cap. 1. §. 2. vid. Act. Sanct. Bolland. Aprilis XVI. *Quintio erat unicus filius annorum XV. qui derivato a patre vocabulo Quintius appellabatur. Nomine autem proprio, quod in baptismi gratia acceperat, Innocentius dicebatur, & filia una parvula nominabatur Innocentia, sicut & mater ipsius.* Res acta tempore Valeriani & Gallieni Imperatorum. Consule porro Reinesium, pag. 433. atque adde Cl. 12. n. 24. ubi P. Clodius P. F. Valerianus, & Valeria Secunda mater ejus.

C A-

CAPUT IV.

De Nominibus Adoptatorum.

Lex Adoptionis. Quid mutatum ſub Principibus in Adoptatorum Nominibus. Pomponii Attici Adoptati Nomina. Aetas Pomponii Attici. An Satrius dictus? Suetonius a librariis eſt interpolatus. An Atticus ille Pomponius Caecilius dictus? Adoptati integra duarum Gentium nomina conjunxerunt. Attici libertus Caecilius. Paulli Manutii error. Quae Nomina C. Octavius, qui dein Auguſtus eſt dictus, geſſerit, poſtquam a C. Julio Caeſare eſt adoptatus. Dion Caſſius & Appianus non ſatis perſpectam habuerunt Adoptionis antiquae rationem. Varie appellatus Auguſtus. Raro Julius dictus, crebro Caeſar. An Caeſar Octavius appellatus? Opera ejus Julia dicta. Cur filia dicta Julia. Quando Thurinus dictus. Quae illius in nummis Nomina. Variae illae appellationes Auguſti aevo, non etiam antiquiori conveniunt. Adoptiva Nomina ab Imperatoribus dein ſecutis neglecta. Nullus eorum Julius dictus. Recenſentur eorum Natorumque ex iis Nomina. Multa in iis abhorrentia ab uſu antiquo. Recenſentur Foeminarum Auguſtae domus Nomina. Auguſti Uxor Livia & Livia Druſilla dicta; Teſtamento Auguſti adoptata, Julia eſt dicta. Nonnullae in illa domo Juliae. Nomina varie adſcita, mutata, rejecta. Caracalli Titulus exponitur. Pronepos pro Adnepote. Adnepos pro Trinepote. Antonini Pii Nomina enumerantur, atque unde acceperit inquiritur. Quibus Nominibus Imperatores Imperii Succeſſores declarabant. Plinius Veri & Adoptivi patris Nomina uſurpavit Gentilicia. Domitius Nero a Plinio dictus, qui Claudius Nero ex more priſco fuerat dicendus.

Lex Vetus adoptionis erat; ut adoptatus filius, tam jure legeque adoptanti filius fieret, quam ſi ex eo patre matreque familias ejus natus eſſet. Vide Gellium lib. 5. cap. 19. ut omnia adoptantis, ſic etiam Nomina, in filium adoptatum, conferebantur; id eſt, Praenomen, Nomen & Cognomen, his addebat Filius gentile Nomen patris mutatum in *anus*. In his nonnihil migravit T. Pomponius Atticus, qui vidit adfectam & pereuntem rempublicam: vita namque functus ſeptuagenario major, Cn. Domitio & C. Soſio Cos. vid.

Corn. Nep. in vita Attici cap. ult. qui fuit proximus Actiacae Victoriae annus. Is adoptatus a Caecilio avunculo, non videtur bona fide deposuisse Nomina antiqua. Semel eum Cicero in familiaribus litteris Caecilium salutat, nempe ea epistola, qua adoptionem ei gratulatur, quae est epistola 20. lib. 3. ad Atticum; in qua ex more antiquo Nomina adoptati ordinat hoc modo: Q. Caecilio Q. F. Pomponiano Attico. Attici Cognomen servat, id quod proprium homini, non familiae erat. At vero in litteris sequentibus semper T. Pomponium nominat, ut ep. 22. & 23. *mi Pomponi.* & lib. 4. ep. 2. *mi T. Pomponi.* lib. 7. ep. 7. *assentior Cn. Pompejo, id est, T. Pomponio.* Meminit ejusdem Cicero in aliis libellis. Contra, Caecilium nominat Suetonius in Tiber. cap. 7. Satrium, de Illustr. Grammat. cap. 16. Nomen hoc molestos habuit viros doctos, ambigentes, unde id datum Attico. Mihi videtur alter locus Suetonii ex altero a librariis translatus. In illo ita legitur: *Caecilii Attici, equitis Romani, ad quem sunt Ciceronis epistolae.* In hoc *Attici Satrii equitis Romani, ad quem sunt Ciceronis epistolae.* Non ergo Satrius a Suetonio est, sed a librario. Quae autem tanta caussa, cur idem in duobus libris iisdem verbis memoret Suetonius? Quia in illo loco pro *Caecilii* nonnulli Codices, quos memorat Celeberrimus Oudendorpius, habent *Pomponii*, suspicio mihi nascitur, lectum olim fuisse, utrumque *Pomponii Caecilii*, vel *Pomponiani.* Non displicet *Pomponii*, etenim hoc tempore jam adoptati duarum gentium Nomina integra conjungere coeperunt. Ab hoc instituto, quod id temporis novellum fuisse videtur, repetenda Caninii Satrii, quae duarum gentium sunt, Nomina, de quo Cic. ad Atticum lib. 1. epist. 1. Libertum Attici Q. Caecilium nominat Suetonius in illo de Illustrib. Grammat. loco. Caeciliam etiam filiam in lib. 6. ep. 2. si Paullo Manutio credimus in commentario ad eam epistolam. Verum nondum eo tempore adoptatus erat Pomponius, quare uxorem Pomponii Caeciliam accipio. Varro de Re Rustica lib 2. cap. 2. significare videtur, in vulgo, utriusque patris nomine Atticum vocatum fuisse, id est, & T. Pomponii & Q. Caecilii; sed Pomponiani nominis nullus meminit praeter Ciceronem in epistola, quam primam ad Atticum, post adoptionem factam, scripsit, uti modo dixi. Quae res fidem facit, aut saltem suspicionem injicit, si minus sublatus fuerit, illo tempore populi Romani, priscus mos mutandi patris veri Gentile Nomen, at saltem eum coepisse jam solvi & fluere, & mox in desuetudinem ire. De Nominibus Caji Octavii, quem Antonio

nio fublato, Auguftum appellatum novimus, non perinde convenit inter Appianum de Bello Civ lib. 3. pag. 532. & Dionem Caffium lib. 46. pag. 322. Non libet follicitius utriusque verba & fententias expendere, liceat tamen dubitare, rationem prifcam nominandi adoptivos Graecis illis penitus cognitam fuiffe. Hoc mihi animadvertiffe videor, Octavium illum adita Julii Caefaris (a quo nomen ferre juffus erat, Sueton. in Caef. cap. 83.) hereditate, Caefarem fuiffe dictum. Pofteaquam autem Curiatis Comitiis, & lege Curiata (recte Dion. lib. 45. pag. 272. τὸν νόμον τὸν φρατριατικὸν nominat, perperam autem Appianus Bello Civil. lib. 3. pag. 534. adoptionem eam apud Praetorem per actam fcribit, nifi quis forte opinetur, decreto aut inquifitione Praetoris opus fuiffe adrogandis patre orbis) adrogatus fuit, initio Octavianum, Octavium & Caefarem Octavium, fuiffe appellatum, ad extremum vero, & cum folus rerum potiretur, Antonio interfecto, unum ei Caefaris nomen placuiffe. De nomine Octavii dubitant multi, & plures de Nominibus his conjunctis Caefaris Octavii, quia ufus antiquus requirit Caefaris Octaviani, vel potius Octaviani Caefaris Sed Octavium vocat Cicero ad Atticum lib. 16. ep. 9. certe ita legitur in Editionibus praeftantiffimis; in aliis, cum ad Atticum, tum iis, quas ad Familiares vulgus appellat, Octavianum. In Flori lib. 3. cap. 3. & 4. non tantum Octavius eft, fed & junctim Octavius Caefar, & Octavius Caefar Auguftus in cap. 1. nec non Julius Frontinus, an alius auctor de Coloniis apud Goefium in rei Agrariae Scriptoribus pag. 133. Aufon. in Caefaribus *debinc Octavius idem Caefar.* In lapide Tarentino Muratorii MLXXXIV. 6. *Octavio Aug Sacr.* fed is merito fufpectus viro doctisfimo. Appianus lib. 4. de Bello Civ. pag. 593. tabulae praefcriptionis haec Triumvirorum nomina praefixa dicit M. Lepidus, M. Antonius, Octavius Caefar. Andreas Schottus in annotation. ad Cornelium Nep. in vita Attici 7. cap. 18. Faftos citat, in quibus auctiora Triumvirorum Nomina Caefaris Augufti haec: C. JVLIVS. C. F. C. N. CAESAR. OCTAVIAN. Sed ufque adhuc illos Faftos fruftra quaefivi. Inter incerta illa veriffimum puto, quod Suetonius narrat cap. 7. Infanti Cognomen Thurino effe inditum, poftea C. Caefaris, & deinde Augufti Cognomen adfumfiffe. Nam in nummis aliisque monumentis fallere nefciis, Caefar, Divi filius, aut Divi Julii filius addito faepe Augufti nomine, appellatur. Pleraque autem ea Triumviratu pofteriora funt & dominante Augufto facta. Nufquam in iis Julii, nufquam Octavii, nus-

nusquam etiam Octaviani Nomen. Cujus rei caussam fuisse puto arbitrium Augusti, ex quo arbitrio omnis nominandi ratio (si tamen ratio dicenda inconstans & fluxus Nominum adsciscendorum modus) pendebat, posthabito antiquo more. Hoc tamen addendum, Augustum ex prisco more id retinuisse, ut filiam adoptivi patris gentili Nomine Juliam dixerit. Ipse quoque, an populus, opera ab eo exstructa Julia, leges etiam ab eo latas coloniasque deductas Julias nominavit. Age autem insecutorum Caesarum Nomina recenseamus, qui Juliae genti per adoptionem fuerunt inserti. Magna in iis Nominum fuit discrepantia, adde quae disputavi infra cap. 20. Parentes, filii, nepotes diversissime dicti. Inter mares quidem nullus est, qui Julii, quanquam generis atque imperii auctor fuit, Nomen usurpavit. Uno Caesaris Nomine contenti fuerunt; quibus nonnulli gentis, ex qua nati erant, Nomina miscuerunt, sed alii aliter. Augustus filiam ex Scribonia genuit Juliam dictam, filios autem plures habuit, sed adoptivos Cajum & Lucium, ex filia, & Vipsanio Agrippa natos, mox M. Agrippam fratrem eorum & Tiberium, nepotemque quasi ex Tiberio (natus enim ex Druso erat Tiberii fratre) Germanicum. vid. Sueton. in Tib. cap. 15. In testamento praeterea Liviam uxorem adoptavit. Idem in Aug. cap. 101. Cajus & Lucius post adoptionem uno nomine Caesares appellantur, quod nomen ab adoptivo patre habuerunt. Agrippae monumenta nulla exstant, quod is minus fuit probatus Augusto, imo ob ferociam & ingenium scordalum abdicatus, quare nihil est, quod de ejus Nominibus dicamus. Qui cum eo adoptatus est, ante adoptionem in titulis antiquis Tiberius Claudius Nero, post eam Tiberius Caesar, Augusti & Divi Augusti Filius scribitur. In dedicatione tamen Aedis Castoris & Pollucis se Claudianum nominavit Dion. Cass. lib. 55. pag. 567. Liberti adoptivo ejus Nomine Julii dicti. Liberti namque Tiberii Caesaris hi fuerunt Tiberius Julius Tib. Aug. lib. Amerimnus. Murator. CCCCLXXXXIX. 5. Tib. Julius Aug. lib. Atimetus. DCLXXXXIV. 1. & Tib. Julius Aug. lib. Cutisonius DCCCCXXI. 16. nec non Tib. Julius Aug. servus MMXXXXIII. 8. Germanicus Druso patre natus, adoptione nepos Augusti, post adoptionem Germanicus Caesar Tiberii Augusti filius, Divi Augusti nepos appellatur. Conjunxit ergo veri & adoptivi patris Cognomina: Nam pater Drusus Cognomine Germanici fuit condecoratus. Tiberii illius filius naturalis dictus fuit Drusus, quod Cognomen habuit a gente patris veri; imo vero a gente utriusque parentis, nam & in gente

gente Claudia & Livia Drusi fuerunt, ut ante docui. Is in titulis priscis proscribitur Tiberius Augusti filius, Divi Augusti nepos. Germanici illius, (quem a Tiberio Augusti Filio adoptatum diximus, ut Augusto nepos esset) filii fuerunt tres, Nero, Drusus & Cajus. Cajus ille, vulgo Caligula vocatus, in monumentis nuncupatur C. Caesar Divi Augusti pronepos. Quae quantum abhorreant ab instituto Romanorum antiquo, & more appellandi liberos, cum veros tum adoptatos, nullus non videt. Sed ad foeminas transeamus, quae aut Julia domo ortae, aut per adoptionem ei insertae fuerunt. Augustus, ut diximus, filias duas habuit, alteram veram, alteram adoptivam. Vera semper uno nomine Julia dicitur. Adoptiva, uxor ejus Livia fuit, quam is testamento adoptavit, ut ante ostendimus. Ea ante adoptionem aut uno nomine Livia, aut duobus nominibus Livia Drusilla fuit dicta, vid. Sueton. in Aug. c. 69. & Tib. cap. 4. post adoptionem Julia, cum in libris, tum in tabulis & marmoribus veterum, nominata; in his plerumque Julia Augusti, vel Julia Divi Augusti filia. Agrippa ex Julia Augusti filia, filias duas tulit, alteram Juliam, alteram Agrippinam, hanc patris Cognomine, illam Nomine gentili matris, utrumque praeter institutum majorum. Drusus Augusti privignus habuit ex Antonia minore filium Germanicum, Livillam, & Claudium: Livillam a matre Livia dictam, etiam hoc praeter institutum majorum. Cajus Caesar, cui a vulgo Caligulae cognomentum, sorores habuit tres Agrippinam, Drusillam, Livillam, quas Suetonius nominat in Cal. cap. 7. nominat etiam Patini nummus ad eum Suetonii locum, sed ita, Agrippinam, Drusillam, Juliam. Agrippinae nomen ab Avo materno Agrippa est, Drusillae vel a patre Druso, vel ab avia materna Livia Drusilla, Julia a proavo Augusto, quae quantopere ab usu vetusto discrepent, quisque nominum veterum non rudis, perspicit. Ipse Caligula filiam ex Caesonia uxore natam Juliam Drusillam nominavit. Sueton. in Cal. cap. 25. Verum quo magis intelligas, sumta, abjecta, resumtaque fuisse & mutata, praecipue ab adoptatis, cujusque generis nomina, haec velim cogites. Drusus privignus Augusti, pater Claudii Imperatoris, posthabito Decimi Praenomine, mox Neronis suscepit. Suetonius in Claud. cap. 1. Idem Suetonius testis est, Tiberium fratrem Drusi, a M. Gallio Senatore in testamento adoptatum, adita hereditate, nomine abstinuisse. Vid. in Vita Tiber. cap. 6. Cn. Domitius Aenobarbus, a Claudio vitrico adoptatus, diutissime a veri patris nominibus abstinuit, resumturus si libuerat, Neronis au-

tem Praenomen, quo potissimum appellabatur, non a patre adoptivo Claudio adsumsit, sed a Claudii patre Druso repetiit. Claudius ille in nummis ita nominatur: Ti. Claudius Caesar Augustus Germanicus; Filius adoptivus hoc modo: Nero Claudius Caesar Augustus Germanicus. Non nunc descendo ad inferiores Principes adoptione factos. Quanto seriora Romanorum tempora, tanto major fuit nominum licentia, lege, more ad extremum soluta. Inde a Coccejo Nerva longo ordine adoptati Principes, quo quisque fuerint nominati jure, quove modo, quibusve nominibus, impeditissimum est dicere, referunt id Historiae Augustae scriptores, quibus adde de Lucio Vero Galenum de libris propriis cap. 3. Quo cognationis gradu, & quibus nominibus distinguantur ex hoc Gruteri lapide cognosce, qui est pag. 271. n. 2.

IMP. CAESARI
L. SEPTIMI SEVERI
PII PERTINACIS AVG.
ARABICI ADIABENICI
PARTHICI MAXIM. FILIO
DIVI MARCI ANTONINI PII
GERMANICI SARMATICI NEPOTI
DIVI HADRIANI ABNEPOTI
DIVI ANTONINI PRONEPOTI
DIVI TRAJANI PARTHICI ET
DIVI NERVAE ADNEPOTI
M. AVRELIO ANTONINO
AVG. TRIB. POT. VIII.

Trajani & Nervae adnepotem dicit, cum vere Nervae fuerit Trinepos. Pronepos etiam pro Adnepote ponitur, in hac inscriptione, non item in caeteris ejusdem Caracalli titulis. Vides, patrem tribus generis nominibus dici, avum duobus, ceteros uno. At vero operae pretium fuerit cognoscere, quot nominibus usus Antoninus, filius adoptivus Hadriani, is, qui primus Pii nomine dictus apud Julium Capitolinum in vita ejus cap. 1. Nomina haec sunt, Titus Aurelius Fulvius Bojonius Antoninus Pius. Unde quodque acceperit, ex his parentum ejus nominibus intelliges. Pater Aurelius Fulvius fuit, avus paternus T. Aurelius Fulvius. Avus maternus, Arrius Antoninus, Avia materna, Bojonia Procilla. Mitto alios, si hoc unum

unum dixero, in illis posteris adoptivis Cocceji Nervae, nusquam Cocceji nomen, Nervae autem in uno reperiri Trajano, cujus rei testimonia doctioribus sunt notissima. Qua adoptione, & quo nomine Principes dein Imperii successorem designarint, docet Spartianus in Aelio Vero cap. 2. *Nihil habet in sua vita memorabile, nisi quod primus tantum Caesar est appellatus: non testamento, ut antea solebat; neque eo modo, quo Trajanus est adoptatus, sed eo prope genere, quo nostris temporibus a vestra Clementia Maximianus atque Constantius Caesares dicti sunt, quasi quidam principum filii, vivi & designati Augustae Majestatis haeredes.* Impertito Caesaris nomine, Imperii successores & quasi filios declarabant. Aliquamdiu ante Domitianus filios Flavii Clementis, quos sibi successores destinavit, alterum Vespasianum appellari jussit, alterum Domitianum. Vid. Sueton in Vespas. cap. 15. Principum illis adoptionibus unum addo hominis privati, ob patris & filii nobilitatem, quam ingenio & doctrina compararunt; Plinios designo. Plinius minor, auctor Panegyrici & elegantissimi operis epistolarum, Patrem Caecilium habuit, sed adoptatus ab avunculo C. Plinio secundo, Historiae Naturalis auctore, Nomina veri & adoptivi Patris miscuit, hoc modo, qui est in marmore vetusto: C. Plinius L. F. Ouf. Caecilius Secundus: quod marmor castigatum est ab Alciato. Vide Murator. in Thes. Inscr. pag. 732, & a Massone in Vita Plinii Junioris. Plinius major Domitium Neronem dixit, in Natural. Histor. lib. 4. cap. 4. quem more priscorum Romanorum Claudium Domitianum nominari decuit. *Quam ob caussam perfodere navigabili alveo angustias tentavere Demetrius Rex, Dictator Caesar, Cajus Princeps, Domitius Nero, infausto (ut omnium patuit exitu) incepto.*

C A P U T V.

De Nominibus Filiorum Spuriorum.

Qui dicuntur Spurii Filii. Spurius sequitur conditionem, & gentem matris, unde iis ex gente matris nomen. Variae lapidum epigraphae proponuntur & explicantur. Reinesii error. Nonnunquam Spurii, patris nomine gentili dicti. Fabretti error. SP. F. non sem-

semper significat Spurii Filium, sed nonnunquam Spurium Filium, maxime in lapidibus tempore Caesarum positis. Multi bujus generis lapides exponuntur. Foemina quatuor Nominibus dicta. Reinesius reprehensus.

Filius Spurius dicitur, qui injusto matrimonio procreatus est. Injustum dicitur, quod jure aut rite non est contractum. Atque inde Spurii dicuntur, matre incesta, meretrice, aut concubina nati, patre servo aut peregrino, atque ex matrimonio, injussu patrum inito, vid. Cajus Institut. lib. 1. tit. 4. §. 8. Nec non §. 12. Inst. de Nuptiis. Spurii illi in jure censebantur non habere patrem; siquidem ille Praetori & Jurisconsultis pater esse existimatur, quem nuptiae demonstrant. l. 5. ff. de in jus voc. Ut filius justus sive legitimus conditionem gentemque patris sequitur, ita Spurius conditionem gentemque matris. Id quod nec ignoratum Servio Grammatico ad Virgil. Aen. 4. v. 328. *secundum jus*, inquit, *loquitur, nam ubi non est justum matrimonium, liberi matrem sequuntur*. Dabo exempla Spuriorum, qui gentili matris nomine dicti fuerunt, Muratorius pag. MCCXXVII. 4.

P. VARIO. SP. F. PASTORI
V. A. V. D. XXI
VARIA MATER ET HYGINUS PATER
FECER

Hyginus Servus habuit P. Varium Spurium Filium ex Varia, foemina ingenua an liberta. Traxit ergo Varius, Spurius filius, a matre Varia, non a patre Hygino, nomen. Idem pag. DCCCLXXXXI. 1.

DIS MANIBVS
CAECILIAE SP. F. SATVRNIN
VIX. ANN. ET MENS VIIII
VRSIO THALAMI CAESAR
AVG. XANTHIANI VIC
FILIAE CARISSIMAE FEC
CVM CAECILIA PRIMIG. MATRE EIVS
VIBIA SEX. F. COMMVNIS
LOCVM ET IMPENSAM
FVNERIS
D. S. D
IN FR. PED. II. IN AGR. P. II.

Cae-

Caecilia Saturnina Spuria filia habuit patrem Urſionem Vicarium Thalami, qui Servus fuit Caeſaris, Xanthianus, id eſt Xanthi libertus. Privatorum namque liberti fiebant Servi Caeſaris, vid. cap. 10. habuitque Caecilia ea matrem Caeciliam primigeniam. Murator. pag. MCXXXII. n. 4.

C. AV. RE. LI. O
SP. F. AV. RE. LI. A. C. L
CHA. BI. TI. O. MAT. F
PO. SV. IT.

Committenda conſtruendaque nomina hoc modo: Cajo Aurelio Chabitio (forte aliquid mendae ineſt huic voci nominum iſtiusmodi trajectio etiam aliunde cognoſcitur) Spurio filio Aurelia Caji liberta mater filio poſuit. Reineſius Cl. IX. 4.

LVCIO VOLVSENO. S. P. F
VICTORI
VOLVSENA RESTITIT
ET AGRYPINVS CAES
FIL. PIISSIMO VIX
ANN. V. M. VI
MICCINVS ET
STEFANVS
H. I. C

Voluſena Reſtituta & Agrypinus Caeſaris ſervus monumentum poſuerunt Lucio Voluſeno Spurio filio Victori filio Piiſſimo. Gruter. DCCXVI. 14.

DIIS MANIBVS
C. VOLVSIO SP. F. SEVERO
FILIO OPTIMO ET PIISSIMO VIX
ANN. XV. MENS IIII DIEBVS XIIII
VOLVSIA HEROIS MATER FECIT ET
SIBI ET PHOEBO CONIVGI OPTIM
ET CARISSIMO
ET LIBERTIS LIBERTABVS POSTERISQ
NOSTRIS OMNIBVS

Mater Voluſia Herois dicta, pater Phoebus, nomine ſervili, Filius Spurius C. Voluſius (nomine matris) Severus. Idem DCXIV. 1.

ubi P. Cortius Spurius filius, qui matrem habuit Curtiam. Nec non DCCLXXXII. 3. C. Fabius Tertius fibi & fuis Veturiae P. L. Fauftae uxori Veturiae Spuriae Habenti, Veturiae Spuriae peregrinae monumentum fecit. Utraque filia Spuria matris Veturiae, non vero patris Fabii nomine appellata. Item DCCXXXVIII. 7. Spuria iftiusmodi filia appellatur naturalis in hoc marmore, refpondetque matris non patris genti nominique. Gruter. DCCLXXXVI. 9.

D. M
A. GABINIUS FELIX
VIVOS SIBI FECIT ET
MINDIAE EPITEVXI
CONIVGI CARISSIM. ET
INCOMPARABILI ET
MINDIAE CLAVDIANAE
FILIAE NATVRALI LIBERTIS
LIBERTABVSQ POSTERISQ.
EORVM.

Atque ita Nymphidius Sabinus, matris Nymphidiae, quae corpus vulgaverat, nomen tulit, quo de Tacitus Annal. lib. 15. cap. 72. & Plutarch. in Galba. Nec tamen defunt Spuriorum exempla, qui patris nomen fibi induerunt Murator. LXXXXIIII. 9.

D. VETVRIVS ANTIGONVS
D. VETVRIVS SP. F PHILO
D. VETVRIVS ALBANVS
PATER CVM FILIS

Adde Gruter. XII. 2. & LXXXVI. 5. Confecrarunt aras Veturii illi imperante Domitiano, id quod ex nomine erafo intelligimus. Multa marmora, quae ad Spurios pertinent, collegit Raphael Fabrettus in Infcript. Explic. pag. 45. & 46. falfus in eo (qui tamen Antiquariorum omnium error eft) quod SP. F. ubique Spurii filium interpretatur, quanquam paullo aliter quam Antiquarii caeteri eam notam accepit Fabrettus, cum in iis titulis fignificet Spurium filium. Scio, populo Romano libero eam notam fuiffe, & Spurii Praenomen, at vero fubacta a Caefaribus republica oppido rarum id Praenomen, vox tamen & nota frequens ad defignandum filium Spurium aut

aut nothum. Revincitur autem Fabretti aliorumque doctissimorum virorum error ex aris D. Veturiorum, quas modo ostendi, aliisque monumentis quam plurimis. In aris illis Veturius filius secundo loco positus SP. F. dicitur, dicendus D. F. id est, Decimi filius, si nota illa patris Praenomen monstraret, pater enim non Spurii Praenomine appellatus fuit, sed Decimi, ut ex versu primo cognoscimus, in quo is *D. Veturius Antigonus* proscribitur. Idem animadvertes ex hoc marmore Gruteri DCCXXXVIII. 7.

DIS MANIBVS
D. PVBLICIO ANTIOCHO ET
PVBLICIAE MVSAE
VXORI
PVBLICIA SP. FILIA ALBANA
PATRI ET MATRI OPTIMIS
CVM M. CAESONIO PRIMO
LIBERTO FECIT

Publicia in versu quinto memorata Spuria filia fuit, non vero Spurii filia: pater enim ejus, qui versu secundo nominatur, non Spurii Praenomen habuit, sed Decimi. Mitto alia monumenta, sed nequaquam praetereundum existimo hoc marmor ejusdem Gruteri CCCCXXXIIII. 4. quod C. Mamercius, qui in versu primo SP. F. dicitur, mox versu quinto filius naturalis vocatur, pater vero non Spurii Praenomine, sed Publii. En titulum

C. MAMERCIO SP. F
IANVARIO Q. AED. PRAET
IIVIR Q. ET
P. PACCIVS IANVARIVS
FILIO NATVRALI ET
MAMERCIA GRAPTE
MATER INFELICISS. FILIO
ET COGNATAE PIISSIMIS
FECERVNT

Egregie huc pertinet Muratoriani Thesauri lapis LXXXXIIII. 9. cujus haec inscriptio:

P.

P. AELI
AE IVLIANAE
MARCELLAE SP
FIL. P. AEL. IVLIANI
EQ. R. FLAM. ET VIIVI
RAL. COL. APVL. ET AD
OPTIVE P. AEL. MAR
CELLI

Publia Aelia Juliana Marcella fuit Spuria filia Publii Aelii Juliani, Equitis Romani, Flaminis, & Septemviralis Coloniae Apulenſis (quae Colonia fuit in Dacia) & adoptiva filia Publii Aelii Marcelli. Memorandus autem hic lapis fuit, non uno nomine: primo namque SP. F. P. AEL. in eo non notat Spurii filiam P. Aelii, ſed Spuria Filia; ſecundo, Foeminam appellari quatuor Nominibus, Praenomine uno, Gentili uno, ſed Cognominibus duobus, quorum alterum eſt a patre vero, alterum ab adoptivo. Nota & hunc Muratorii lapidem DXXXXVI. 2.

DIS MANIBVS
Q. LOLLI FELICIS VIX. ANN. LIIX
MENSES III. DIEBVS XIIX
LOLLIA IONIS FILIA NATVRALIS
IDEMQVE LIBERTA PATRI OPTIMO

Ex qua cognoſcimus Spuriam patri cognominem, cum quia filia, tum quia liberta. Titulum eundem prodidit Gruter. DCCCCXXXXV. 1. Miratur Reineſius in Syntagm. Inſcript. IX. 9. diverſam Calpurnio patri & Calpurnio filio Tribum fuiſſe, verum nulla fuerat miratio, ſi animum ſubiiſſet, Calpurnium filium Spurium fuiſſe, atque ob id non patris gentilem tribum, verum matris habuiſſe. Non ſubiit autem, quia SP. F. ut hoc loco, ſic ſemper alias, Spurii filium accipit. Quanquam vero naturalis patris nomina geſſit, non tamen inde arguas, juſtum ejus & legitimum filium fuiſſe, ſiquidem licuit undique arripere nomina. Veriſſimum ergo eſt, quod Plutarchus docet Quaeſt. Rom. 103. SP. in monumentis Romanis modo Praenomen ſignificare, modo filium injuſtum, id eſt, nothum.

C A-

C A P U T VI.

De Nominibus Peregrinorum.

Cives ex Peregrinis facti quorum civium Nomina adsumserint. Nonnulli Barbarum Nomen Romanis subjungebant. Alii Barbarum ad Romanum sonum formabant. Asiatici & Asiatico & Graeco aut Romano insignes. Filii Nominibus Barbarum Nomen Patris subjungebatur. Proculus Christianus, qui & Torpacion, Libertus. Procuratores liberti. Judaei alio Nomine domi, alio alibi usi. Apostolus alibi Paullus, alibi Saul est dictus. De Claudio Lysia. Judaei multi cives Romani; contemserunt Nomina Romana. Herodes, Magni Pater, Civis Romanus. In Regia familia multi Cives Romani fuerunt, sed pauca Romana Nomina. T. Flavius Josephus. Lapidis epigramma illustratum. Proselyti Judaicum Nomen adsciscebant. Peregrini sese in servitutem dabant Civi Romano, ut civitatem adipiscantur.

Peregrini, id est, liberi homines, qui Cives Romani non erant, Peregrino & Barbaro nomine appellabantur, in Civitatem adsciti Romano. Capital aliquando Romae fuit civem mentiri. Sueton. in Claud. cap. 25. *Vetuit Claudius Caesar, Peregrinae conditionis homines Romana usurpare Nomina, sed duntaxat gentilitia. Civitatem Romanam usurpantes in Campo Esquilino securi percussit.* Adsciti in civitatem duo priora Nomina, nonnunquam & tria ejus adsumebant, cujus beneficio & opera civitatem adepti erant, aut in cujus clientelam recepti. Cicero in Verrem lib. 4. cap. 17. *Tu maximam & pulcherrimam mensam citream a Q. Lutatio Diodoro, qui Q. Catuli beneficio a L. Sylla Civis Romanus factus est, abstulisti.* Fuit autem Catulo gentile Nomen Lutatii. Idem Cicero Famil. lib. 13. epist. 36. *Cum Demetrio Mega mihi vetustum hospitium est, familiaritas autem tanta, quanta cum Siculo nullo. Ei Dolabella rogatu meo civitatem a Caesare impetravit, qua in re ego interfui, itaque nunc P. Cornelius vocatur.* Dolabella ex gente Cornelia fuit. Nonnulli amicorum ex Civibus Nomina sibi deligebant. Idem ep. 35. *C. Avianus Philoxenus antiquus est hospes meus, & praeter hospitium valde etiam familiaris, quem Caesar meo beneficio in Novocomenses retulit. Nomen autem Aviani secutus est, quod homine nul-*

lo plus est usus, quam Flacco Aviano meo. Justinus lib. 43. cap. ult. Trogum Pompejum a Vocontiis originem ducere, avumque civitatem a Cn. Pompejo percepisse dicit. Cn. Pompejum Basiliscum nominat Cicero in Verrem lib. 4. cap. 11. nec non Parcennios, additque, *qui nunc item Pompeji sunt.* Nempe facti nuper, adjuvante Pompejo, cives Romani. Sulpicius Florus Britannus donatus civitate a Sulpicio Galba. Tacitus Historiar. lib. 1. cap. 43. A. Licinius Archias, quem ex Graeco civem Romanum factum Cicero defendit, priora duo Nomina Romana habuit, Cognomen Graecum, quod a parentibus erat infanti datum. Exempla domestica, id est, Batavorum, alias protuli, proferamque alias plura dein. Accusati fuerunt nonnulli, quod cum civitatem ab Imperatore Claudio adepti essent, ab ejus Nominibus abstinebant, quibus tamen ipse gratiam fecit. Dion. Cassius lib. 5. pag. 676. Coeperunt Peregrini paullatim barbara sua Nomina sono Romano formare, in quorum numero est M. Trajanus, Megumattius, de quo ibidem, & N. Ingonius, cujus cippus Trajecti effossus. Fecit idem Cinnamus, qui Cinna dici voluit, nobilissimo inter Romanos Nomine, quem Cinnamum notat Martialis lib. 6. Epigr. 17. Sic Pasides se Pansam nominavit. Sueton. de Grammat. cap. 18. de Merodoro Pompeji liberto, qui jure aureorum annulorum donatus est ab Augusto, atque ob id Romano Cognomine Menus est dictus, dicam infra cap 13. De mistis ex Romano & barbaro novorum civium Nominibus dicam in explanatione monumenti Dodenwerdensis. In Asia homines videntur duo Nomina usurpasse, unum Patrium, alterum populi dominantis, quem morem inde ab Alexandri tempore sunt secuti, qui Coloniis multis per Asiam deductis Asiaticos omnes Graece loqui docuit, & Graeca Nomina gestare. Dabo promiscue exempla Graecorum Romanorumque Nominum Asiaticis mixta. Nota autem hos titulos Palmyrenos, ex Thomae Smithi Inscriptionibus Palmyrenis, ΜΑΛΗΝ ΤΟΝ ΚΑΙ ΑΓΡΙΠΠΑΝ ΙΑΡΑΙΟΥ ΤΟΥ ΡΑΑΙΟΥ, *Malam, qui & Agrippa*, sc. cognominatus, *filium Jaraei, filii Raaji*, & pag. 6. ΑΥΡΗΛΙΟΝ ΖΗΝΟΒΙΟΝ ΤΟΝ ΚΑΙ ΖΑΒΔΙΛΑΝ ΔΙϹΜΑΛΧΟΥ ΤΟΥ ΝΑϹϹΟΥΜΟΥ, *Zenobium, qui & Zabdila, filium Dismalchi, filii Nassumi.* pag. 8. *Septimius Odenathus filius Aeranae, filii Vaballathi*, pag. 9. *Julium Aurelium Zebidan, filium Macimi, filii Zebeidi*, ibid. *Septimium Aeranam, filium Odaenathi*, pag. 11. *Publium Vorodam*, pag. 12. *Septimium Vorodam*, est & *Julius Aurelius Salma, filius Cassiani Milenaei.*

&

& pag. 13. *Septimius Voroda*, item *Julius Aurelius Salma Pusillus Melenaeus, filius Malochae Nassumi*. Quae exempla potissimum ea caussa apposui, ut ostenderem primo, Judaeorum consuetudinem nil discrepare a more caeterorum Asiaticorum, nam & Judaei duobus aut pluribus Nominibus ferebantur, Hebraeo uno, altero Graeco, aut Romano, duobusve Romanis. Secundo, ut demonstrarem, Patris barbarum Nomen, raro Romanum, addi, id quod & factitatum Gallis Germanisque, verum de illis alio loco. Murator. Inscr. MCCXVIII. 5. ANTΩ, Αντόνια ἡ καὶ ζωκρατικὴ· MCCCXXV. 4. Κλαύδια ἡ καὶ Δέχας. MDCLXXXXII. 8. Ιυλιάνῳ τῷ καὶ Ννάρῳ. CCCLXX. 1. De Jesu, qui Jasonis, de Onia, qui Menelai Nomen adsumsit, vid. Joseph. Antiq. Jud. lib. 12. cap. 5. De Nicaeo, qui ante Theophilus, mox Sedatus est dictus, Aristides in Orat. in Rom. pag. 398. Ζιμπλίκια καὶ καλλωνυμὸς. In horum numero censendus Proculus Christianus, qui & Torpacion, Procurator Euodiae, de quo Tertullianus ad Scapulam cap. 4. & adverf. Valentin. cap. 5. Longa & varia est de eo homine virorum doctorum disputatio, quorum sententias proponit Vir Consultissimus Hultmannus in Dissertat. inaugur. de Servis binominibus, pag. 15. Proculus ille non mihi servus, sed libertus fuisse videtur. Frequentissimi namque liberti procuratores, quare minoribus jus datum manumittere servos procuratoris habendi caussa. §. 5. Inst. Qui & ex quib causs. nec videtur Imperator Severus servum alienum, cui ob beneficium debebat, diutissime (usque ad mortem est apud Tertullianum) in Palatio habuisse, libertate non donatum, quod accipientis summum, Augusti dantis exiguum fuit. Inter suos atque in patria exteri illi cives patrio Nomine potissimum appellabantur, inter alios, maxime Romanos, Romano. Paullus Apostolus continente Asia egressus, cum Cyprum appulisset, ad Praesidem Insulae adductus, non Sauli Hebraeo nomine, sed Paulli dici voluit, quam & caussam arbitror, cur divinus Lucas eo demum in loco, quo rem in ea insula gestam tradit, Paullum nominet, quem antea Saulum dixerat. vid. Act. Apost. 13. vs. 9. Dein a peregrinatione in Patriam redux Sauli Nomen resumsisse videtur, aut saltem Sauli Nomine a Judaeis accusatus. Id quod inde arguo, quod Centurionem & Tribunum Lysiam, a quibus vinctus fuit, suspicio de civitate Romana Paulli non subiit, quam subituram fuisse puto, si Romano Nomine Paulli, nobilissimis familiis solemni, fuisset dictus. Inter Christianos autem, gentesque, quibus Euangelium praedicavit ille gentium Apostolus,

 sem-

ſemper Paullus eſt nominatus. Idem Tribunus ſermone vulgi in Judaea Graeco Nomine Lyſiae dictus videtur. Vid. Actor. cap. 23. v. 25. quanquam ipſe in epiſtola Solenni ad Praeſidem Provinciae ſcripta, ſeſe Claudium Lyſiam nominat, conſecutus a Claudio Imperatore, ut conjicio, civitatem, certum eſt namque, eum pecunia civitatem Romanam comparaſſe. Actor. cap. 24. vs. 17. & 23. nundinatione credo eorum, qui indulgentia & ſtoliditate Claudii abutebantur, qui homines avariſſimi erant, quorum nota ſunt nomina ex Suetonio, Tacito, & Dione, quae & cauſſa eſt, cur illi magno ſteterit civitas, id quod ipſe Lyſias fatetur. Fuerunt multi alii inter Judaeos civitate donati, eorum tamen pauciſſimi Romano Nomine fuerunt dicti a Joſepho, aliisque, Antipater ὁ τῶν Ιουδαίων ἐπιμελητὴς, & Herodis magni pater hunc honorem a Julio Caeſare meruit, ut civis Romanus appellaretur, lib. 14. cap. 8. §. 3. at vero nuſquam Romanis Nominibus eſt ſalutatus. In poſteris tamen ejus Julios, Julias, Agrippas, Druſos, Druſillas reperimus. Julia Berenice Regina magna Julii Agrippae Regis eſt apud Spon. Miſcell. Erud. Antiq. Sect. 10. n. 6. & Fabrett. Inſcr. Syntagm. cap. 6. n. 46. M Julius Cottius Principatum in Alpibus tenuit, eum Regem appellavit Claudius (vid. Dion. Caſſ. lib. 60. pag. 681.) non permiſſurus uti Nominibus Romanis, niſi civis Romanus eſſet is Cottius. Fuiſſe complures inter Judaeos, qui civitatem Romanam ſunt adepti, cum aliunde colligere eſt, tum ex decreto, quod factum L. Lentulo & C. Marcello Cos. quo de Joſephus Antiq. lib. 14. cap. 10. §. 13. & 19. Abſtinuiſſe Judaeos a Romanis Nominibus ob inexpiabile, odium puto. Ipſe Joſephus, nobiliſſimus Hiſtoriarum auctor, Flavius, imo & Titus nominatur, ut T. Flavium Veſpaſianum civitatis Romanae datorem referret. Ex aliorum tamen teſtimoniis, quam ex Joſephi libris, Romana illa ipſius Nomina cognoſcimus, quanquam is Romanae aurae ſummus captator; cui & velificati unice Herodes Herodiadaeque. Polae in urbe Iſtriae inventus eſt cippus, quem Aur. Soter & Aur. Stephanus Aur. Soteriae matri pientiſſimae religioni Judaicae metuenti fecerunt. Sed metuentes eos omnes, id eſt, eos, qui caerimonias & ſacra Judaeorum ſequebantur, optima fide Judaeos & verpos fuiſſe dubito. Edidit eum cippum Gruter. DCCXI. 11. qui & alium protulit ab eadem Soteria poſitum, certe ad eandem urbem repertum, DCLVII. 5.

AVR.

AVR. RVFINAE
ALVMNAE PIENTISS
ET INCOMPARABILI
QVAE VIXIT ANN. XXVII
M. X. D. II
FIDE COGNITA
MEMOR OBSEQVII EIVS
AVRELIA SOTERIA
PIET. PLENA P.

Vox fides & alia nonnulla ſuſpicionem injiciunt, non Judaica Sacra coluiſſe Aureliam Soteriam, ſed Chriſtiana, quae Judaica viſa non nullis Gentilium. Proſelyti aut mutabant Nomina, aut iis, quae habebant, Judaicum addebant. Fecit hoc Veturia Paulla, quae ad Judaeos transgreſſa Sara eſt appellata, id quod cognoſcimus ex monumento ejus, quod prodidit Spon. Miſcell. Erudit. Antiq. pag. CCCLXXI. n. 120. Ad extremum hoc loco, quo de Peregrinorum Nominibus diſputamus, adjiciendus etiam ille modus acquirendi Romana Nomina, quo Peregrinus ſeſe mancipabat civi Romano in ſervitutem, addita conditione, ut mox manumittatur. Tangit eum Petronius cap. 51. *Dedi me in ſervitutem; & malui civis Romanus eſſe, quam tributarius.* Tributarium pro provinciali dixit, notum autem, alias provincias tributarias fuiſſe, alias ſtipendiarias. Manumiſſus & Civitatem & Nomina Romana adipiſcebatur. Perſpicimus inde, pactum venditioni Servi adjectum, (cujus ſaepe meminerunt Juſtinianei juris pandectae) ut manumittatur, unde cauſſam & originem ducat.

C A P U T VII.

De Nominum unius hominis coacervatione.

Quando coepta Nominum unius hominis coacervatio. Exempla cumulatorum Nominum proponuntur. Qui multis, iidem & paucis Nominibus appellabantur, nec iisdem ab omnibus. Hinc magna obſcuritas Hiſtoriae. Trebellius Pollio negligentiae notatus. Victoria, Victorina, an Victruvia, Victorini Tyranni mater. Undique arri-

piebantur Nomina. Jussus in testamento ferre Nomen, an vere adoptatus. Licuit abstinere a Nominibus testamento jussis. Sub Antoninis magna Nominum adsciscendorum licentia. Licuit mutare Nomina. Antonini plures, atque inde incerti. Homines alio Nomine ab aliis dicebantur. l. 14. ff. de Fideicommiss. lib. exposita. Psyllus proprium an gentis aut artis Nomen in servo.

Est Lex Attica lib. 2. cap. 4. ut pater liberis, quae volebat Nomina imponeret, imposita, si vellet, mutaret rursus, Romae vero consuetudine inductum, ut quisque sibi Nomina, quae vellet, adsciseeret. Uno homini haud raro multa, imo plurima Nomina tributa aut sumta videas. Quae Nominum accumulatio coepit sub primis Principibus, cum duarum gentium Nomina in unum hominem collata. Gliscente paullatim hac luxuria, undecim unius hominis Nomina reperies. Muratorius Inscr. cccxx. 1. ubi M. Cutius M. filius Gal. Priscus Messius Rusticus Aemilius Papus, Arius Proculus Julius Celsus Cos. Sodalis Augustalis, Legatus pro praetore Imp. Caesaris Aelii Adriani, ccclx. 1. est M. Rubrenus Verius Priscus Pomponianus, Magdanus Proculus Cos. pro praetore Africae, & dclxxxii. 7. C. Batuus C. F. Trocilo Minucianus Valens Antonius Celer Publius Sigonius Rufinus Liguvianus, qui lapis est etiam apud Gruter. ccclxxv. 4. Lapis Muratorii. dclxxxix. 4. Scriptus est Cestio L. F. Po. Ampi. Gallo Vareniano Lutatio, Natali Aemiliano. Sic enim sculptum fuisse puto. dclxxxxi. 3. Urbinius Quintilianus Curiatius Maternus. Dius Nummus Acilius Strabo. Ex quibus Nominibus unum hoc Nummi paternum habuit, Patri namque positus est cippus his nominibus: C. Clodio, C. F. Maec. Nummo Trib. Leg. xiii. Gem. x. Vir. Stil. Jud. provinciae Asiae. Non cito plura ex monumentorum titulis. Historiae Augustae Scriptores similes Nominum strues faciunt. Spartianus in Aelio Vero cap. 2. Lucium Aurelium Cejonium Commodum Verum Antoninum nominat. Julius Capitolinus in vita Veri cap. 1. Lucium Cejonium Aelium Commodum Verum Antoninum. Quum autem alii his olim alia Nomina dederint, unius hominis xi. Nomina credo apud Grut. dclxxxii. 7. neque enim omnes ea cumulare voluerunt, neque etiam opus cumulatione, quum ipsi inter suos uno, in nummis etiam aliisque monumentis duobus aut tribus designabantur; hinc magna obscuritas orta inter ipsos etiam proximi saeculi Historicos, nescientes, quibus Nominibus Imperatores virosque no-

nobilissimos demonstrent. Audi eundem Spartianum cap. 2. in vita Aelii Veri. *Huic pater Cejonius Commodus fuit, quem alii Verum, alii Lucium Aurelium, multi Annium prodiderunt.* Forte quispiam non erraverit, qui omnia haec Nomina ei danda censeat. Julius Capitolinus in vitis Maximi & Balbini, cap. 1. ambigit de Nominibus Maximi, tandem in fine libri cap. 18. Pupienum Maximum vocatum vincit eo argumento, quod quae contra Maximinum sunt gesta, modo a Pupieno, modo a Maximo acta dicuntur, additque apud Graecos Scriptores non facile Pupienum, neque apud Latinos facile Maximum inveniri. Quos fluctus in simpuvio movet Trebellius Pollio, nescius matrem Victorini Tyranni Victorinam an Victoriam nominet? Scrupulum hunc identidem repetens, quoties ejus foeminae meminit, credo ut sedulitatem ostentet, quam in rebus exiguis ostentare solet, in majoribus negligere. Auget scrupulum Palatinus optimae notae Codex, quem Gruterus & Salmasius consuluerunt, qui Vitruviam nominat. Quid? si dicamus, omnibus iis Nominibus appellatam fuisse? eundem de Salonini Nominibus ambigentem lege in vita ejus cap. 1. & haec Nominum constipatio a consuetudine corradendi undique Nomina est orta. Rapiebant ea a matre, ab avo utroque, aliis, ut ante prolatis exemplis demonstravimus, neque veris tantum, sed & Adoptivis. Frequentior autem Adoptio fuit per haec tempora, quam sub libera republica, frequentior etiam jussus testatorum in testamentis, ut heres Nomen suum ferat, qui jussus a nonnullis Adoptio appellatur, a qua tamen eam Jurisconsulti excludunt, non admittentes Adoptionem, nisi eam, quae aut populi jussu, principalive rescripto fuerit facta, aut in jure, sive ad Praetorem. Quae & caussa est, cur non nulli, testamento in Nomen adsciti, Populum, Principemve rogarint, aut Praetorem adierint, ut Adoptionis jura consequerentur. Vid. Appianum Alexandr. de Bell. Civ. pag. 534. eam Βεβαίωσιν nominat Dion. Cassius lib. 46. pag. 322. Hoc non omittendum duco hoc loco, quanquam sanctissima fuerit habita morientium voluntas, & religiose observata heredibus testantium jussa, impune tamen & citra noxam licuisse abstinere a Nominibus, quae testator imposuit. Audi Gajum in l. 63. §. 10. ad Sc. Trebell. *Vera Nominis ferendi conditio est, quam Praetor exigit, recte quidem facturus videtur, si eam expleverit. Nihil enim mali est, honesti hominis Nomen adsumere. Nec enim in famosis & turpibus hanc conditionem exigit Praetor. Sed tamen si recuset Nomen ferre, remittenda est ei* con-

conditio, ut Julianus ait, & permittendae utiles actiones, aut bonorum possessio, secundum tabulas, danda est, uti nactus actiones transferat eas ex Senatusconsulto. Quaeso autem te, unde hoc jus, nisi ex licentia Nominum adsciscendi, repudiandique per Antoninorum saeculum? quo saeculo Cajus ille, & Julianus vixerunt. Licuisse idem tum, cum ex jure & moribus antiquis vivebatur, & castigata fuit Nominum ratio, non opinor. Quid autem solutissima illa Nominum mutandorum libertate cogatur ferre Nomina defuncti heres jussus, cui promtum erat abjicere patris, gentisque, ex qua natus erat, Nomina? Cautius ergo illi, qui jurejurando, & mercede proposita sunt pacti, a quo Nomina sua gestari volebant, id quod factitatum fuisse ex l. 19. §. 10. ff. de Donation. perspicimus. Usu invaluit mutandi Nominis consuetudo, quae & tandem lege lata permissa est a Diocletiano & Maximiano, imo & ante eos Imperatores ab aliis, vid. l. un. C. de Mutatione Nom. *Sicut in initio*, inquiunt, *Nominis, Cognominis, Praenominis, recognoscendi singulos inpositio libera est privatis, ita eorum mutatio innocentibus periculosa non est. Mutare itaque Nomen, vel Praenomen, sive Cognomen sine aliqua fraude licet jure, si liber es, secundum ea, quae saepe statuta sunt, minime probiberis, nullo ex boc praejudicio futuro.* Verba, *secundum ea, quae saepe statuta sunt*, arguunt, diu ante legis auctores Diocletianum & Maximianum, ius illud obtinuisse, & Nomina mutare licuisse. Id quod & ex Ulpiano discas, qui Antoninorum saeculo floruit, &, non rerum, sed hominum vocabula mutabilia esse scripsit, l. 4. pr. ff. de Leg. & fideicom. I. Quantam autem obscuritatem illa fluxa Nominum conditio attulerit Historiis, quisque intelligit, & praecipue id Jurisconsultis nostri & superioris saeculi animadversum, quibus quasi per nebulas & caliginem juris auctor Antoninus saepe queritur, quod illud Nomen Imperatores poene omnes inde ab Antonino Pio usque ad Elagabalum sibi induerunt. Ad ambiguitatem fugiendam vitandique erroris caussa invaluit per eadem tempora illa consuetudo, ut *qui &*, nec non *sive* adderent, ut ostenderent, hominem alio Nomine ab aliis dici. Exemplorum cumulum fecit Fabrettus Inscr. pag. 145. & ante eum Carolus Comes de Malvasia in Marmorib. Felsin. pag. 460. quibus nunc addo titulum Bruxellis ad me missum.

D.

D. M.
TI. CLAVDIO
NICEROTI
QVI ET ASIATI
CVS LIVI QVIN
TILIA CONIVGI
PIISSIMO ET DVL
CISSIMO FECIT
V. A. XXX.

In Indice, quem Plinius Hiſtoriae Naturali praemiſit, hi notantur, inter Auctores, ex quorum monumentis libros ſuos inſtruxit, libri ſecundi, *L. Aquila, qui item Sergius Paullus.* Idem fuit olim in Indice lib. XVIII. ubi nunc prius nomen extritum. In aliis Indicibus eſt *Julius Baſſus, qui item Antonius Baſſus.* Libr. XXXIII. & XXXIV. *Sextius Niger, qui item Fabius Veſtalis.* Nec abſtinuerunt a conſuetudine illa liberorum hominum adoptandi aliud nomen etiam ſervi, niſi mavis, non ſervos ſibi ſumſiſſe ea, verum a dominis impoſita fuiſſe, aut in vulgo atque a familiaribus adjecta. Nam in l. 14. ff. de fideicommiſſ. libertat. *Eros* eſt, *qui & Pſyllus.* Cave tamen inde arguas, ſervos binomines de more fuiſſe. Nam Pſyllum dictum puto vel ab arte, vel a natione, quae venenum ac virus exſugebat. vid. Sueton. in Aug. cap. 17. & praeterea Plinius, Dion. Caſſius, alii. Marmor Felſin. pag. 460.

D. M. IANVARIO QVI ET CONSTAN
TIO SERVO INNOCENTI
SSIMO.

Alias Januarius & Conſtantius liberalia nomina ſunt.

CAPUT VIII.

De Nominibus Servorum & Libertinorum.

Quae genera Servorum. Libertinorum olim unum genus, ſed mox plura facta. Lex Junia Norbana. Libertini Juniani. Lex Aelia Sentia. Dedititii. Doſitheus laudatus. Quo loco Juniani, quo Dedititii. Utrique promiſcue liberi & Servi dicti. Habuerunt duo aut tria, & liberalia Nomina. Inde Servi duobus tribusve Nominibus praediti. Latini Juniani in libertate morari dicuntur. Vivunt ut liberi, moriuntur ut ſervi. Bona eorum peculio accenſebantur. Multa de eorum conditione. Tacitus expoſitus. Statu liberi, fideicommiſſa libertate ornati, in libertatem qui adſerebantur, Romana Nomina uſurparunt, quantumvis ſtatu dubio, l. 11. C. de fideicommiſſ. lib. expoſita, item l. 1. & l. 10. ejusdem. Primus, Mercurialis, liberorum hominum & ſervorum Nomina. §. 1. J. de eo cui libertat. cauſſ. explicatur. Theophili ſententia deſtituitur. Extranei etiam admiſſi, ad bona obaeratorum, libertatum ſervandarum cauſſa. Fruſtra Novellae Conſtitutiones Juſtiniani de Servis marmorum titulis accommodantur. Suetonius illuſtratus. Meliſſus Maecenatis ſervus qua conditione fuerit. Latini Juniani bis manumiſſi. Iteratio quid. Qui gradus in Amicitia. Manumiſſio inter Amicos quae. Qui Grati dicti inter Amicos. Doſitheus expoſitus. Servorum metus qui. Non primus Auguſtus mitigavit Servorum conditionem, ſed & ante eum Praetor. Morari in libertate quid. Iſidori multiplex error demonſtratur. Libertini qui. Liberos confirmare quid. Iterata Manumiſſio.

Servi fuerunt aut Deorum aut hominum. Hominum fuerunt aut publici aut privati. Publici fuerunt Magiſtratuum, Societatum, Fanorum, Caeſarum. Privati hominum privatorum. Qui Servi privati omnes uno loco fuerunt, tametſi ordine diverſi. De Servis privatis dicam primum, quia illi majore numero, & notiores. Dicam autem pauca, quia omnia plana & vulgatiſſima. Quandoquidem nec familiam Romae habebant, nec tribum, imo vero in plerisque cauſſis non hominum, ſed numero rerum cenſebantur, inde uno tantum Nomine, ut res caeterae, fuerunt dicti ex more Romanorum antiquiſſimo, qui nunquam in eo populo fuit mutatus. Servis

vis privatis adjungo Libertinos privatos. Fuerunt etiam Liberti Deorum, ſed ii parum faciunt ad noſtrum inſtitutum, quo in diverſa Nomina inquirimus, pauca de illis a nobis proferentur deinde. Libertini privati, id eſt liberti privatorum, olim uno jure fuerunt, quod manumiſſione domini conſequebantur, id jus tale fuit, uti non liberi tantum haberentur, ſed & in populo cives eſſent, & tribum acciperent. Paullatim vero aliud genus libertorum eſt inventum, quorum jura multo anguſtiora erant, carebant enim civitate, nec niſi partem quandam libertatis habebant. Horum aliis Lex Junia Norbana jus tribuit par Latinis Colonis, qui eo tempore erant, quare & hi libertini Juniani fuerunt appellati, alios Lex Aelia Sentia Dedititiis aequiparavit. Lex utraque imperante Auguſto fuit lata. Nemo haec melius, quam Doſitheus, aut quicunque auctor regularum, quorum fragmentum inſertum eſt Schultingii Jurisprudentiae Antejuſtinaneae pag. 803. Qui tamen eos praeteriit, qui invito aut ignorante patrono civitatem Romanam fuerant adepti, de quibus cavit Trajanus. vid. §. 4. J. de Succeſſ. Libert. adſimilandi aliquatenus Junianis. Diſcrimen horum ſi animadvertas & conditionem utrorumque penſites, Junianos dicas medio inter liberos & ſervos loco fuiſſe, dedititios vero ſervis propiores. Latores legum, & qui eos ſequi ſolent Jurisconſulti, blandiore nomine (adſuerunt enim Romani miſerorum fortunas benigniore appellatione mitigare) liberos & libertinos vocant, alii autem conditionem eorum ex vero aeſtimantes, haud raro ſervos dixerunt, ſed liberalibus & Romanis Nominibus, id eſt, duobus aut tribus ornatos. Hoc enim obſervandum, quos domini ſibi libertos eſſe voluerunt, quocunque autem jure liberti illi erant, cives Latini, an dedititii, cum omnibus aequaliter nomina ſua communicaſſe. Servi, liberalibus Nominibus inſignes, hi ſunt, Sextus Pompejus Salvius Sexti Pompeji Servus. Bartolius in Veteribus Sepulchris pag. 42. figur 39. Murator. Inſcr. DCCCCXXXII. 2. Ibidem num. 3. Sex. Pompejus Voeſſigus (Bartolio eſt Voleſſigus) Sex. Pompeji Servus Tricliniarius. Imo in eodem lapide iidem homines & ſervi & liberti nominantur. Murator. DCCCCXXXII. 13. Aulus Terentius Auli libertus Papa Servus ad Aga. Item 15. Aulus Terentius Auli libertus Felix Servus Maecan. 16. Aulus Terentius Auli libertus Varro Servus pediſſequus. Viri docti alio rſum hos homines trahunt, cauſſasque ſollicite fingunt, quibus licuit ſervum pariter & liberum agere. Verum non opus eſt fictionibus illis. Quae leges, legum-

que interpretes de Libertis Latinis dedititiisque tradiderunt, dubiam illam fortunam, & duplex Nomen iis apprime convenire clamant. Justinianus in §. ult. J de Success. Libert. *Latinos Junianos dicit ut liberos vitam peregisse, ultimo vero spiritu libertatem cum anima efflasse, l. un. C. de Latin. lib. tollend. vixisse eos ut liberos, sed mortuos fuisse ut servos.* Quare vetusti fragmenti auctori, qui Dositheus esse creditur, ii in libertate morari dicuntur. Salvianus de avaritia lib. 3. pag 93. jugum & quasi servitutem dicit Latinae libertatis, additque, Latinos sub *libertorum titulo* (atque adeo sub usurpatione liberalium nominum, quae ex marmorum antiquorum titulis cognoscimus) *agere viventes*, sed negat, eos quidquam habere morientes. Imo vero nec testamentum facere, nec ex testamento aliquid percipere poterant. vid. Caji Institut lib. 1. tit. 1. § 4. & Ulpian. fragm. tit. 10. Quicquid vivi habent, non illis proprium est, sed peculio accensendum, capiebatque patronus non jure hereditatis, sed jure peculii, id quod vere traditum Theophilo ad §. ult. Inst. de Success. Libert. quare & peculium substantia Latinorum Junianorum appellatur in l. un. C. Th. de Hered. petit. ex qua lege porro intelligitur, quanto deterior fuerit eorum conditio conditione libertorum, qui optimo jure, id est, vindicta, censu, testamento, aut in Ecclesia erant manumissi, siquidem illi, qui eo jure manumissi erant, ob culpam aut delictum ad horum conditionem revocabantur. Non addo plura, satis enim superque constat, eo statu fuisse id genus libertorum, ut & servis & liberis accenseri potuerint, quare & Justinianus in l. un. C. de Latin. libert. tollenda, eandem eorum personam esse scribit, *in quam simul & libertas & servitus concurrant*, sortemque eorum *mediam* nominat. Et sunt illi, de quibus Tacitus Annal. lib. 13. cap. 27. post manumissionem adhuc vinculo servitutis attineri scribit. Manumissionem illam intellige, quae voluntate & nutu declarabatur, sexcentisque modis peracta est. vid. l. un. C. de Latin. lib. toll necessariamque habebat iteratam manumissionem ad consequendam legitimam & plenam libertatem. Ex iis, quae disputavimus, quisque intelligit, qui sint illi, qui in priscis monumentis promiscue servi & liberi designentur, id est, servi liberalibus Nominibus praediti. Et si Libertis Junianis servi Nomen haesit tributumque in monumentis est, quanto magis id haesisse dicemus dedititiis, lege Aelia Sentia factis, quos vanum nomen libertatis Justinianus dicit in l. un. C. de Dedit. Libert. toll. Eosdem tamen liberalibus civium Romanorum Nominibus appella-

tos

tos nemo ambiget, qui noverit, eos Libertinorum ordini a Jurisconsultis inferi. vid. §. 3. J. de Libertin. sed quia addit Imperator, diu ante sua tempora in desuetudinem abiisse hoc libertorum genus, credibile est, pauca admodum marmora ad eos pertinere. Libertis Junianis & Dedititiis subjungo statu liberos, atque eos, quibus fideicommissaria debebatur hereditas. Denique & illos, qui liberali caussa manu in libertatem adserebantur: Namque & ii per id tempus, quo caussa agebatur, pro liberis habebantur, si quidem vindiciae secundum libertatem dabantur. Livius lib. 3. cap. 44. Illos vero, quos dixi, omnes, quantumvis statu dubio & quasi ambustos, Romana Nomina usurpasse putem: ut fuit jactantius hoc hominum genus. Quare Tertullianus de Pallio, pag. 23. *Passivitas offert libertinos in Equestribus, subverbustos in Liberalibus, Dedititios in ingenuis, rupices in Urbanis.* Statu autem liber est, vid. l. 1. ff. de statu liberis, qui statutam & destinatam in tempus vel conditionem libertatem habet. Fideicommissaria libertas illi debebatur, qui a testatore jussus erat manumitti. Utrique quum animo, & spe praecipiebant libertatem, ipso nomine prae se ferebant, quantumvis adhuc servi. Atque inde Flaviano, cui rescriptum est ab Impp. Diocletiano & Maximiano in l. 11. C. de fideicommiss. libert. liberale nomen factum non dubito, competebat enim ei fideicommissa libertas, & manumissione opus erat, ad libertatem consequendam. Primus, ad quem est scripta lex 11. & Mercurialis, ad quem est l. 10. ejusdem tituli, & quibus fideicommisso relicta erat libertas, ambigua nomina sunt, servis & liberis gestata. Ad utros referam Bricenium, sive servum, sive libertum, qui est hoc titulo in lapide Gruteriano CCCLVII. 4. & Policletum, sive servum, sive libertum, nec non Septimiam concubinam, sive servam, sive libertam, apud Murator. MDCCXXXXIV. 3. non discerno. Bricenius & Septimia liberorum hominum Nomina sunt. Nec intercedo, quo minus ad dedititios, lege Aelia Sentia factos, imo ne quidem quo minus ad Latinos Junianos referuntur aliosque, quos ante nominavi. Non desunt, qui Popilium Rufum, ad quem exstat Divi Marci rescriptum in §. 1. J. de eo cui libertat. causs. bona addicuntur, statu liberum fuisse opinantur, quem Theophilus, in paraphrasi, servum fuisse putat, mihi vero is optimo jure liber fuisse existimatur. Nam si servus esset statu liber, aut si fideicommissaria libertas deberetur, necesse est, testatoris & patroni, qui Virginius Valens fuit, Nomen tulerit. Quare dicendum, Popilium Rufum non de familia Verginii.

ginii Valentis fuiſſe, ſed hominem extraneum, qui libertatum conſervandarum cauſſa bona obaerati ſibi addici poſtulavit. Admiſſos autem extraneos conſtat ex l. 10. ff. de teſtament. manumiſſ. l. 2. ff. de fideicommiſſ. libert. & l. 46. C. de Teſtam. manumiſſ. Non deſunt etiam, qui lapidibus & titulis, quos protulimus, libertates accommodant, quos Principes ſeriores conſtituerunt, Juſtinianus in pragmatica ſanctione, quam Latine ſcriptam edidit Julianus anteceſſor in Cap. 5. de Servis, qui tyrannorum tempore liberas duxerunt uxores, adde Conſtitutionem Juſtini de filiis libertarum in Africam directarum, apud eundem Julianum, nec non Novellam Leonis 100. & 101. Sed quia dudum ante perierant eae Provinciae, a Barbaris ſubditae, in quibus illi lapides inventi ſunt, quam leges illae ſunt latae, fruſtra ad alienas has leges decurritur.

Feſtinanti hinc mihi ad Servorum Publicorum Nomina, manum quaſi injicit Meliſſus Maecenatis Servus, cujus meminit Suetonius. Quanquam autem eum ſervum dicit, ex indiciis tamen non admodum obſcuris, collegiſſe videor, libertum eum Junianum fuiſſe, quos promiſcue ſervos libertosque nominatos oſtendimus: De hoc Meliſſo ita Suetonius de Illuſtr. Grammat. cap. 1. *Ac Maecenati pro Grammatico muneri datus eſt. Cui cum ſe gratum & acceptum in modum amici videret, quamquam adſerente matre, permanſit tamen in ſtatu ſervitutis, praeſentemque conditionem verae origini antepoſuit, quare cito manumiſſus.* Nam quod dicit, amici in modum acceptum fuiſſe domino, eam voluntatem arguit, quam Doſitheus tradit ſuffeciſſe olim, ad eam libertatis ſpeciem, quam Junius lege ſua Latinitati dein adaequavit. Suetonius, verborum ſi quis unquam diligentiſſimus, non eum libertum dicit, quod jure antiquo libertus non erat, id eſt, legitimam libertatem non habebat. Rem enim actam puto ante legem a Junio latam, qua lege, illi, qui iſto modo manumiſſi erant (manumiſſos dico, quia ſcriptores antiqui ea voce utantur, tametſi dicendum verius, a ſervorum numero ſecretos & ſejunctos fuiſſe) libertorum Junianorumque Nomen acceperunt; neque me dimovet ab ea opinione, quod dein eum manumiſſum ſcribit Suetonius, nam ut juſtam, legitimam, & plenam libertatem conſequeretur, iterum manumittendus erat a domino, quam iterationem nominat Ulpianus tit. 3 §. 1. & 4. porro illa verba, *cui cum ſe gratum & acceptum in modum amici videret*, ipſam illam manumiſſionem, quam inter amicos nominabant, ſignificare mihi videntur. Solet enim Suetonius, non verba obvia arripere, ſed

fed fumma arte fummoque judicio, Taciti & Plinii aequalium fuorum more, vocabula rei accommodatiffima, deligere. Manumiffio enim inter amicos, non ea eft, quae vulgo exiftimatur, amicis adhibitis facta, fed teftificatione & declaratione amicitiae, cum dominus Servum in amicitiae partem recipit, quantumvis extremam. Qui in ultimo hoc amicitiae gradu haerebant, hos gratos appellare maluerunt nonnulli quam amicos. Eundem gratorum gradum inter comites peregrinationis expeditionumque fecit Tiberius. Vide Sueton. in Tiber. cap. 46. Vides, quo modo damnatam a multis vocem *gratorum* in illo Suetonii loco tueri liceat, de qua re plura dixi in iterata Refcriptorum meorum de Catone editione cap. 2. ad hoc Catonis Diftichum.

Gratior officiis, quo fis mage, carior, efto. Ad rem, quam difputavi, de ambigua libertorum, quos Augufti aetas Latinos nominare coepit, libertate, etiam illud pertinet, quod addit Dofitheus, non effe eos liberos, fed domini voluntate in libertate morari, & tantum ferviendi metum dimitti. Servorum metus, erant verbera, fidiculae, five equuleus, & crux. Oftendit ergo, hoc eos confecutos fuiffe, ut non fervilibus verberibus, quaeftionibus, & poenis afficerentur. Pertinet & illud quod fequitur, *Ili autem, qui domini voluntate in libertate erant, manebant fervi, & manumiffores audebant* (lege *fi audebant*, id eft, fi aufu conabantur) *in fervitutem denuo eos per vim ducere, interveniebat praetor & non permittebat manumiffum fervire.* Quanquam in multis caufis fervi habebantur id Libertorum genus, quia tamen Servorum numero exemerat eos Dominus, noluit Praetor, aequitatis cuftos, eos violenter haberi a Domino. Obfervandum hoc, ex quo perfpicimus, non primum Auguftum, quod plerique exiftimant, infregiffe dominorum in fervos poteftatem, permiffa fervis copia confugiendi ad ftatuam Principis atque adeundi Praefectum Urbi, vid. l. 1. §. 1. ff. de Offic. Praef. Urb. fed jam ante nonnulli Servorum generi, de atrocitate Dominorum querenti, fuccurriffe Praetorem dicit Dofitheus, eos in libertate morari, nec tamen liberos effe, id illuftratur autem egregie ex refcripto Imperatoris Alexandri in l. 4. C. de fideicom. libert. Ubi in libertate morari dicitur ea, quae quidem quodammodo libera eft, nec tamen iterum manumiffa. Si autem moratur domini voluntate (quae fola, ut docuit Dofitheus, fufficit ad latinitatem) ad hoc libera cenfetur, ut ingenuos pariat, fin contra voluntatem, fervos. Eadem voce de legitimis utitur Juftinianus in l. un. pr. in fin C. de

de latin. libert. tollend. Non tempero, quin addam egregium atque insignem locum de libertis, ac praecipue de libertis Junianis, quem prodidit nobis Isidorus Origin. lib. 9. cap. 4. sed misere contaminatum, neque enim ipse percepit, quid scriberet. Quanquam autem haud raro is aberrat a sententia eorum, quos describit, nusquam tamen is aut fallax magis, aut magis ineptus, quam in Jurisconsultorum scriptis interpretandis. Ita autem ille: *Libertus autem vocatus quasi liberatus. Erat enim prius jugo servitutis addictus. Libertinorum autem filii apud antiquos libertini appellabantur, quasi de libertis nati*, (quod de libertinis libertorum filiis dicit, ignoratur aliis, traditum tamen a Suetonio in Claud. cap. 24.) *Nunc vero libertinus, aut a liberto factus aut possessus*, (non equidem novi hanc adsignificationem) hoc, credo, omnibus notum, Libertos dictos respectu patronorum, libertinos vero respectu aliorum hominum & conditionis suae. Pergit Isidorus *manumissus dicitur, quasi manu emissus, apud veteres enim quando manu mittebant, alapa percussos circumagebant, & liberos confirmabant.* Is, quem secutus est Isidorus, alapa percussum & confirmatum dixerat Junianum libertum, quod aliorsum transtulit Isidorus. Juniano liberto opus fuit iterata manumissione, quam iterationem nominat Ulpianus, Tit. 3. §. 1. & 4. ad adipiscendam plenam libertatem civitatemque Romanam. Manumissio prima nutu domini fiebat, & quacunque voluntatis declaratione, qua manumissione servus fiebat libertus, sed Junianus, at vero manumissio iterata peragebatur apud Praetorem aut Proconsulem, qua confirmabatur manumissio prior, fiebatque alapa inflicta, qua libertus Junianus fiebat civis Romanus: illis subdit Isidorus: *Dedititii primum a deditione sunt nuncupati. Deditio enim dicitur, quando se victi aut vincendi hostes victoribus tradunt. Quibus haec origo nominis fuit, dum quondam adversus populum Romanum servi armis sumtis dimicassent, victi se dederunt:* hoc falsum, & jocularis error hominis, non distinguentis dedititios hostes & dedititios servos, quos servos hostium victorum conditioni aequiparavit. Unde Theophilus Institutor. lib. 1. tit. 5. *ὀνόμασε δὲ αὐτοὺς δεδιτιτίους κατὰ μίμησιν τῶν περεγρίνων, nominavit dedititios ad exemplum peregrinorum.* Pergit ita Isidorus: *Ex his quidam* (dedititios hostes sentit, idque falsum, verum id tamen de dedititiis ex lege Aelia Sentia factis.) *postea a dominis manumissi propter suppliciorum notas*, (stigmata intellige, ob scelus servis inusta, de quibus Jacob. Gothofred. ad l. 2. C. Th. de poenis) *quas manifeste perpessi*

pessi sunt, ad dignitatem civium Romanorum non pervenerunt. Latini ante Romam conditam apud Latinos fiebant (iterum Latinos, Latii gentem, & Latinos Junianos miscet, legerat, servos, per epistolam, aut alios quosdam modos libertatem adeptos, sive manumissos, non item manumissos testamento, Junianos fieri, atque hinc error: Hoc vero ineptissimum quod addit. *Inde quia per testamentum non fiebant, nec ex testamento aliquid capere, nec suos heredes facere poterant*, qua consequentia nihil nugacius. Hoc tamen verum de Junianis Latinis, caruisse eos utraque testamenti factione. *Cives Romani postea sub consulibus per testamenta in urbe Romana effecti sunt:* legerat aut fando cognoverat, eos, qui testamento manumissi erant, cives Romanos factos, horum verborum intellectum cum non adsequeretur Isidorus, aliena & absona commentus est. *Dicti autem cives Romani, quia in testamento liberi effecti in numerum Romanorum civium rediguntur. His primum aditus erat in urbe Roma commorari, caeteris autem liberis prohibebatur, ne vel in urbe Roma, vel intra septimum ab urbe milliarium commanerent.* Incredibilem Hispalensis Episcopi stupiditatem nota, nihil eorum sentientis, quae prae manu erant. Legerat ille, manumissis testamento aditum fuisse ad civitatem Romanam, id est, consecutos eos fuisse jus civitatis Romanae, ille vero verba ita accepit, ut putaret, manumissis testamento aditum fuisse permissum in urbem Romam, caeteros autem libertos ab ea urbe fuisse prohibitos. Legerat ille, Latinos libertos morari in libertate, eo significatu, quem paullo ante ex Dosithei fragmento explanavi, at vero Isidorus commorationem in urbe Roma interpretatur. Legerat de relegatione ingrati liberti, qui civitatem amittebat & Latinus Junianus fiebat, hoc ille omnibus libertis tribuit. Dabitur forte aliis aliquid auri ex hoc stercore atque Augiae stabulo colligere, si liceat investigare ex eo lapidem & terminum relegationi libertorum positum, quo de certantem vide Jacobum Gothofredum ad l. un. C. Th. de Heredit. petit.

CAPUT IX.

De Nominibus Servorum Publicorum.

Servi Publici qui. Servorum Publicorum duo genera. Eusebii locus expositus. Servi Publici Libertini. Varro emendatus & illustratus. Servi Municipiorum & Coloniarum. Ornare quid. Publici ex Libertinis sumti Fuerunt ministri Magistratuum. Tacitus illustratus. Decuriae nempe scribarum. Lapis Gruterianus expositus & tentatus. Servi librarii qui. Petronius expositus. Marmor Montfauconii illustratum. Servi Publici unde Nomina adsumserint. Item Collegiorum Publici. Publicus Rubrianus unde dictus. Proximus Publicus, id est, ordinarius. Proximus, id est, primi ordinis. Florus expositus. Fabrettus refutatus, multi hoc nomine inter officia domus Augustae. Publici civitatium nomine dicti. Liberti privatorum facti Servi Publici. Unde terminatio nominum eorum in anus. A Muratorii sententia disceditur semel iterumque. Lipsii error. Cornelii Liberti, qui. Fabrettus notatus. Publicorum Servorum & libertorum jura conveniunt. Marmor Felsineum nove expositum. Celeja Colonia a Tiberio Caesare deducta. Fabretti laus. Publici nomine collegii dicti. Fuerunt & Publicae Collegiorum. Publicae nonnullae ingenuae. An Publici proprio nomine Publicii dicti.

Servi Publici, qui & uno nomine Publici appellabantur, erant servi populi, non tantum Romae, sed & in Municipiis & Coloniis. Eorum duae species erant, alii servilis & infimae conditionis, alii honestioris. Illi eadem conditione, qua servi privati, hi autem libertis aequiparabantur. Illi, ut est in l. ult. C. de servis fugitiv. fabricis, atque aliis operibus publicis deputati erant. Hi magistratuum, templorum, sacerdotum, aliorumque Collegiorum ministeriis inserviebant. Fabricis accenseo Gynaeceia, de quorum servis ita Eusebius in vita Constantini lib 2. cap. 20. καὶ τοῦς γυναικείοις δ' ἔργοις ἐφ' ὕβρει, καὶ ἀτιμίᾳ δυλεύειν κριθέχτας ὁμοίως τοῖς λοιποῖς ἠλευθέρως. *Quotquot ignominiae caussa gunaeceis mancipati fuerant, eos perinde ac caeteros liberavit.* Quanquam autem ministeriis operantes vulgo servi publici appellabantur, vere tamen liberti erant, neque raro hoc nomine sunt dicti. Exposuit Nomina & originem Nominum

minum, nec non conditionem eorum Varro de Ling. Latin. lib. 7. in fin. Sed verbis, ut nunc circumferuntur, admodum contaminatis & male dispositis. *Habent*, inquit, *plerique libertini a municipio manumissi* (nomen ab oppidis) *In quo ut societatum & fanorum servi, non servarunt proportionem & rationem. Et Romanorum liberti debent dici, ut a Faventia Faventinus, a Reate Reatinus, sic a Roma Romanus. Ut* (rescribe *At*) *nominantur a libertinis orti publici servi Romani* (imo vero *Romanis*) *qui manumissi ante, quam sub magistratus nomine, qui eos liberarunt* (lege *eos liberos ornarunt*) magistratus accipe dictum collective, quod si non placet, per me licebit legas *ornavit*) *succedere coeperunt.* Hoc significat Varro, in nominandis populi Romani servis, non eam rationem fuisse observatam, quae obtinuit in appellandis servis aliorum populorum (servos municipiorum & coloniarum designat.) Nam ut servi municipii Faventiae Faventini fuerunt dicti, Reatis Reatini, Romani populi servos eadem ratione debuisse nominari Romanos. At vero factum fuisse, ut ii a Romanis non Romani dicerentur, sed simpliciter servi publici appellarentur, non addito populi nomine. Tenuisse autem servos publicos unum illud Nomen Romae non in perpetuum, sed accessisse dein iis alia Nomina, quae dum accedebant, cum illi servi coeperunt succedere in Nomina magistratus, qui eos liberos (id est, posteaquam facti sunt liberi) ornavit, id est, ministeriis illis, de quibus ante dixi, condecoravit. Nam ut ingenui ornari dicuntur, qui imperio aut honore augentur, sic ministeriis servus publicus aut libertus, qui ministerio. Publicos servos a libertinis ortos dicit, non quod nati essent ex libertinis, sed quod ex libertinis essent publici facti. Sciendum namque, servos publicos, ministeriis destinatos, non fuisse sumtos ex servorum numero, sed ex ordine libertorum, atque eorum, qui jam ante manumissi erant & servitute liberati. Sciendum porro, ex illis Publicis, magistratus delegisse sibi ministros ad acta conficienda, & ea peragenda, quae cujusque magistratus erant propria, qui Actores, Tabelliones, lictores, aliisque nominibus appellabantur, quorum frequens mentio in legibus & scriptis jurisconsultorum, & in plurimis monumentis vetustis. Quae cum cogites, perspicies facile, quid Tacitus velit lib. 13. Annal. cap. 27. ubi ex libertorum ordine, Tribus, decurias, ministeria magistratibus & sacerdotibus orta scribit. Decurias is dicit scribarum, qui & ipsi inter ministeria magistratuum, quae latissime patebant, innumeris appellationibus distincta. Instar om-

omnium mihi erit hoc loco lapis ille Gruterianus DCXXVII. 3. non unam ob cauſſam memorandus:

Q. FABIVS. AFRICANI. L. CYTISVS
VIATOR. QVAESTORIS. AB AERARIO
SER. LIBR. TRIBVNICIVS SER LIBR
QVAESTORIVS TRIVM DECVRIARVM
C. CALPETANVS C. L. GLYPTVS VIATOR
PVLLARIVS PRIOR VIR CVLICINAE
L. NYMPHIDIVS. L. L. PHILVMENVS SER. LIBR
Q. III. DECVRIARVM CYTISI FRATER
PIVS ET FIDELIS
C. PROCVLEIVS C. L. HERACIO CVLICINAE
PATER
PROCVLEIA STIBIAS MATER CVLICINAE
ET LIVIAE DIVAE AVG L
CVLICINA PLACIDIENA L. F. AGRESTINA.
CALPETANI LIVIAN. PRIMIPIL
Q. IVLIVS FAENTINVS ALVMNOS CVR
ARTIFICIBVS POSVIT.

Ex hoc marmore intelligimus, fuiſſe publicos ſervos ex ordine libertorum. Intelligimus praeterea, quae munera ſive miniſteria obierint. Q. Fabius Africani libertus Cytiſus fuit viator Quaeſtoris ab Aerario, fuit praeterea ſervus librarius Tribunicius, ſervus librarius Quaeſtorius trium decuriarum. Lucius autem Nymphidius Lucii libertus Philumenus ſervus librarius Quaeſtorius trium decuriarum fuit. Calpetanus hic Livianus dicitur ex liberto C. Livii aut Liviae factus ſervus publicus viator. Sed quid hoc Primipil. Num primum pilum duxit Libertus inter eos libertos, quos militiae adſcripſit Auguſtus, de quo Sueton. in Aug. cap. 25. Calpetanum ſaeculi Auguſti eſſe ex verſu 13. ſuſpicari licet? Sed malo, in verſu 15. PRIMIPVL id eſt, primi pullarii, nam in verſu 6. appellatur pullarius prior. Qua dignitate fuerint ſervi hi librarii, cognoſce ex hac lege Conſtantii & Juliani 1. C. Th. de Decurial. Urb. Rom. lib. 14. tit 1. *In decuriarum ordine (niſi cui librariorum vel fiſcalium, ſive cenſualium nomen eſt) nequaquam aliquis locum primi ordinis adipiſcatur.* Tuum nunc erit exiſtimare, malisne Servorum Librariorum, ſimiliumque decurias exiſtimare, quas Trimalchio

chio libertus ostentat in epitaphio suo apud Petron. cap. 71. an judicum, quos voluit Nicol. Heinsius in notis ad illum Petronii locum. An & illae sunt Scribarum decuriae, quas Consultissimus Trotzius in notis ad Hermannum Hugonem de Prima scribendi origine, pag. 462. ad altiorem locum extollit? Verum de eo forte alias. Cum maxime marmoris a Montfauconio in Diar. Ital. pag. 262. & male tentatum accipe.

D. M.
L: FABRICI. L. F. PAL
CAESENNI. GALLI. EQ. ROM
PONTIF. L. L. SCRIB. AEDILIC
OMNIBVS. HONOR. IN. CO ST. F
ITALICVS P. DIGNISSIMO

ita expedio: Dis manibus Lucii Fabricii Lucii filii Palatina (tribu) Caesenni Galli Equitis Romani pontificis Laurolavinatis, Scribae aedilicii omnibus honoribus in Colonia Stabiana functi Italicus patri dignissimo. Servorum Publicorum ergo ministeriis fungentium, ut mihi quidem compertum, cum ex Varrone, tum ex aliis, ratio haec fuit. Eligebantur illi ex iis, qui manumissi erant aut a republica aut ab hominibus privatis. Rempublicam dico aut Romanorum, aut Municipiorum & Coloniarum. Illi uno nomine appellabantur Romae Publici vel servi Publici; In municipiis & Coloniis dicebantur nomine eorum Municipiorum & Coloniarum. Hi nomine Patroni. Sed illi omnes mutabant, nomen cum ornarentur, id est, cum ministerio alicui admoverentur; tunc enim succedebant in Nomina magistratus ornantis, id est, ejus, a quo beneficium illud acceperant. Collegiorum Publici, in quorum numero etiam Publici sunt fanorum, ab ornante non tantum, sed nonnunquam etiam ab ipso Collegio nomen induebant. Publici, ex privatorum libertis facti, patroni nomen retinebant, sed in anus mutatum. Dicam de singulis, sed promiscue, ut quodque marmor obvium. Gruterus pag. 624. 6.

EVVODO
PVBLICO
RVBRIANO

Rubrianus eſt municipii Rubriarum, quas Martialis breves nominat, lib. 4. epigr. 64. Memorandus non uno nomine hic lapis eſt Fabretti Inſcr. pag. 302. 285.

DIIS
MANIBVS
C. FABRICI. C. L
VOL. PROXIMI
TOLOSENSIS
C. FABRICIUS
VICARIVS
PATRONO. BENE
MERENTI. FECIT
IN FRONTE. P. VII
IN AGRO P. VII.

Primo Publicum adſpicimus, liberalibus Nominibus praeditum, ſecundo eum nominatum ab oppido Toloſa, quae Galliae Narbonenſis Colonia fuit. Et, quod porro obſervandum, idque eo magis, quia fugit perſpicaciam Fabretti, Proximum dici ſervum Publicum ordinarium, vicarium vero extraordinarium, qui vicariam ordinario operam praeſtabat. Dubitavi aliquando, an ejusmodi proximus accipiendus, cui ſuam necem mandavit Caſſius. Flor. lib. 4. cap. 7. *uni de proximis auferendum praebuit caput.* Pindarum eum libertum fuiſſe, ex Valerio Maximo atque ex aliis novimus. Grutero 630. 6. memoratur *M. Valerius Achilleus Lictor Proximus Laurolavinas*, id eſt, lictor Ordinarius, aut Ordinariorum primus. Apage ergo libertos ab hoc loco, qui in ſervitute apud dominos remanſerunt, quos comminiſcitur Fabrettus. Muratorii eſt MCCCCXIV. 9.

QVOT FECI STVDIO PROXIMVS ISTE MEO

Id quod de medico dicitur. Erit ergo medicus Proximus, qui intra numerum eſt, ſive in eo numero eſt, qui cuique civitati erat praefinitus ex Reſcripto Antonini Pii l. 2. ff. de Excuſat. Tutor. niſi mavis primum intelligere, in numero ordinariorum. Ita namque in gloſſis juris πρόξιμος ὁ πρῶτος. Convenit hoc Africani in l. 34. ff. de Vulgari & pupill. ſubſt. *Proximus non ſolum is, qui ante aliquem,*

quem, sed etiam is, ante quem nemo. adde l. 92. de V. S. Inter libertos Caesaris proximos multos reperias, officiis praepositos, Gruter. MCXI. 11. T. Flavius Palatinus Aug. L. Proxim. DLXXXIX. 9. Soter Aug. lib. Proximus Tabul. Rationis patrim. Sunt & alii honestiores proximi, majoribus officiis praefecti, de quibus in Titulo C. Th. 26. Lib. 6. qui est de Proximis Comitibus dispositionum caeterisque. Sed missos facio Proximos, atque ad servos publicos revertor. Accipe autem Publicos alios civitatium nomine dictos, Pisaurios, Aricinos, Sassinates, Sassinatiosque & Vejentios, additis liberalibus Nominibus. Illorum monumenta proposuit Fabrettus Inscr. pag. 433. & 435. Libertos illos civitatium servos Publicos fuisse, cum aliunde scimus, tum ex hoc lapide Fabretti pag. 435. n. 19.

DIANAE AVG
COLLEG. LOTOR
SACR
PRIMIGENIVS R. P
ARICINOR. SER. ARC
CVRATOR II CVM
M. ARRECINO GELLIANO
FILIO CVRATOREI

Vides, Primigenium Reipublicae Aricinorum servum dici, qui ex nomine liber cognoscitur, & ex arcae cura, Publicus. Filius Gellianus cognominatur, quod ante Gellii libertus fuerat, aut ipse aut pater, quam Aricinorum servus Publicus factus. Sic eodem Fabretto teste pag. 435. n. 18. Reatinus Sallustianus reipublicae Reatinae libertus vocatur, quod Sallustii libertus ante fuerat. Liberti enim privatorum haud raro emolumentorum spe transierunt traditique sunt in ministeria civitatium, collegiorum, & Caesarum. Tabulam istiusmodi Nominum in anus desinentium ob oculos ponit idem Fabrettus pag 336. quam nullo negotio augere licebit. Murator. MCCLXXXXIII. 10. Publicus Minicianus id est, Minicii vel Minucii libertus. Aliter Muratorius, sed perperam. Idem DCCCLXXXXIII. 6. Philippus Ruffianus publicus ab Sacrario. Gruter. XXI. 11. Successus, publicus municipum Asisinatium servus Amoenianus. Plura dabit Hulkmannus, eruditione & multarum linguarum scientia ornatissimus juvenis, in disputatione de servis binominibus pag. 42. De Helio Asiniano publico Augurum, quo de Comes Carolus Malvasia

vasia in Marmorib. Felsin. pag. 498. nec non Fabrettus & Muratorius, dixi in Miscellan. Observ. novis anni 1742. pag. 204. Eadem ratione Nomina servorum Caesaris in anus terminata deinceps videbimus. Hoc perperam Fabrettus pag. 237. Lipsium errantem secutus, quod Felicem Cornelianum ex illis proscriptorum servis fuisse scribit, quos Sylla Dictator suo nomine Cornelianos nuncupavit, teste, quem addit, Appiano lib. I. de bello civ. neque enim ille proscriptorum servos liberavit, sed hostes in bello captos, neque, quos liberavit, servos publicos fecit, sed cives Romanos, neque Cornelianos dixit, sed Cornelios. Hoc etiam perperam Fabrettus, quod pag. 337. Evvodi cognomen Rubrianum ab homine dictum existimat, est enim a municipio repetitum, ut iam ante docui. Per me licet blandiatur sibi Fabrettus pag. 434. regula a se inventa, quam nemini ante animadversam scribit, qua ostendit, Publicos servos oppidorum Nominibus nuncupatos fuisse, modo sciat, ex Romanis id dudum Terentium Varronem docuisse eo in loco, qui ante a me est explanatus. Ad extremum quod monet pag. 434. ad n. 13. publicis servis manumissis Nomen oppidi cum libertate fuisse datum, id verum non est. Nomen oppidorum, id est, municipiorum adepti sunt, cum publici servi fierent, non autem tum, cum Publici facti manumitterentur. Manumissos fuisse servos, ut Publici fierent, maxime servos privatorum, scio; Dein eos iterum manumissos, ut liberi fierent, non ausim affirmare. Hoc scio, Publicos liberorum jura & Nomina habuisse, atque in illis jus testamentum faciendi pro parte dimidia. Vid. Ulpian. Tit. 20. §. 16. quod jus inter libertos qui habebant, optimo jure liberi erant, nec indigebant iterata manumissione, ut ante docui. Nec video, quid iterata manumissio Publicis tribuerit. Scio, unum iis defuisse, ingenuitatem nempe, verum ea non manumissione fuit impertita; aut a Magistratu, sed indulgentia Principis. vid. infra cap. 13. Habuerunt praeterea liberos, posteros. Murator. MDXXX. 2. Ubi Hermes Publicus servus dicitur fecisse monumentum sibi, suis, posterisque eorum. Id quod & fecit Laetus Publicus Populi Romani in Marmorib. Felsin. pag. 371. Hebdomacus Publicus Duumvirorum Cereri Augustae & Herculi Augusto votum reddidit ob libertatem in Marmore Muratoriano XIX. 6. quod Marmor aliter exposui in Miscellan. Observ. anni 1742. pag. 203. quam sententiam nunc repudio. Non me fugiunt ea, quae de servis reipublicae manumissis & ex lege Victibulici (si tamen eo nomine

mine lex fuit) atque ex jure Justinianeo sententiae meae opponi queunt, quo minus autem excutiam illa hoc loco, instituti mei ratio prohibet, quae Nominum doctrinam, non juris a me requirit. Illud tamen tenendum, non eandem semper Publicorum omnium conditionem atque eadem jura fuisse. Hoc vere & pulchre Fabrettus pag. 434. ad n. 15. quod Coloniae Celejae libertum (municipium illud in Noricis fuit) Tiberium Claudium appellatum scribit, quia Colonia illa Claudia fuit dicta. Cui & hoc addo, videri praeterea existimandum ex eó nomine, Coloniam illam a Tiberio Caesare fuisse deductam. Vere etiam illud odoratus est, qua fuit sagacitate Fabrettus, Collegiorum Publicis ex Collegio nomen inditum fuisse. Egregius est lapis, quo ille sententiam suam confirmat, pag. 434. n. 13. dignusque, qui hoc loco spectatur.

FABRICIAE
CENTONIAE
ARETHVSAE. VXORI
OPTIMAE ET CHRESIMAE
FILIAE CARISSIM
FABRICIVS CENTONIVS
COLLEGIORVM LIB
CHRESIMVS

Libertus fuit non unius collegii, sed collegiorum, desiderantur collegiorum Nomina, quae addi solent, sed ita desiderantur, ut ex Nominibus liberti nullo negotio quivis deprendat, sunt enim collegia Fabrorum & Centonarionem, & quia uxor iisdem Nominibus praedita fuit, existimandum est, Publicas etiam collegiorum fuisse, id quod & annuit hic lapis Gruteri pag. CCCVIII. n. 4.

CASPONIA P. F.
MAXIMA
SACERDOS CERERIS
PVBLICA.

Qui lapis etiam ob id dicendus, quod Publica in eo non liberta sit sed P. F. id est, ingenua, unde perspicimus, aviditate lucri & quaestuum, quos uberrimos credo redundasse ex ministeriis illis, nonnullos ingenuos fuisse inductos, ut se in illam libertinitatem darent,

aut conditionem, libertinis proximam, eandem ob cauſſam ingenuos factos eſſe ſervos Caeſaris, dein demonſtrabimus. Hoc unum addo, videri Fabretto nonnullos publicos a conditione ſua Publicos fuiſſe dictos pro Nomine, ex hoc marmore Gruter. LXXXIII. 13.

ISID. REG
L. PVBLICIVS EVTYCHES
MVN. TAR. LIB

id eſt, municipii Tarviſini libertus, cui addo ex Murator. MMLII. 2. Sed de eo nec quod negem, nec quod adfirmem habeo. Publiciorum namque antiquum & nobile Nomen eſt.

CAPUT X.

De Nominibus Servorum Caeſaris.

Servi Caeſaris peculiares, qui, qui fiſcales. Servi Fiſcales fuerunt eo jure, quo ſervi Publici. Peculiaris locus. Suetonius expoſitus. Qui peculiares ſervi privatorum. Carpus & hominis & miniſterii Nomen. Servi Caeſaris honeſtiore loco, & libertini. Miniſteria eorum honeſtiora. Aurelius Victor expoſitus. Servi Caeſaris tribus Nominibus dicti. Fuerunt & Servae Caeſaris. Lapis antiquus explicatus. Lotrix arenae. Marmora plura exponuntur. Servi Caeſaris Libertorum jure & Nominibus fuerunt. Nomen eorum in anus patronum deſignat. Ejus Nominis exempla proponuntur. Felix Libertus Antonianus. Taciti ſcriptura tentata. Felix Claudius dictus. Pallas libertus ex familia Antoniae ad Claudium tranſiit. Patrobius cur Neronianus. Memorantur Servi Caeſarum ex peculiaribus facti. Marmora plura explicata. Suetonii vera lectio inveſtigatur. Exempla eorum, qui ex libertis privatorum facti ſervi Caeſaris. Imo & ingenui facti ſervi Caeſarum. Servitus illa Caeſarum mitis fuit, libertati aequiparata, honorifica, & lucroſa. Saxa litterata expoſita. Ingentes ſervorum & libertorum Caeſaris divitiae. Opulentiores privati libertos aliorum ad ſervitia adbibuerunt. Petronius expoſitus. Cur Trimalchio Maecenatianus dictus.

Servi Caeſaris fuerunt aut peculiares, aut fiſcales. Peculiares fuerunt patrimonii privati Caeſaris, fiſcales patrimonii ſacri, ſive Prin-

Principalis. De duplici hoc Caesarum patrimonio vid. Gutherius de Offic. dom. Aug. lib. 3. cap. 27. Fiscalium servorum alii sordidis operibus, alii ministeriis Palatinis adhibebantur. Haud aliter ac Publici Servi, de quibus in superiori capite. Nam cum res sit publica Caesar, Ovid. Trist. Lib. 4. El. 4. v. 15. totiusque reipublicae caput & summa, quicquid Caesaris est, publicum fuit habitum, imo etiam majus quam publicum. Quae magistratuum sunt, ea vere publica dicenda, quod a populo data sunt, magistratusque populi personam sustinent, at vero Principes, quanto propiores Dis, tanto majores & populo & magistratibus, quare Principum quae sunt, non ea publica dicta, sed sancta, divina, coelestia & quae solenniores appellationes, Augusta, sacra. Quanquam ergo jura servorum Caesaris, & ratio eos appellandi (nam & libertorum Nomine appellabantur) qui ministeriis in Palatio fungebantur, conveniunt servorum publicorum conditioni, nunquam tamen servorum publicorum nomine sunt dicti. Istiusmodi peculiaris servi meminit Suetonius in Caesar. cap. 76. ubi docet, Caesarem peculiares servos monetae & publicis vectigalibus praeposuisse. Haud aliter dicuntur peculiares loculi, pecunia nempe Principis privata, sive privati patrimonii. Suet. in Galb. cap. 12. *Cuno autem choraulae mire placenti denarios quinque donasse, prolatos manu sua de peculiaribus loculis suis.* Plutarchus, eandem rem narrans, ut recte observatum Torrentio, dixisse Galbam ait, se de suo dare, non de publico. (Cave servis Caesarum peculiaribus misceas privatorum servos peculiares, qui pertinent ad peculium filiorumfamilias, ut in l. 13 ff. de jur. Patron. *Filiusfamilias servum peculiarem manumittere non potest, jussu tamen patris manumittere potest, qui manumissus libertus sit patris.* Horum etiam lapides vetusti meminerunt). Caesaris servus peculiaris est in hoc Marmore Muratorii, pag. DCCCLXXXXII. n. I.

CARPVS
T. CAESARIS
VESPASIANI AVG
SERVVS
VERNA PECVLIARIS
IVCVNDO VICARIO
SVO BENEMER

ubi aliena Muratorius. Agele Augusti verna peculiaris est in hac

Fabretti Inscriptione, pag. 295. n. 246. Vides, Carpum & Agelen peculiares uno servili nomine appellari. Carpus & hominis & officii servilis Nomen est, quod cum dicebat, eodem verbo & vocabat & imperabat Trimalchio, Petron. cap. 36. Quod attinet ad illos servos fiscales, qui ipsi Caesari ministrabant, ii omnes honestiori loco fuerunt, non secus ac servi publici, qui Magistratibus, & sacerdotibus operabantur. Quae ministeria, quia innumera sunt, non recensebo, nonnulla eorum illi lapides docebunt, quos ad investiganda Nomina producemus, ante vero quam lapides moveo, dicendum est, omnes illos Caesaris servos libertorum loco fuisse, liberalibusque Nominibus nuncupatos. Idque rationi fuit consentaneum, nam cum magistratuum etiam minorum servi, quos publicos diximus, libertorum ordini fuerunt inserti, liberorumque hominum Nominibus ornati, res ipsa postulare videbatur, ut Principis servi non inferiore loco atque honore essent. Egregie servum hunc Caesaris describit Aurelius Victor apud Julium Capitolinum in vita Opilii Macrini cap. 4., *libertinum hominem Servilibus officiis occupatum in domo Imperatoria.* Murator. Inscr. Thes. DCCCCIII. 1.

D. M.
T. FLAVIO SA
BINO. CAES. N
SERVO A RATIO
VOLVPT. VIX.
ANN. XIX. M. X.
FECIT
PAT. DOMITAN
CAES. SER. A CEL
ARIIS

Adspicis servum Caesaris tribus Nominibus de more liberorum hominum condecoratum. Intelligis praeterea, eum non in opere despicato aut sordido fuisse occupatum in Palatio, sed fuisse Principi a rationibus voluptatis, cujus servi pater fuit itidem Caesaris Domitiani servus a cellariis. Cellaria annonis adjungit l. 3. C. Th. de offic. Judic. omn. Consule praeterea Salmas. ad Lamprid. in Heliogab. cap. 26. Domitiani Nomen & acta arguit, illum T. Flavium Sabinum libertum fuisse T. Flavii Sabini, ejus, qui Pater fuit Vespasiani Imperatoris, vel illius, qui frater Imperatoris, de quibus Sueton. in Ve-

Vespas. cap. 1. utrumque Titi praenomine fuisse puto. Libertos autem privatorum hominum in servitutem illam Palatinam transiisse, mox docebimus. Idem Muratorius DCCCCVIII. 6

L. IVNIO FAVORIN
VIX. ANN. XXIII
CONSTANTI. AVG. VER
FECIT
IVNIA FAVORIN
AVG. N̄. SERVA
LOTAR

Qui vernae fuerint dicti, deinceps demonstrabimus. Cippum illum ad hoc potissimum ob oculos hic posuimus, ut ostendam, etiam Servas Caesarum fuisse liberorum Nominibus praeditas, atque in ministeriis Palatinis occupatas. LOTAR. Lotricem arenae designat. Pretiosissima namque arena lautiorum hominum pavimenta consperfa fuisse, aliunde cognoscimus, χρυσῖτιν nominat Synesius de Regno pag. 16. ubi vide Petavium. Heliogabalum scobe auri porticum stravisse docet Lampridius in Heliogab. cap. 31. Ubi & meminit aurosae arenae, γῆν χρυσίζουσαν nominat Herodianus lib. 5. cap. 6. Muratorius Inscr. DCCCCXII. 1.

D. M. S.
PARIS. IMP. DOMITIANI
AVG. GERMANICI. SER
MINISTRATOR. SIBI. ET
CLAVDIAE. AGATHVXE
CONIVGI BENEMERENTI
QVAE. VIX. ANNIS. XXI

Habes conjugem servi Caesaris liberali Nomine Claudiam. Quamquam autem servus Caesaris uno tantum Nomine in hoc lapide appellatur, non tamen dubitandum est, eum plura Nomina gessisse, factum enim id saepius est, ut unum tantum Nomen etiam ingenuorum hominum proscripserint, quos pluribus usos fuisse constat. Domitiani Augusti ille servus ministrator fuit, quo Nomine dicebantur pocillatores. Gruter. XXV. n. 12.

HERMEROS
TI. CLAVDII CAESARIS AVG
GERMANICI SER
THEAMIDIANVS AB MARMORIB
MAGISTER
FERONIAE ARAS QVINQVE
P. S. D. D.

Etiam ille ſervus Caeſaris ab Marmoribus uno Nomine dicitur. Libertum autem fuiſſe, cum alia indicant, tum illud, quod Feroniae aras dedit, quam libertorum Deam dixit Varro. vid. Serv. ad Virgil. Aen. 8. v. 564. Addit Servius, libertos in ejus Dei templo raſo capite pileum accepiſſe. Libertum eum porro arguit productio Nominus Theamidii in anus, quem morem ſupra attigi, cum de ſervis publicis agerem, communis enim is ſervis publicis & ſervis Caeſaris fuit. Illud autem Nominis deſignat patronum, ex cujus familia ſeſe in ſervitium Caeſaris aut magiſtratuum contulerunt. Retinuerunt autem prioris domini ſive patroni Nomen, ad teſtificandum illud jus, quod ei debebant, debebant autem morientes partem bonorum ſuorum, haud ſecus atque illi ſervis aut libertis, niſi aliter fuerat pactum. Varias autem ſtipulationes interceſſiſſe puto, vide §. 1. Inſtitut. de ſucceſſ. Libertor. Exempla mutati in anus Nominis patroni haec accipe. Murator. DCCCLXXXXIII. 5. Calamus Ti. Claudii Caeſaris Auguſti Germanici Pamphilianus. DCCCLXXXIII. 6. Nicephorianus Auguſti verna diſpenſator. DCCCLXXXVI. 1. Caeſaris Auguſti Maecenatianus. DCCCLXXXXI. 1. Thalmus Caeſaris Auguſti Xanthianus. Fabrettus Inſcript. pag. 46. n. 26 4. Anthus Imperatoris Caeſaris Auguſti ſervus Agrippinianus Alia dabit Hultmannus in Diſſertatione inaugurali de ſervis binominibus, quod egregium eſt cultioris eruditionis documentum. Quare vix mihi ambigendum videtur, Felicem, Pallantis fratrem, Judaeae a Claudio Imperatore praepoſitum, Antonianum fuiſſe dictum a Tacito Hiſtor. lib. 5. cap. 9. in quo loco nunc Antonius Felix legitur, ex familia enim Antoniae, ut frater Pallas, in miniſterium Claudii tranſiiſſe videtur: de Pallante teſtatur Joſephus Antiquit. lib. 18. cap. 6. Felicem autem Claudium fuiſſe dictum, Suidas in κλαύδιος aliique teſtantur. Referendum praeterea huc puto Patrobium Neronianum, quo de Sueton. in Galb. cap. 20. quem Tacitus Hiſtor. lib. 1. cap. 49. libertum Neronis fuiſſe dicit. Antea is peculiaris Neronis fuerat, dein manu-

numiffus atque officio Palatino ornatus, coepit rurfus fervus Caefaris dici, fed Neronianus. Iftiusmodi fervus Caefaris peculiaris appellatur in hac infcriptione Fabretti pag. 307. n. 309.

D. M.
FLAVIAE HYGIAE
ARAPS. CAES. N. SER
PECVLIARIS LAMPADAR
CONIVGI B. M
FECIT SIBI ET SVIS
POSTERISQ. EORVM

Uxor, pofteri, lampadarii officium palatinum, peculiarium fervorum numero, de quibus fub initio hujus capitis dixi, eum eximunt. Vox ergo peculiaris non praefentem Arabis lampadarii fortunam arguit, fed priftinam, ut ergo Patrobius Neronianus dictus, quod ex peculiarii Principis fervo factus eft quafi publicus (Caefaris fervum Palatinum defigno) fic & Arabs peculiaris, quod peculiaris fuerat, atque ex eo publicus factus. De Patrobio Neroniano hoc addendum, in nonnullis Suetonii libris vetuftis, tefte Torrentio, non ut nunc legitur, *Patrobii Neroniani libertus*, fed *Patrobii Neronis libertus*, quae fi vera eft lectio, refcribendum *Patrobii Neronis liberti libertus.* Quod dixi, privatorum hominum libertos factos fuiffe fervos Caefarum, id declaratur his exemplis. Murator. Infcr. DCCCCXXV. 1.

C. OCTAVIVS. C. L. PACCIVS
AVG. SER. AB HORTVL

nec non Petri Sancti Bartolii vetera Sepulchra pag. 32. fig. 9.

PETRONIVS
T. LIB. FELIX
AVG SER

Octavius Paccius Augufti fervus ab Hortulis, id eft, Hortulanus, fuit Caji libertus, fuit & Petronius Felix Augufti fervus, Titi Libertus. Imo ne ingenuos quidem hujus fervitutis poenituit. Murator. DCCCLXXXXI. 7.

L

L. ANTISTIO. L. F.
PRVDENTI
CAES. N. SER LEPT
VIX. ANN. XXX
M. X
L. ANTISTIVS. PAT
INFEL. POS.

Lucius Antiſtius Caeſaris ſervus Lepti, vel Leptitanus (credo in praediis Caeſaris Lepti, ſive illa Leptis magna fuerit, ſive minor in Africa, negotium Caeſaris geſſiſſe) fuit non libertus, ſed filius L. Antiſtii, atque adeo ingenuus. Gruter. DCXXIV. 6.

HYMNVS CAESARIS
VOLVSIANVS
HERMOPHILI HYMNI LIB. F
DECVRIO LARIVM VOLVSIANORVM

Fuit Hymnus Voluſianus Caeſaris ſervus, filius Hermophili, qui libertus erat Hymni, atque adeo Hymnus Voluſianus fuit ingenuus. Si quis cauſſam hujus conſilii, quo ſervitutem liberi redemerunt, quaerit, eam intelliget ex iis, quae ante de ſervis publicis dixi, oſtendimus enim, eos, cum liberi eſſent, exſpectatione lucri ſucceſſiſſe in Nomen ſervorum. Sed & hoc ſciendum, ſervitutem eam admodum ſolutam fuiſſe & mitem, imo libertati aequiparatam, & talem, qualem de ſe praedicat libertus apud Petron. cap. 57. *annis*, inquit, *quadraginta ſervivi*, *nemo tamen ſciit*, *utrum ſervus eſſem an liber*, atque eam ob cauſſam ſervos publicos haud raro libertos dictos, quibus non deteriores cenſendi ſunt ſervi Caeſaris, quare & uxor, liberi, poſteri liberti iis tribuuntur (quibus, ut notum eſt, ſervi carebant, ſed ſoli homines liberi utebantur) Reineſ. XIV. 80. Murator. DCCCLXXXXVI. 6. After C. N. Ser. (id eſt, Caeſaris noſtri) ſervus cum Antonia Hermaide fecerunt monumentum Antoniae Januariae libertae bene merenti, ut meminit Fabrettus Inſcr. cap. 1. n. 30. De hoc ejusdem Fabretti Marmore cap. 2. n. 210.

D.

D. M.
FLAVIAE CHRYSIDI
CONIVGI BENE MER
VIXIT AN. XXXX
BROMIVS CAES. FECIT
ITE ET SIBI SVIS LIB LIBG.
POSTQ. EOR.
H. M. A. H. N. P.

pugnantes vide Ill. Bouhierium & Hagenbuchium in hujus in Epiſtol. Epigr. pag. 172. quos facile ad concordiam redigas, ſi ea, quae dixi, ſequaris. Anthus Caeſaris, nempe ſervus, Trierarchus Livianus, memoratur Muratorio DCCCCLXXIX. 8. Divitias Servorum libertorumque Caeſaris cum ex negotiis colligas, quibus praefuerunt, praefuerunt enim nonnulli epiſtolis, rationibus, libellis, diſpenſationi, aliis; ex quibus manubiarum & rapinarum abundans materia, ſed & ex his. Plinius in Hiſtor. Natural. lib. 33. cap. 11. ſcribit, ſervum Claudii Druſillianum nomine Rotundum Diſpenſatorem Hiſpaniae citerioris, (Cinnamus Ti. Claudii Caeſaris Auguſti, Germanici diſpenſator Druſillianus eſt apud Murator. DCCCLXXXXIII. 2. & filia ejus Cinnamus Caeſaris Auguſti verna Druſilliana apud eundem DCCCLXXXXIII. 3.) quingenariam lancem habuiſſe, cui fabricandae officina potius exaedificata fuerit. Sueton. in Claud. cap. 28. ubi de Poſide Felice, qui Judaeae praepoſitus fuit, trium Reginarum maritus, Harpocra, Polybio, Narciſſo, Pallante, quibus Libertis mirifice indulſit Claudius. De Narciſſo & Pallante hoc addit. *Quos decreto quoque Senatus non praemiis modo ingentibus, ſed & quaeſtoriis praetoriisque ornamentis ornari libenter paſſus eſt, tantum praeterea acquirere & rapere, ut querente eo quondam de fiſci exiguitate non abſurde ſit dictum, abundaturum, ſi a duobus libertis in conſortium reciperetur.* Illius generis ſunt homines illi, nec non liberti Caeſaris, quos paſſim Caeſarianos nominat Arrianus in Epictetum, qui quantum gratia in aula, tantum dignatione apud omnes valebant. Tu vide Arrian. lib. 1. cap. 19 lib. 3. cap. 24. & 26. Ad extremum hoc obſervandum, ſecutos exemplum Principum etiam privatos homines nobiliores, nam & illorum nonnulli libertos aliorum pollicitationibus inductos in ſervitium ſuum pellexerunt, qui ſervi, eodem modo ut Caeſarum privati, patronum nomine in ianus deſinente praeferebant; Iſtiusmodi ſervus fuit Eros,

C. Saluſtii Criſpi Servus Metellianus, qui fratrem habuit M. Publicium, Marci libertum Modeſtum ſervum, ut quis ex Publicii nomine auguretur, publicum. Marmor hoc habet Muratorius Inſcr. DCCCCXXXII. 3. Atque inde perſpicimus, cur C. Pompejus Trimalchio dicatur Maecenatianus apud Petron. cap. 71. Tu autem judica, an hoc modo recte ſolverim nodum, quem Nicolaus Heinſius vindice dignum exiſtimavit, nec P. Burmannus explicuit. Haud aliter Murator. DCCCLXXXXIII. 5. Ciſſus Caeſaris Maecenatianus: atque in eodem lapide Parmeno Liviae a purpura Maecenatianus. Exemplum Trimalchionis docet, Caeſaris ſervos etiam a Caeſare manumiſſos fuiſſe, ſi quidem is libertus Auguſti dicitur. Illi autem ex eorum genere ſunt ſervi, quos notat Artemidorus in Oneirocrit. lib. 2. cap. 32. dicitque, cum manumiſſi eſſent, rurſus ſeſe in ſervitutem contuliſſe, quo refero hoc Ciceronis Philipp. 13. cap. 5. *An is non reddet, qui domini patrimonium circumplexus, quaſi Theſaurum draco, Pompeji ſervus libertus Caeſaris agri Lucani poſſeſſiones occupavit.* Idque fas habitum Romae, quod tandem hujusmodi nundinationem interdixit Leo Imperator, in Novella 59. Dicas, ex illo Ciceronis loco morem habendi ſervos, qui aliorum erant liberti, Principatu Auguſti priorem fuiſſe; hoc tamen certum, ſub Principibus praecipue fuiſſe frequentatum. Idem Leo in Nov. 38. primus hoc ſibi ſtatuiſſe videtur, ut Caeſaris ſervi de rebus ſuis quomodocumque velint, ſtatuere poſint. Velim addidiſſet Imperator de peculiaribus an publicis, id eſt fiſcalibus, Caeſaris ſervis id ſtatuerit. Mihi enim vix perſuadebitur, minus publicis Caeſarum ſervis, quam aliorum Magiſtratuum licuiſſe Romae, quos conſtat, id quod & ante a nobis eſt demonſtratum, teſtamenti faciendi pro parte dimidia jus habuiſſe, ad quod jus reſpexiſſe puto Veſpaſianum, de quo Suet. in ejus vita cap. 23. Fuit enim Laches, qui ſe pro cive gerebat, ad ſubterfugiendum fiſcum, ſervus Caeſaris, partemque bonorum moriens fiſco debebat: an expedierim nodum, qui viros eruditiſſimos moratus eſt, aliorum eſto judicium. Verum illa magis pertinent ad jura ſervorum, de quibus alii diſputent. Si quisquam ambigit, fuiſſe homines, qui cum cives Romani eſſent, in ditiorum potentiorum hominum ſervitutem ſe contuliſſe, aut poſteaquam in eam ſeſe contulerant, in ea perſtitiſſe, cum proclamandi ad libertatem poteſtas erat omnibus illis, qui ſeſe ex quacumque cauſſa vendiderant, niſi ſi ab alio venditi de pretio participaſſent, is recordetur velim, haud paucos honoratam ſervitu-

tem

tem (honoratioribus enim ministeriis admovebantur illi voluntarii servi) anteposuisse egenae libertati. Audi Arrianum in Epictet. lib. 3. cap. 26. pag. 853. Εἶτα ἀπελευθερώται. καὶ εὐθέως μὲν οὐκ ἔχων ποῖ φάγῃ, ζητεῖ τίνα κολακεύσῃ παρὰ τί δειπνήσῃ. Εἶτα ἢ ἐργάζεται τῷ σώματι, καὶ πάσχει τὰ δεινότατα. *Cum vero libertus factus est, statim non habet ubi edat, quaerit cui aduletur, apud quem coenet. Deinde vel corpore opus facit, & gravissimas aerumnas perfert.* Et paullo post. *Quid enim mali mihi erat, alius mihi vestes praebebat, alius calceos, alius me alebat, alius in morbo curabat, paucis in rebus serviebam.* Melissus, qui Maecenati serviit, matrem non secutus est, quae eum adserere voluit, teste Suetonio de Illustr. Gram. cap. 1. Similiter illi, qui sese vendiderant; si clemens servitus obtigisset, non usi sunt jure, quod ad libertatem eos revocabat. Sed quid de leni servitute dico? Μυρίοι δήπου ἀποδίδονται ἑαυτοὺς ἐλεύθεροι ὄντες, ὥστε δουλεύειν κατὰ συγγραφὴν ἐνίοτε ἐπ' οὐδενὶ τῶν μετρίων, ἀλλ' ἐπὶ πᾶσι τοῖς χαλεπωτάτοις: verba sunt Chrysosthomi in oration. 15. Sexcenti liberi cum sint, sese vendunt stipulatione interposita, non in modicam, sed in gravissimam servitutem.

CAPUT XI.

De Conditione eorum, qui Vernae appellantur.

Vernae vocis multiplex intellectus. Proprie vernum & verna, quod domi atque in villa natum: inde translationes vocis variae. Liber verna Martiali quis. Lupus vernula quis Juvenali. Qui lupus piscis Romae optimus existimatus. Lupus Germanus in lege Fannia & Macrobio quis. Verna id est, Romanus. Epigraphae Marmoris duae expositae. Muratorii sententia rejecta. Festo lux adfulsa, & manus critica adhibita. Curialis vernula Romanus. Servius expositus. Terentius illustratus & emendatus. Romani cur Vernae dicti. Palilia natalis urbis. Persii Scholiastes expositus. Verna & Berna non differunt intellectu. Verna Senatus quis Sidonio Apollinari dictus. Vox verna in lapidibus vetustis non uno modo interpretanda. Multi lapides expositi. Liberti vernae. Scaligeri error notatur. Verna avis quae Rutilio. Vernaculum idem quod vernum, id est, dominatum. Tacitus expositus contra sententiam Lipsii.

Marmora illustrata. Apuleji lectio defensa. Verna homo aerumnosus. Nonii duo loca exposita. Maledictus, id est, execrandus, Nonio & Christianis. Christianorum vocabula ad paganos transierunt. Plautus & Lucilius expliciti.

Non abs re facturum me esse arbritror, si in hoc opere, in quo servorum Nomina investigamus, diligentius vernae vocis fines indagemus, late enim ii patent, & multiplex vocis significatio est, quae plures in errores inducit, induxitque, ut servis Nomina & officia tribuerint, quae liberis hominibus debebantur. Plerique omnes vernam servum domi natum accipiunt, sed quum vernis haud raro tria Nomina, atque alia tribuuntur nonnunquam, quae nullis nisi hominibus liberis conveniunt, hinc obscuritas, haesitantia, & sollicitudo nata. Eam ut eximam ex eorum animis, accuratius hoc loco de vocabuli illius antiquo usu disputare decrevi. Verna a vere dicitur, inde vernum & verna (tribus enim generibus haec terminatio usurpatur, id quod notatum Valerio Probo in Grammat. Institut. lib. 1. sub initio apud Putsch. pag. 1440) quod ad ver pertinet. Inde verna pecora & servitia dicebantur, quae vere (quod anni tempus foeturae praecipue idoneum) nata erant. Foetura autem illa, id est, foetus omnis, domestica erat, sive domi nata. Domini villa est accensenda, quae multis unica domus, & quanto antiquioribus tanto pluribus. Posteaquam Romani continuis triumphis aucti per proximas Latio remotioresque gentes agros possidere coeperunt, vox verna pecoribus & servis domi atque in Latio natis adhaesit, extera a nomine provinciae appellabantur aut oppido. Supersedeo exemplis aut testimoniis in re notissima. Mox prolatis quasi finibus, rebus multis & vocabulis vox jungi cœpta est, ut illud designarent, quod domi, id est, sub tectis suis, Romae aut in Latio (nam vox domus hos fines saepe habebat) ortum esset, opponebaturque peregrino atque inde in glossis verna, vernula, vernus οικογενής, οἰκοτροφής. Martial. libr. 3. epigr. 1.

Plus sane placeat domina qui natus in urbe,
Debet enim Gallum vincere verna liber.

Librum vernam dicit in urbe factum, distinguitque a libro in Gallia facto. Neque aliter *Vernula Tiberinus*, id est, lupus piscis in Tiberi amne natus, altusque, qui Romam interfluit, Juvenalis Sat. 5. v 104.

Aut

Aut glacie adspersus maculis Tiberinus & ipse
Vernula riparum pinguis torrente cloaca,
Et solitus mediae cryptam penetrare Suburae.

Apiciis enim non sapiebat lupus nisi Tiberinus, atque inter duos pontes captus. Addit caussam Macrobius, Saturnal. lib. 2. cap. 12. quod is proxime ripae stercus insectatur, sordes nempe per cloacas urbis expulsas, maxime per eam cloacam, quae Suburam, celeberrimum urbis vicum, sustentabat. Lupum illum *germanum* nominavit Titus, in oratione, qua legem Fanniam suasit, vide Macrob. Saturnal. lib. 2. cap. 3. quasi cognatum Romanis. Memorandi ad declarandum illum vocabuli Vernae usum sunt tituli duo unius marmoris, quod vidit Sirmondus Romae, cum ibi esset, erutum in via Prenestina, prodiditque ad Sidonium Apollinarem pag. 160. in altero est, *M. Aurelius Polynices natione verna*, in altero filius ejus itidem natione verna, id est, Romanus. Nam Romanos significari versus Graecus docet, qui alteri titulo subjicitur.

Θρέψε πάτρη Ρώμη κλύτος ἡνίοχος Πολυνείκης

Adde illis Muratorium in Thes. 2051. 7. *Herennacae Faventinae n. ver.* Muratorius Veronensem intelligit, sed malo, ut in illo lapide natione vernam accipias. Antiquissimus is vocis usus est, nam & Numa Pompilius Romae natos vernas dixit, teste Festo in voce *verna*. Adscribam verba, ut aliquid lucis iis foenerer, & maculam ex illis cluam, contaminatus enim est, & perperam a recentioribus editus. Adscribam autem ex codice bibliothecae Farnesianae. *Vernae, qui in villis vere nati, quod tempus duce natura foeturae est, & tunc* (nempe verno tempore, cujus mensis, Martius scilicet, Marti erat consecratus) *rem divinam instituerit Marti Numa Pompilius, pacis concordiaeve obtinendae gratia, inter Sabinos Romanosque*) credo cerviculam jactasse Sabinos, qui Curibus manserant, inter quos Numa, Tito Tatio, vel Romulo mortuo, aususosque aliquid in Romanos, si per Numam licuisset) *ut vernae viverent, ne vincerent. Romanos enim vernas appellabant ibidem natos, quos vincere perniciosum arbitratum* (sic legendum, non, *arbitrium*) *Sabinis, qui conjuncti erant cum populo Romano.* Sabinos cum populo Romano conjunctos dicit, qui Tito Tatio Rege Romam commigrarant. Numae ea verba fuisse, non putem, sed antiquissimi Historici, forte Fabii Pictoris, qui ea, quae suo ingenio finxerat, Histori-

corum more Pompilio Numae tribuit. Vetustissimam illam vocis significationem esse, ex solemni hoc carmine perspicimus Sacrorum Tiburtium, ac Junonem *Tuo curru clipeoque tuere meos curiae vernulas*, de quo Servius ad Virgil. Aen. I. v. 21. Atque inde *Curialis vernula* pro cive Terentius in Phorm. Act. 5. Sc. 6. v. 10. *Vapulatis. Curialis vernula est, qui me vocat*, quae lectio est antiquissimorum Codicum & editionum, quam mutarunt posteriores, quia sensum non adsequebantur. Verba haec *Curialis vernula* &c. non Getae sunt, sed Phormionis, monentis Getam ut audiat & resistat, quia a Curiali vernula, id est honesto cive, vocetur. Sed pro *me vocat* rescribendum *re vocat*. Non autem ob id antiquissimos Romanos vernas dictos arbitror, quod in urbe nati fuerunt, sed quod vere nati, nempe Palilibus, qui dies urbi natalis fuit. Vere Persii Scholiastes a Theod. Marcilio editus ad. Sat. 4. v. 22. *Vernae*, inquit, *dicuntur*, *vel qui Romae nati sunt*, *aut servi domi nati*. Neque tamen servi tantum, sed & liberi homines domi, atque in civitate nati. Unde glossae veteres atque Adamantius Grammaticus apud Cassiodorum de Orthogr. cap. 5. *vernam* (*bernam* ibi leges, quae ejusdem vocis diversa scribendi ratio est) *interpretatur domi genitum* *οἰκογενῆ*. Adde Bedam de Orthogr. cap. 1. Quare Sidonius Apollinaris *Vernam Senatum* dixit. Senatores non aliunde petitos, sed in eo loco natos) nec non lib. 1. ep. 8. *Oppidi vernam*. Lib. 9. ep. 16. *Mitylinaei oppidi vernulus*, ubi consule Savaronem. Disputatio haec eo pertinet, ut ostendam, non quovis in loco, & in marmore quocumque vernam accipiendum servum, sed modo servum, modo libertum, modo ingenuum designari, qui aut Romae, aut in loco reperti monumenti, sive in aedibus illius, qui vernam nominat, sit natus, cujusmodi origo ex caussis dignoscenda est. Quam ob rem caute ad evitandam vocis plura significantis ambiguitatem, nonnulli adjecerunt genus vernae, sive notam, ex qua cognoscatur, cujusmodi verna intelligitur, id quod factum in hoc lapide Fabretti Inscr. cap. 2. n. 9.

OLYMPVS. DOMINI
DOMITIANI
AVG. SER
VERN. ROM
NATVS. VIXIT
AN. IV. M. IV. D. XXI.
FEC. OLYMPVS. PAT. INFELI
CISSIMVS.

Ne-

Ne quis vernam accipiat libertum aut ingenuum, additur vox servus, ne quis in aedibus alius Domitiani in villa aut in familia ejus natum interpretetur, additur, eum Romae fuisse natum. Memorandus prae caeteris est hic lapis Fabretti Inscr. cap. 4. n. 257. in quo trium generum liberti, hoc modo

TRIFERVS. VER. LIB
EVPERIL EMPTVS. LIB
EVTVFRON. LIB

Nempe Triferus verna libertus, qui aut Romae aut in familia villave aut in aedibus domini natus, Euperillus emptus libertus, & Eutyphron libertus, nec verna nec emtus, sed peregre in familia domini natus; Hoc modo distinguendos libertos puto, qui xxiv. numero memorantur in illo titulo. Liberti libertaeque vernae praeterea sunt in his Gruteri DCCCCXXXX. 7. *Furio Epaphrodito, qui in eum sepulchrum est conditus, verna eorum*, sic litterae sunt connectendae. DCCCCXXXXVI. 5. *Calpurniae Anthidi vernae.* DCCCCXXXXVII. 8. *Munatiae Rodinensi vernae.* DCCCCLI. 6. *L. Poblio Apollinari vernae.* MCLIII. 3. *M. Vibi Heterni vernae.* Gudius Inscr. CCCXXXXVI. 7. *L. Nonio Vestali vernae suo.* CCCL. 3. *Volumnio Onesimo vernae.* Muratorius Inscr. MDXV. 1. *Abucciae Florae Abuccia Melitene vernae.* MDXVI. 3. *Aemiliae Felici Aemilia Fortunata vernae.* MDXVII. 5. *Alliae Thaidi Allia Fortunata vernae.* MDXXII. 3. *Aurelio Felici Aurelia Onesime vernae suo.* MDXXXIII. 7. Liberti heredes ex testamento *Cornelius verna & Restitutus.* Non animadvertit vernam libertum Scaliger in hoc Gruteri Thes. Inscr. DCLXXX. 9. in quo VERNALI AVG. in Indice namque VII exponit vernali, cum sit, verna libertus Augusti. Maffejus in Antiquit. Gall. pag. 86.

D. M.
VALERIO
VERNAE
OPTIMO ET
FIDELISSI
MO. LIB.

Fabrettus Inscr. pag. 297. n. 264. *L. Julius Tumyrus monumentum posuit L. Julio Caro vernae suo benemerenti.* plures omitto. Nec du-

dubito, etiam filios, amicos & cujusque generis homines vernas esse dictos ab iis, qui significare volebant, eos Romae, aut apud se fuisse natos, nam & ita *vernam avem* dixit Rutilius in Itiner. lib. I. v. 110.

Quid loquar inclusas inter laquearia silvas
Vernula qua vano carmine ludit avis.

ubi consule Sitzmannum. Vernae etiam Vernaculi appellabantur, unde Varro de Ling. Lat. lib. 9. pag. 140. vernaculum & domi natum conjungit, opponitque adventitio, *unum vernaculum ac domi natum, alterum adventitium*, atque ita vernacula poma, id est, poma Romana, domestica, aut villatica, Priap. carm. 10. Petronius cap. 38. *Mel Atticum uti domi nasceretur, apes ab Athenis jussit adferri, ob id, ut vernaculae quae sunt, meliusculae a Graeculis fiant.* Vernacula multitudo, id est Romana, Tacitus Annalium lib. I. cap. 2. quod non addiderim, nisi Lipsius, atque alii, alio traherent. Glossae vetustae *vernaculus* θρεπτάριον οἰκοτροφὴς, οἰκογενὴς, Ἐπιχώριος. Fabrettus Inscr. cap. 9. n. 109.

CASCIA CA
PRIOLA SILVA
NO SVO NV
TRITIO ET VER
NACLO SVO

Muratorius in Thesaur. Inscr. MDXXXX. 6.

ISAVRICAE VERNACLAE
SVAE

Quae loca adjeci, ut retraherem Pricaei manum ab hoc Apuleji Metam. lib. 2. pag. 19. *Quid uxor? quid liberi? quid vernaculi?* ubi vocem vernulae reponenda censet. Sunt praeterea aliae vocis vernae significationes, quae quidem ad antiqua marmora non pertinent, quia tamen parum perspecta aliis, proferam id, quod mihi de iis in mentem venit. Verna autem praeter ea, quae diximus, notat hominem sacrum, id est, aerumnosum & miserum, nempe vere sacro natum, atque ob id patria expellendum. Docet hoc Nonius duobus in locis, quae conjungenda, quod alter alteri lucem foeneratur.

tur. Is, *vernas*, inquit, *veteres appellabant, qui vere ſacro erant nati, & habebatur nomen hoc pro vitabili & maledicto.* Vitabilem accipe, quem vitant fugiuntque homines, ut ſoliti devotum caput, Κάθαρμα Graeci appellant vitare homines. vid. Suid. in κάθαρμα, *maledictum* expone exſecrandum. Parebunt haec quae dixi, ſi alterum Nonii locum evolvas: *Ver ſacrum*, inquit, *quidam dictum putant ut plerumque* (lege *piaculare itemque*) *vitabile & exſecrandum.* Quod ibi Nonius *maledictum* dicit, hoc *exſecrandum* nominat. Sed vox *Maledictus*, pro homine *exſecrando* non paganica eſt, ſed Chriſtiana vox. Non nego, eam a Chriſtianis profectam, ſed ad paganos tranſiiſſe puto, ut nonnulla alia Judaeorum & Chriſtianorum vocabula. Certe eo ſignificatu offendes illam vocem apud Spartianum in Geta cap. 3. ubi *maledicte parricida.* Neſcio utris accenſendus Nonius, Chriſtianis, an paganis, ſed hoc ſcio, vixiſſe illum ea aetate, qua percrebuerant jam Chriſtianorum ſacra, ſententiae & vocabula. Addit Nonius in illo loco, dictum hoc Plauti, *Hic qui verna natus eſt queritur*, ut doceat pro vitabili & maledicto poni vernam. Verſus Plauti hi ſunt in Amphitr. Act. 1. ſc. 1. v. 22. ubi Mercurius, ſumta ſervi perſona:

> *Satius eſt me queri illo modo ſervitutem. Hodie,*
> *Qui fuerim liber, eum nunc potivit pater*
> *Servitutis. Hic, qui verna natus eſt, queritur:*
> *Sum vero verna verbere.*

Soſiam dicit Mercurius vernam natum; id eſt, hominem aerumnoſum, ut omnes, qui in ſervitute nati, nati etiam vere ſacro, devotaque Diis capita. Infelices natos dicit Phaedrus lib. 3. fab. 20. Sc vero Mercurius dicit vernam verbere, id eſt, hominem aerumnoſum & exſecrabilem factum, (ſervum nempe) verbere, id eſt, loro ſive verberibus, quae propria ſervis, atque ob id ſervilia inſtrumenta nominat Juſtin. lib. 2. cap. 5. factus erat Mercurius eo die ſervus, luditque ſcurriliter, ut ſolent ſervi Plautini, jocum riſumque captantes, ex ſono verborum ille verNA NAtus, ego VERna VERbere. Lucilii locum, quem tetigit itidem Nonius *Verna acem cupit haec*, ita emendat Douſa pater:

Verna ſacer cupit haec

Optime ſi quid video. Tu conſule Douſae Filii notas ad Lucilii reliquias ex incertis ſatyrarum libris n. 82.

CAPUT XII.

De Nominibus Servorum & Libertorum Dei.

Servorum Dei & Fanorum non unum genus. Diversa dignitas pro diversitate Deorum & populorum νεωκορήσεις *alicubi honorificae. Actor.* 19. v. 34. *Servae Veneris ingenuae & libertae.* Ιερόδουλοι. *Apostoli servi Christi. Julianus servus Dei Solis. Herculanus, Mercurialis* &c. *Nomina sunt cultorum Dei. Lapis antiquus expositus. Ancillae Dei. Muratorius notatus. Christiani omnes servi Dei: praecipue qui vitam Deo consecrarant. Dioecesium incolae & vasalli ab Episcopo patrono dicti, inde Trajectenses Martiniani. Muratorius notatus. Famula Ilithiae. Famula Bacchi. Devoti Numini majestatique Augustorum. Libertus Aesculapii tribus Nominibus insignis. Libertus Dei Serapidis é primoribus Aegyptiorum. Damnata Suetonii lectio defensa. Medicorum imperata quae. Qui Deos Dominos suos salutarint, Deasque Dominas. Hinc Mater Idaea Domina Rufae. Minerva Curii, Ladae Domina in lapide Noviomagensi.*

Diximus de servis Libertisque hominum, reliquum nunc est, ut de servis libertisque Deorum, eorumque Nominibus dicamus. Ad Deorum servos pertinent etiam fanorum servi, qui & famuli, & ministri appellantur. Rectius tamen ita distinguas, ut Deorum servos dicas, qui mente praecipue, ac religione Diis serviebant, fanorum autem servos, qui corpore atque opera. In numero utrorumque sunt sacerdotes, aeditui & quos praeterea recenset Graece Pollux in Onomast. Lib. 1. cap. 1. segm. 14. quibus addantur ex Seneca. *Hic nomina Deo subjicit* (quod nomenclatoris est) *alius horas Jovi nunciat, & alius lector est, alius unctor.* vid. Augustin de Civit. Dei 6. cap. 10. κοσμήτορες, ornatrices, psecades, atque alia Deorum templorumque ministeria. Servis etiam accensendi cultores Deorum, Graeci θεραπευτὰς nominant. De fanorum servis nihil dicas facile, quod omnibus conveniat. Dignitate omnes diversi erant, pro Numinis, & fani majestate, cui serviebant, ut ipsorum Deorum majestas & honor per populos & gentes major minorque. Romae summus erat Juppiter, Ephesi maxima Diana, Epidauri Aesculapius, Paphi, imo vero tota Cypro & Si-

Sicilia, Corinthi etiam, Venus. Quare nullus, opinor, mirabitur, ut Numinibus illis in ſuo cuique populo major fuit veneratio, Sacerdotum, & miniſtrorum ſervorumque majorem fuiſſe dignitatem. Aedituos cogita; illi in nonnullis fanis ex ſervorum, aut libertinorum ordine erant, at vero in Aſia νεωκορήσεις nonnullorum templorum magno ambitu expetebantur praecipue a civitatibus Aſiae primariis. vid. Act. 19. v. 34. adde Marmor Arundelianum Reineſii ſyntagm. Inſcr. Cl. II. 68. Diana Aricina, ſive Nemorenſis, ſacerdotem non probabat, niſi ſervum hominem. Servius ad Virgil. Aen. lib. 6. v. 136. Sueton. in Calig. cap. 35. Attamen illa Epheſi a templo ſuo ſervos prohibebat, arcebat etiam ſervos Hercules. Serv. ad Virgil. Aen. lib. 8. v. 177.

Quae dixerim, eo ſpectant, ut demonſtrem, illorum, qui ſervi fani, & ſervi Dei dicuntur, non eandem ubique fuiſſe conditionem. In nonnullis fanis, quae tamen pauca fuiſſe puto, extremae ſortis homines, id eſt, ſervi famulabantur, in aliis liberti: Horum numerum maximum fuiſſe exiſtimo, nec tamen defuerunt ingenui. Quanquam autem ſervi dicebantur omnes, libertorum tamen & ingenuorum hominum jura & Nomina retinebant, parum diſſimiles ſervis publicis & Caeſarum, quos, quanquam ſervi frequenter fuerint vocati, liberalia Nomina conſervaſſe diximus. Servum publicum Veſtae reor, ad quem in templum illius Deae pervaſit Piſo, quo de Tacitus Hiſtoriar. I. cap. 43. Fanorum ſervos libertos fuiſſe ex teſtimoniis Varronis & Taciti diſcimus, cap. 9. Ea cum maxime antiquorum titulorum auctoritate confirmabimus. Muratorius Theſaur. Inſcr. CLXXIV. 3.

CALVIDIA T. F. SECVNDA
QVINCTIA SEX. F. SECVNDA
CASNASIA Q. L. RVFA
CASNASIA Ͻ.L SPERATA
SPERATA MVNATIDIA
SER. VENERI D. D
MAGIS VENE

Servae Veneris poſuerunt aram, dedicavit Magiſter vel Magiſtra Veneris. Inter has ſervas ingenua fuit Claudia Titi filia ſecunda, nec non Quinctia Sexti filia ſecunda. At vero Caſnaſia Quinti Rufa Quinti liberta fuit, Caſnaſia Sperata Cajae liberta. De Venereis

 his

his videatur Strabo lib. 6. pag. 272. ἱεροδούλους nominat. Alii fuerunt Corinthi, alii Veneris Erycinae in Sicilia. Libertam ejus Veneris Erycinae meminit Cicero in Divinat. cap. 17. *Agonis est quaedam Lilybaetana, quae mulier ante hunc Quaestorem copiosa plane, & locuples fuit.* Eusebius in Histor. Eccles. lib. 1. cap. 6. ex Africano refert, Herodem magnum, Judaeorum regem, fuisse filium Antipatri, nepotem Herodis Ascalonitae, qui fuit inter ἱεροδούλους περὶ τὸν νεῶ τοῦ Ἀπόλλωνος. Rufinus interpretatur Aedituos templi Apollinis, verum anguste nimis, nam inter Aedituos alii fuerunt ἱερόδουλοι & servi Apollinis. Deorum illi servi libertique inter homines liberi erant & nonnulli ingenui, at vero in sacris atque in templis servi & liberti. Liberi certe fuerunt Apostoli, caeterique Christiani, quos δούλους Θεοῦ appellatos accepimus. παιδίσκη ἔχουσα πνεῦμα πύθωνος. Actor. 16. v. 17. οὗτοι οἱ ἄνθρωποι (Paullum, & qui cum eo erant, designat) δοῦλοι τοῦ Θεοῦ τοῦ ὑψίστου εἰσίν. *Isti homines servi Dei excelsi sunt.* Ipse Paullus se Christi esse dicit, atque ei servire, Actor. 27. v. 23. οὗ εἰμι καὶ ᾧ λατρεύω. Sic Julianus in Oratione ad Solem sub initio: Εἰμί τοῦ βασιλέως Ὀπαδὸς Ἡλίου. Paulus ad Romanos epist. 1. v. 1. παῦλος δοῦλος Ἰησοῦ χριστοῦ κλητὸς Ἀπόστολος. Quae & honorifica praefatio fuit epistolae ad Philippenses & ad Titum, nec non epistolarum Jacobi & Judae. Atque ut Venerei appellabantur, qui Veneri, Bellonarii, qui Bellonae, Isiaci, qui Isidi, & cultores quique a suo Deo, ita Christiani, qui Christo serviebant, sunt dicti, certe ea ita visa Gentilibus. Nec dubito, quin pars magna Nominum, a Diis derivatorum, appellativa sint, quae ab omnibus propria censentur. Nomina haec sunt Herculanus, Mercurialis, Apollinaris, Martialis. De Martialibus Sarinatium vid. Cicer. pro Cluentio cap. 15. Venereas multas in foeminarum monumentis reperias. Ancilla Dei est in cippo Muratoriani Thesauri. CCCCVII. 4.

HIC QVIESCIT GAVDIOSA C̅F̅ ANCILLA DEI QVAE
VIXIT. ANNIS. XL. ET. MEN. V. DE P. X. KAL. OCTOB
CALLEPIO V C CON

CF docet clarissimam eam foeminam fuisse. Famula Dei Dulcitia. Idem 427. 4. Adde Murator. MDCCCXXXIV. 10. Muratorius Sanctimonialem interpretatur, sed male. Nuptas dei famulas vide in ejusdem Muratorii Thesauro MDCCCLXXX 5.

GAN-

GANNIOLA FAMVLA
DEI QVAE VIXIT CVM
MARITO ANNOS XX ET
REQVIEVIT IN PACE

adde MDCCCLXXXXII. 7. MDCCCCXXXXI. 7. Θεῦ-δῦλος. MDCCCXXXVI. 5. MDCCCXXXXI. 4. MDCCCXXXXII. 1. atque in aliis. Ipſe Conſtantinus, teſte Euſebio in vita ejus lib. 1. cap. 6. ſe nominavit δῦλον καὶ θηράποντα τῦ παμβασιλέως, *ſervum & famulum Dei omnipotentis.* Martianus Epiſcopus ſervus Dei appellatur Sulpicio Severo in Dial. lib. 3. cap. 4. Tertullianus de Spectaculis cap. 8. Chriſtianos omnes nominat ſervos Dei, & in libro ad uxorem, ancillam Dei Chriſtianam, atque ob id uxorem ſuam conſervam, adde Hieronymum adverſus Jovinianum. Muratorio CCCCXXVII. 2. Servus Chriſti eſt Maximianus Epiſcopus, & CCCCLXXXIV. 4. Famula Chriſti Honoria. Manſit mos ſemper in Eccleſia Romana, ut ſervi & ancillae dicerentur, qui vitam Deo conſecrarant, aut Divo ſive Sancto. De Oblatis, Donatis & Servis Eccleſiae vid. De Ueerdil. Hiſtorie 2. deel. pag. 261. & pag. 955. & 961. Adde Matth. de Nobilit. lib. 4. cap. 24. Dumbar Ueerdil. en Wereldl. Deventer pag. 190. Dioeceſium incolae & vaſalli a Divo tutelari Nomina acceperunt, unde Martiniani Sint Martens Mannen Trajectenſes ad Rhenum, Dumbar pag. 225. Sed redeo ad antiquiores Dei Servos. Τὴν ἰδίαν θεράπαιναν Dianae Ilithiae dedicatam publice dabit Murator. CXXXX. 4. γυναικά Εὔσουλαν ὥς ἐτων κ ἐπ' ἐλευθερίᾳ Apollini Titio dedicatam. CXXXIV. ubi admodum imperite Muratorius, mulierem Soſilanis vertit. ὥς ἐτων quid ſit omnibus notum eſt. PROPITIAE PVPA (ſcribe PROPITIAE id eſt propitia &) famula Bacchi Cymbalis, Id eſt, Cymbaliſtria, Gruter. CCCXVIII, 12. Apulejus ſe magni Dei famulum dicit, Metam. Lib. II. Pertinent huc miniſtri Deorum Bonae Deae. Murator. CXXXIII. 4. Magnae Matris. CXXXXIV. 1. pertinet etiam Euariſtus ſervitor Deorum, quo de Murator. LXXVI. 4. Denique pertinent huc devoti numini majeſtatique Auguſtorum, quorum magna multitudo in marmoribus vetuſtis. Libertum numinis Aeſculapii tribus Nominibus inſignem habet Gruterus MVI. 1.

I. O. M. IVNONI MI
NERVAE ET AESCV
LAPIO DOMINO
SEPTIM. ASC. HER
MES LIBERTVS
NVMINIS AES
CVLAPII.

Basiliden Dei Serapidis libertum nominat Sueton. in Vespas. cap. 7. quem Tacitus Historiar. lib. 4. cap. 82. e primoribus Aegyptiorum fuisse scribit. Quisque videt, si quid veri mens augurat, quam facile & quam nullo negotio tueri liceat damnatam doctorum virorum calculo vocem liberti, in illo Suetonii loco, quam librorum omnium fides probat, ita namque antiquissimi Codices: *Hic cum de firmitate imperii captaturus auspicium, aedem Serapidis submotis omnibus solus intrasset, ac propitiato multum Deo, tandem se convertisset, verbenas coronasque & panificia, ut ille assolet, Basilides libertus obtulisse ei visus est: quem neque admissum a quoquam, & jam pridem propter nervorum valetudinem vix ingredi, longeque abesse constabat.* Deorum servi, & liberti, ut illa Gruteri Inscriptio demonstrat, consueverunt Deos suos dominos salutare, quare illuc refero hanc Muratorii aram, Thesaur. Inscr. xx. 3. in quo Aesculapius dominus

DOMINO AESCVLAPIO
ET HYGIAE EX PERMISSV
EORVM NEGOTIATIONIS
FABARTAE GRATIAS
AGENTES NVMINI
ET. . . T. TIS EORVM

Eandem inscriptionem exhibet cxxxii. 3. emendatiorem, sed immemor eorum, quae ante scripserat, addita voce *aratis*, qua lacunae partem expleri posse putabat, sed tu lege *imperatis*. Imperare dicuntur Medici & Dii Medicorum, medicinam dantes. Sic & κυρίῳ Ασκληπίῳ Gruter. LXVIII. 6. Aristides Aesculapium, quem praecipue colebat, salutat in Oration. Sacr. pag. 591. & 600. *Domina Isis*. xxxxviii. 2. Apulejus alicubi Deam salutat Dominam suam, id quod in memoriam redigit hoc Thomae in Euangelio Joannis 20. v. 28. ὁ κύριός μου καὶ ὁ Θεός μου, & saepe alias Deus Domi-

minus. Non tempero, quo minus addam lapidis titulum, a nemine usque adhuc editum, qui exſtat in templo vici *Millingen*, qui vicus eſt Tetrarchiae Neomagenſis ad Vahalim, haud longe a Rheni divortio.

.... DEAE. DOMINAE. RVFIAE
.. ATERNAE. ARAM E.
VCVM. CONSACRAVI.
MVCRONIA. MARCIA
.. BI. OMNIBVS ANNIS SACR...
INSTITVIT XVI. K AVG
. T. NATL. MATERNAE
.... OCTOBER. ARENIA.
... MARIA... RV..

Quae temporis edacitas corrupit, hoc modo reficienda puto: M. Ideae (id eſt Matri Ideae) dominae Rufiae Maternae aram & (litteram E ſcriptam auguror, ut in multis lapidibus E id eſt ET.) lucum conſecravit Mucronia Marcia ſibi omnibus annis ſacrum inſtituit XVI Kalend. Aug. & Natali Maternae. Reliqua non moror, quae mortalium nullus reſtituet, poſteaquam ineptiſſimorum hominum manus literas omnes, quarum ductus imperite ſcalpro ſequebantur, confuderunt. Mater Idea, quae & Idaea, domina fuit Rufiae Maternae, quae ſerva aut famula illius, ut Camilla Dianae, quam Virgil. AEneid. lib. 11 v. 558 a patre famulam illi Deae ſacratam ſcribit, qui & mox v. 768. Cybelae Chloreum dicit ſacratum. Baccho filium Amatum conſecravit Amata mater, certe ſacrare voluit. idem Poeta Aeneid. lib. 7. v. 389. Sic & Minerva Domina fuit Curii Ladae in hac ara ad Neomagum quondam reperta, a multis tentata, a nemine quod ſcio, ut decuit, expoſita.

MINERVAE
CVR. LADAE
T. PVNICIVS GE
NIALIS IIVIR CO
LON. MORINO
RVM SACERDOS.
ROMAE ET AVG

Re-

Reliqua vide apud Scriver. Antiq. pag. 202. qui nihil extricat. Numina alia a cultorum Nominibus appellata vid. apud Cuperum in Harpocr. pag. 186. Huc refer Minervam Appiada, de qua Cicero fam. lib. 3. ep. 1. Huc repete, quae dixi in Dissertatione ad Aviani fabulas cap. 8.

CAPUT XIII.

De Nominibus eorum, qui Natalibus restituti & annulis aureis donati.

Natalibus restituti ingenuitatem atque omnia ingenuitatis jura recuperabant. Recuperabant ergo liberalia Nomina, aut ea aliunde sumebant. Eadem recuperabant aut sumebant donati annulo aureo. Donati annulo aureo non tantum ingenuitatem accipiebant, sed & dignitatem equestrem. Accipiebant aut sumebant, etiam ingenuum cognomen. Inde Icelus libertus post annulos acceptos Martianus est dictus. Menas, Musa, cognomina Romana. Menus, ante Menodoro, quod nomen servus & libertus habuit, mutatum. Casaubonus notatus. Imminutum dein jus aureorum annulorum. Suetonii locus expositus, & lectio defensa. Tacitus explicatus. Marciani cognomen cur equestre dicatur.

Disputationis ordo postulat, ut servis & libertis subjungamus eos, qui ex servitute atque ex libertinitate ad ingenuitatem redierunt. Hoc jus Princeps reddebat, de quo Marcianus in l. 2. ff. de Natalib. Restituendis. *Interdum & servi nati ex post facto juris interventu ingenui fiunt, ut ecce si libertinus a Principe natalibus suis restitutus fuerit. Illis enim utique Natalibus restituitur, in quibus initio omnes homines fuerunt, non in quibus ipse nascitur, cum, servus natus esset.* Jure namque naturali omnes liberi nascuntur. pr. J. de Libertin. Addit Marcianus in illo loco, de Natalibus restituto. *Hic enim quantum ad totum jus pertinet, perinde habetur, atque si ingenuus natus esset.* Idem Modestinus in l. 5. §. 1. eod. perinde eum haberi scribit, *atque si ingenuus factus* (factus nempe a natura, id est natus) *medio tempore maculam servitutis non sustinuisset.* Res dubitationem non habet, quin iis, quibus natales restituti,

tuti, etiam convenientia & apta natalibus Nomina fuerint reddita, aut si ea ante non habuerunt, ab ipsis restitutis sumta. Eadem ratio fuit eorum, qui aureis annulis fuerunt donati: certe illorum, qui a primis Caesaribus eo sunt donati. Paullatim namque annulorum aureorum dignitas eviluit. Illo tempore non tantum ingenuitatem aurei annuli tribuerunt, sed & ordinem Equestrem, si accedebat Equestris census. Suetonius in Caesar. cap. 39. *Ludis Decimus Laberius Eques Romanus mimum suum egit: donatusque quingentis sestertiis & annulo aureo, sessum in quatuordecim e scenâ per orchestram transiit.* Agendo mimum amiserat ordinem, vid. Macrob. Saturn. 2. cap. 7. quem accepto a Caesare annulo aureo recuperavit. De Asiatico liberto, qui annulo aureo donatus, equestrem dignitatem accepit, Tacitus Histor. lib. 2. cap. 65. Icelus, cum libertus esset, annulis aureis donatus, Martiani praeterea cognomen accepit a Galba. Suetonius in Galb. cap. 14. Praenomen & gentilicium nomen Icelus ille acceperat, cum manumissus fuit. Habuit tum etiam cognomen, sed servile, quod liberti Romanis Nominibus adjungere solebant. Siquidem natalibus redditi aut annulis aureis donati, deleta servili macula, & cognomine servili deleto, cognomen Romanum acceperunt. De Icelo ita Suetonius. *Libertus Icelus, paullo ante annulis aureis, & Martiani cognomine ornatus, & jam summi Equestris gradus candidatus.* Dicas, eum ab Imperatore hoc cognomine impertitum. Tributum autem id semper ab Imperatore non ausim dicere, neque illud opus, id temporis, quo pro arbitratu quisque adsciscebat Nomina. Jus annulorum & jus ingenuitatis sive natalium a Principe tributum fuisse novimus. Menas in ingenuitatem ab Augusto adsertus annulisque aureis ornatus est, vid. Sueton. in Aug. cap. 14. Horatius Epod. 4. nec non Musa, quo de Dion Cassius lib. 53. pag. 316. Cognomina antiqua, quae in libertinitate habuerant, usurpasse dein, cum ingenui atque Equites facti fuerunt, dubito, nisi forte ob id servarunt, quod utrumque etiam Romanum fuit. Nam & Ticiniae, an Liciniae, gentis cognomen Menae reperitur, quod & Torrentio observatum ad Horatii Epod. 4. vid. Varro de Re Rustica lib. 2. cap. 11. Plinius Natural. Histor. lib. 7. cap 59. Columella lib. 12. cap. 4 & Pomponius Musa ex nummis cognitus. Menam Appianus Alexandr. lib. 5. de Bell. Civil. non uno in loco Menodorum nominat. Unde suspicio mihi nascitur, a Graeco illo nomine Romanum esse procusum, de qua consuetudine dixi supra cap. 6. Parum opportune Casaubo-

bonus hoc ad Sueton. in Aug. 74. monet, jus aureorum annulorum, quo Mena fuit donatus, minus fuiſſe, quam reſtitui natalibus. Si quidem conſtat, illa aetate, qua Menas fuit, annulos aureos non natales duntaxat, atque ingenuitatem dediſſe, ſed gradum Equeſtrem. Imminutum vero deinceps eſt aureorum annulorum jus, vid. l. 5. ff. & l. 2. C. de jur. aur. annul. & Novell. 78. Sed ad Icelum, a Galba Imperatore aureis annulis ornatum, revertor. Quaero autem primo, cur Martiani nomen acceperit, dein cur id nomen Equeſtre dicatur a Tacito. Ita namque ille Hiſtoriar. lib. 1. cap. 13. Nec minor gratia Icelo Galbae liberto, quem annulis donatum Equeſtri nomine Martianum vocitabant. Paucis dico, a Marte Martianus eſt dictus, ut fortis ejus animus, & Marte dignus ſimul cum cognomine Romano indicaretur. A virtutibus & vitiis indita Romae cognomina ſcimus. *Martianum* enim, quod omnes Taciti codices praeferunt, malo, quam Marcianum, quod pars maxima codicum Suetonii. Non ignoro Marcos & Marcios Romae fuiſſe, illos praenomine, hos Nomine gentili, eoque antiquiſſimo & patricio, imo & regio, teſte Julio Caeſare apud Sueton. in Caeſ. cap. 4. ab utroque autem Nomine eſt Marcianus. Verum a Marte eum dici voluit Galba, quod eum praefecturae Praetorii, quae meta fuit & ſummus apex militaris honoris, deſtinabat. Suetonius id indicat, dum ait, eum ſummi Equeſtris gradus candidatum fuiſſe, quae unius Viterbienſis libri eſt ſcriptura, cujus exemplo diſcimus, plus eſſe non nunquam in uno, quam in turba boni. Nec movent me ea, quae contra urget Cl. Oudendorpius, quantumvis erudite. A Marte Martius eſt, atque inde Martianus. Vulgatius eſt Martialis, ſed tamen neque illud uſus reprobat, certe inde Martiani cognominis uſus eſt, quod ſexcentis fuit tributum. Equeſtre hoc cognomen dicit Tacitus, non quod Equeſtri ordini illud fuerit proprium, ſed quod hoc pro Equeſtri cognomine ſit Icelo datum a Galba. Nam cum usque id temporis Iceli ſervili nomine vocitatus fuit libertus, mox ut natalibus fuit reſtitutus atque Equeſtri ordini inſertus, honeſtiore nomine opus fuit. Decorum autem & honeſtiſſimum nomen Galbae eſt viſum Martiani ob cauſſas, quas memoravi ante. Cum ergo Icelus eques factus deſideraret Equeſtre nomen, id eſt Equite dignum, illud, quod dixi, ei eſt datum. Romae Nomina nulla fuerunt, quae uni ordini peculiariter competebant, omnia omnibus communia fuerunt. Nam quae patriciorum olim erant, ea a libertis, a peregrinis, ab adoptatis,

tatis, ad plebem transferebantur, atque a plebe mox ad Equites, plebejum namque & Equestrem ordinem solus census, non Nomen discernebat. Quo loco steterit annuli aurei honos tempore Diocletiani, & a quo fastigio deciderit, ex hac ejus constitutione paret, l. 2. C. de jure Aureor. Annul. *Aureorum*, inquit, *usus annulorum beneficio Principali tribuitur, Libertinitatis, quoad vivunt, imaginem, non statum ingenuitatis praestat.* Sed & jam tempore Paulli Jurisconsulti ab hereditate eorum patronus non excludebatur. Justinianus in Novell. 79. cap. 1. sed jus libertis omnibus indulsit. De Natalibus restitutis addit, *Natalibus autem antiquis restituti liberti ingenui nostro constituuntur beneficio.* Sed & hic jura mittimus. De Nominibus quidquam migratum, non memini me cognoscere.

CAPUT XIV.

De Nominibus Christianorum Priscorum.

Christiani nonnulli peculiaria sibi Nomina adsumserunt, aut suis dederunt. Recensentur multa. Adeodatus. Quod vult Deus. Deusdedit. Servus Dei, Contumeliosus, Projectus, Projecticius, Rejecticius. Stercorius &c. Benenatus, Renatus, Refrigerius. Item Nomina Biblica. Fuit & novum Nomen in baptismate tributum. Symbola multa fuerunt, quibus Christiani in monumentis testificabantur religionem suam, & a paganis se segregabant. Affectabant incultum sermonem.

Quae capite 12. de Christianis dixi, ea mihi in mentem redegerunt Christianorum priscorum Nomina, de quibus ante non cogitaram, existimo autem, non alienum fore ab hoc loco, de iis aliquid addere. Tametsi plerique Christiani communem gentilium civium suorum consuetudinem sunt secuti, fuerunt tamen haud pauci, qui ad testificandum animi sui habitum affectumque & ad declarandas virtutes, quas Christus praecepit, rerum praesentium despicientiam & contemtum, futurarum & coelestium desiderium, spem, fiduciam, aequanimitatem, patientiam, animi dejectionem & humilitatem, peculiaria quaedam & insueta Gentili-

bus Nomina adsumserint. In illorum Nominum censum referuntur a me Homobonus Episcopus. Murator. Inscr. Thes. MDCCCLXXXVI. 2. Adeodatus Presbyter. Idem CCCCXIX. n. 6. MDCCCXX. 4. Reinesius DCCCCXXI. 9. Syntagm. Inscr. atque ex eo, ut credo, Fleetwood Syllog. Inscr. pag. 342.

Adeo sic datus altaris fuit ille minister.

Idem pag. 400.

Laus ista felix respicit te Presbyter
Ne te Levita Adeodate praeterita.

Ex quibus perspicimus, id quod etiam ex sequentibus apparebit, Ecclesiae ministeria, Episcopos, Abbates, Presbyteros potissimum illis Nominibus fuisse appellatos. Adeodata est apud Murator. 393. n. 4. pag. MDCCCXVI. 4. item Deudata. MDCCCLX. 3. Habetdeus Abbas. Reines. Cl. XX. 94. Episcopus Lunensis eodem nomine in Actis SS. Februar. Tom. 3. pag. 15. Deusdedit Episcopus Eboracensis in vita S. Wilfridi in Actis SS. April XXIV. pag. 283. nec non Episcopus Dorovernensis apud Bedam saeculo septimo. adde Reinesium Cl. XX. 287. Muratorium 424. 2. Succurrit hoc loco illud Tertulliani in Apologet. cap. 17. *Quod Deus dederit omnium vox est.* Ad illa referendum quoque nomen Quoddeus vult. Murator. 395. n. 3. pag. MDCCCLVII. 4. Reinesius Cl. XX. n. 411.

IVBENTE DEO CHRISTO
S. MARTYRI VICTORINO QVOD VVLT
DEVS DE SVO FECIT.

Fertur quoque foemina hoc nomine. Fabrett. Inscr. pag. 580. n. 79.

DVLCISSIMAE EYLIAE
QVOD BVLDEVS QVAE VIXIT ANNO I.
D. III. DECESSIT NONIS
IENVARIA
S PARENTIS FEC
ERVNT DOLENTIS.

Caussam Donatistarum disceptasse memorantur Quodvultdeus Episco-

Episcopus Cessitanus, atque eodem nomine Nebbitanus, necnon Centuriensis & Cirbitanus. Praeterea Adeodatus Episcopus Milevitanus, Habetdeus Episcopus Aurusulianensis. His adde Episcopos Adeodatos Bencennensem Satafensem, Simidicenses, quorum omnium mentio in Collationibus Carthaginiensibus, quae novissime Optati Milevitani libello de Scismate Donatistarum adjectae sunt. In iisdem Collationibus est Episcopus Tiburcicuburiensis, Servus Dei nonime. Fuit Carthaginiensis Episcopus Deogratias. Murator. MDCCCCXXXXI. I. *Cespite sub duro cubat servus dei Ecclesiae Gerundensis Episcopus.* Atque ut Gentilibus exprobrarent injurias & contumelias, quas aequissimo animo patiebantur Christiani, Contumeliosos, Projectos, Rejecticios nominabant. Contumeliosum accipe non qui infert, sed qui accipit contumeliam. Fuit Contumeliosus Episcopus, qui subscripsit Regulae S. Caesareae, vid. Acta SS. Januar. die XII. pag. 736. Muratorii 1956. 7. est Rejecticia.

LOCVS VIC
TORIS HIC PO
REIECTICIA IN
PACE. VI. KA. MAR.

Projectus pag. MDCCCCXXIX. n. 8. Projecta pag. MDCCCCLXXXXIX. n. 12. forte & ita apud Gruter. pag. ML. n. 7. ubi nunc *Prolectus* legitur. Projectitius Martyr colitur XVIII. Aug. quo praecipue delectati videntur. Insapientiam dixit filium aut Insapientiae filium, quicumque hunc lapidem posuit, quem habet Muratorius MDCCCXXXVI. n. 3.

AVRELIANO IN
SAPIENTIAE FIL
IN SEC ANN III. N.

Filium autem trium annorum insipientiae filium nominavit Pater, ut ostenderet, eum crescere in fidem sive disciplinam Christi, quem Paullus Apostolus, 1. Cor. 1. v. 23. Ιυδαίοις μεν σκανδαλον, Ε'λλησι δὲ μώρίαν fuisse scribit, id quod & animadversum Muratorio. Non etiam a foetidis & pudendis inter Gentiles Nominibus abstinuerunt Christiani, cujusmodi est *Stercorius*, quo praecipue delectati videntur, ut despiciendam ac tetram humani corporis conditionem docerent. Crebrum illud est in cippis vetustis. Muratorius MDCCCCXXIX. 3.

PROCVLA FILIO DVLCISSIMO
STERCORIO BENEMERENTI ET
EVTYCHVS PATER INCOMPARA
BILI FILIO QVI BIXIT ANNVM
VNVM M VNDECIM. INNOCENTI
FECERVNT.

Idem MDCCCCXXXVIII. 5. & MDCCCCXXXXV. 1. ubi Tabula Stercori pueri annorum trium. & 2. Stercorio filio dulcissimo, qui vixit ann. II. m. VI. d. V. MDCCCCXXXII. 2. *Parentes Secundinus & Ermogenia filio suo Stercorio en erene.* Stercorius inter Martyres recensetur in Actis SS. Julii die XXI. Fabrettus Syntagm. Inscr. pag. 582. LXXXIX. *Dominae meae conjugi Stercoriae incomparabili virginiae suae cum quem vixi ann.* XXVII. *m.* V. *d.* VI. atque ita Stercoria. Murator. MDCCCLIII. 13. ubi Constantius Ladiciae Stercoriae. & MDCLXIX. 5. Stercoria uxor marito dulcissimo. MDCCCLXIX. 3. Est Pont. Julia Stercora, atque ita Stercores apud Fabrett. pag. 582. n. 170. qui & Stercorios habet pag. 171. 172. 583. At vero Murator. MDCCCCXXXI. 2. Istercoria dicitur, ut MDCCCXXXX. 12. *Istercorius*, ita namque ibi parentes filio dulcissimo Istercorio ut Ispiritum, Fabrett. pag. 571. n. LVI. & n. CXLII. Muratorius MDCCCXXXXVII. 7. Isttephanus, Reinesius Syntagm. Inscr. Class. XX. 287. Ismaragdus. Class. XIV. 87. quem & consule ad Cl. XX. 328. Laetiora Nomina sunt Benedictus, Bonifacius, Benenatus, Renatus, Revocatus, Refrigerius, nec non ea, quae ab hominibus divinis repetebant, Petrus, Joannes, Andreas, Thomas, Marta & multa alia, quae praetereo, quia obvia. Chrysosthomus in Homil. 21. in Genesin, adhortatur auditores suos, ut missis parentum, avorum, & illustrium virorum Nominibus, Sanctorum virorum, quos Sacra Scriptura celebrat, Nomina liberis suis imponant; atque illorum exemplo animos ad virtutem inflamment. Eusebius quidem in Histor. Eccles. lib. 7. cap. 25. Plurimos Apostolo Joanni cognomines fuisse scribit, quod eum prae caeteris suspicerent & admirarentur, additque, multos fidelium liberos eandem ob caussam Paulli & Petri Nomina gessisse. Denique & hoc addendum, aliud Nomen pueris recens natis fuisse impositum, aliud deinceps renatis, id est, cum baptizarentur (baptizabantur autem nonnunquam adultiores) fuisse datum. Certe de Sancto Innocentio, Episcopo Dertonensi in Liguria referunt Acta Sanctorum Boland. April XVI. pag. 482. eum primum patris nomine Quinctium fuisse

fuisse dictum, at vero in baptismate Innocentium appellatum. Vixit ille Valeriani & Gallieni tempore. Ipsum Christiani Nomen nusquam in monumentis reperi, crebra tamen in monumentis eorum signa & symbola, quibus sectam suam prodebant. Nonnulla illorum exponit Clemens Alexandrinus lib. 3. cap. ult. ubi ille haec. Nobis, inquit, sunt signa, columba, vel piscis, vel navis, secundo vento currens, vel lyra musica, qua usus est Polycrates, vel anchora nautica, quam insculpebat Seleucus, & si sit piscans aliquis, meminit Apostoli & puerorum, qui ex aqua extrahuntur. Verum & complura alia sunt frequentissima, crux & monogramma Christi. Id autem praecipue sibi curae habuerunt prisci Christiani, ut manifestis indiciis a gentilibus segregarentur. Dubitavi saepe, an ii diversam scribendi rationem sint secuti, hoc certum, haud paucos illorum omnem ornatum cultumque orationis ita abiecisse, ut soloecismos & inconditam verborum structuram affectasse videantur, quam negligentiam ita excusant principes inter Christianos viri, ut eam probasse videantur, quamquam summis ipsi eloquentiae laudibus floruerunt. En sermonem neglectissimum Christiani in marmore vetusto, quod edidit Fabrettus pag. 566. n. XLI.

PATER DENEMERENTI FECI
T FELICISSIME FILIE QVE NA
TA ES TERTIVS ENIAVAES
VPOSITA ANNIS TRE ETNE
CIS OCTO ET IES NOBE

Si quid mihi creditur, ita castigandus sermo ex cultiore litteratura.

Pater benemerenti feci
t felicissimae filiae quae na
ta est tertio Idus Januarii
deposita annis tribus & menses octo & dies novem.

quanquam nec hoc modo vitia omnia sublata. Addo alterum, ex eodem Fabretto, & quidem proximum.

BENE MCPCNTI IN PACE
VIT XX MCSIS VI DIAES XVIII
FELIX FCCIT HORIAE QVAE ANNOS

In

In quibus non tantum nova & invisitata nonnullarum litterarum forma, sed & praepostera versuum collocatio, quos ita ordinat Muratorius: *Felix fecit Horiae, quae annos vixit* XX. *menses* VI. *dies* XVIII. *bene merenti in pace.* Voces *deposita* in illo marmore, *in pace*, in hoc, nec non sollicitior temporis cujusque observatio, denique corona & palma in hoc utrumque Christianis vindicant. Plura hujusmodi dabit quaerenti Aringius in Roma subterranea, quem cum maxime non tango.

CAPUT XV.

De Nominibus Uxorum.

Epistola ad Virum Clarissimum olim scripta, qua demonstratur, Nomina maritorum non cum Uxoribus fuisse communicata. Qui factum, ut eodem Nomine Vir & Uxor fuerint dicti: Livia Julia dicta, quia fuit in testamento adoptata ab Augusto. Antiquus lapis expositus & correctus. Sequani Superiores & Inferiores. Plinii locus illustratus. Matrimonium pro uxore. Plinio sua lectio adserta. Augustae dictae multae, quae Uxores Imperatoris non fuerunt. Contra non omnes Uxores Caesaris Augustae. Victoriae nummi ficti. Augustae, a Senatu dictae, item Augusti, quia Senatus habebat jus faciendi Deos. Tyranni Senatum sibi constituerunt. Agrippina Claudii serus Augusta, quam uxor facta: Item aliae. (a).

Extra propositi operis ordinem decrevi, hic de Nuptarum Foeminarum Nominibus agere; exhibiturus epistolam, quam dudum de iis scripsi. Rejeci eam ad calcem operis, quod formae modulum, quem in rebus caeteris servo, in hac disputatione excessisse videbar, copiosiusque, ut fit in contentionibus, nonnulla disseruisse.

Viro Consultissimo Doctissimoque
s. d. p.
Henr. Cannegieter.

Nu-

(a) *Notas, quas litterarum forma distinctas vides, non olim, cum epistolam misi, sed nunc demum, adjeci.*

Nuperrime ad me scripsit filius meus, qui Leidae cum maxime studiorum caussa versatur; cum forte in taberna libraria libellos excuteret, incidisse sese in librum tuum, quem paucis ab hinc annis publicasti. Incidisse praeterea in illum locum, in quo me oppugnas, quod negaram in Dissertatione de aetate & stilo Aviani cap. 9. pag. 265. liquidum mihi esse factum, id quod viri doctrina praestabiles passim praecipiunt, Nomina virorum ad uxores transisse, qui locus est libri tui pag. 128. Id cum cognovi, opus illud tuum confestim evolvi, quod ante id tempus non attigi, aliis curis impeditus. Tanto autem alacrior ferebatur animus ad discendam de ea controversia opinionem tuam, quod iterum aliquando in libello, quem meditor, de eadem re mihi disserendum erat. Quae & caussa est, cur diligentius ex Te de sententia tua ante exquirere voluerim, quam publice de ea statuere. Quod autem scribis, velle Te rationes addidissem sententiae: Miror, Te non vidisse aut cogitasse rationes tres, in illo loco a me positas, quibus adductus negavi, maritorum Nomina, a Malvasia recensita pag. 305. usque ad pag. 309. conjugii caussa fuisse communicata cum uxoribus, sed aut caussa cognationis, aut manumissionis, aut adoptionis ad eas transiisse. Ita namque scripsi. *Quae enim exempla accumulavit illustris auctor Marmorum Felsineorum, ea aut de cognatis aut libertis, aut etiam adoptatis interpretanda reor* (b). Porro argumenta tria, quae a Scriptoribus antiquis petis, tantum abest, ut id doceant, quod Tu ex illis colligis, ut contra omnino pro mea sententia pugnent. Primum est, quod Livia Caesaris Augusti uxor, Augusta est dicta. Tu autem nescis, Vir Celeberrime, nomen istud non Liviae Conjugi, sed Filiae tributum? eo certe tempore datum, cum morte ruptum esset matrimonium, & Livia Adoptione ex testamento Augusti non Conjux esset, sed Filia facta. Id Te docere potuit Suetonius in Aug. cap. 101. *Heredes instituit primos Tiberium ex parte dimida & sextante, Liviam ex parte tertia, quos & ferre Nomen suum jussit.* Potuit & docere Tacitus Annal. lib. 1. cap. 8. ubi diserte de Nomine Augustae testatur, *Tiberium & Liviam heredes habuit. Liviam in familiam Juliam, Nomenque Augustae adsumsit.* Lapis antiquus est Gudii Inscript. LXXXVII. in quo post illam Adoptionem Filia dicitur Drusi, patris naturalis.

LI-

(b) *Adoptatorum nomine etiam eos complector, qui testamento, aut alia quavis voluntate jussi sunt ferre Nomen.*

LIVIAE DRVSI F
AVGVSTI
MATRI CAESARIS ET
DRVSI GERMANICI
SVPEREQVANI PVBLICI

Hunc addo non tam, ut inde cauſſam meam inſtruam, quam ut ſententiam Tuam de eo explorem, ſi forte hoc ſtudiorum genere delectaris, mihi quidem AVGVSTAE legendum videtur, at, ſi in Gallia repertus eſt lapis, SVPER. SEQVANI (c). PVBLICE. *Valet tamen* Auguſti, *ſi intelligas* uxori, *quae vox ſaepe intelligitur.* Verum, Plinius, ais, Natur. Hiſtor. lib. 15. cap. 30. teſtis eſt, Liviam Auguſtae Nomen matrimonio accepiſſe. Sed contra dico, Te aberrare longe a mente Plinii, qui ita interpretaris verba ejus, Liviam nuptam, id eſt, eo tempore, cum Auguſti uxor eſſet, Auguſtae Nomen habuiſſe: At vero Plinius hoc modo: *Sunt &*, inquit, *circa Divum Auguſtum eventa ejus digna memoratu. Namque Liviae Druſillae (quae poſtea Auguſta matrimonii nomen accepit) cum nupta eſſet illa Caeſari, gallinam conſpicui candoris ſedenti aquila ex alto abjecit.* Matrimonium hic accipio maritum, conjugem (d). Verba Plinii hoc declarant, Liviam Druſillam poſtea accepiſſe matrimonii, id eſt, mariti ſui Nomen. Diſtingue ergo haec tria tempora, primum quod fuit ante nuptias, ſecundum quod fuit in matrimonio, quibus temporibus appellata fuit Livia Druſilla, denique tempus tertium, quod fuit poſt illud matrimonium, cum Auguſti mariti Nomen accepit, appellataque eſt Auguſta. Vides quam concinne ea congruant ſententiae Taciti & Suetonii de illo Nomine. In errorem puto Te omneſque illos, quos Tu ſecutus es, abripuit vulgata lectio Plinii, quae circumfertur, *cum pacta eſſet illa Caeſari*, quae alteri poſthabenda, non tantum, quia haec melioribus codicibus probatur, ſed & quia aliorum Hiſtoricorum fidei magis reſpondet, licet Suetonii & Dionis, quorum hic non poſt pactas, ſed initas demum nuptias, recenſet hoc prodigium, Suetonius vero in Gal-

(c) (*Id eſt* ſuperiores Sequani *Multae regiones Provinciaeque in Superiores & inferiores tributae olim fuerunt, ut Germania, Moeſia, Pannonia, Illyricum.*)

(d) *Sulpicius Severus Hiſtoriar. lib. 1. cap.* 24. Inde, ut ſemper fieri ſolet, morum diſciplinaeque immemor, matrimonia ex victis adſumere, paullatimque externos mores trahere. *Putidus ſim, ſi plura addam ex Livio, Suetonio, Juſtino, ab aliis dudum collecta.*

Galba cap. 1. diserte, *Liviae*, inquit, *post Augusti statim nuptias.* Casaubonus anno post eas altero factum arguit. Equidem nullus sollicito verba Plinii, credo tamen, homines esse, haud quaquam ineptos, qui in illo loco legere malint, *Augusti matrimonii*, ut *Augustum nomen*, *Augustum imperium*, *Augusta domus.* Adde Salmasium ad Lampridium in Alexand. Sever. cap. 15. Injuriam itaque facis Plinio, cum Tu ita de eo: *Clare* Plinius *matrimonii hoc fuisse nomen tradit*, detorta in alienum ab hoc loco intellectum voce *matrimonii.* Neque enim fugiebat Plinium, honoribus amplissimum, & Augustae domus familiarem, non omnes Augustorum uxores Augustas esse, neque Augustas omnes nuptas esse Augustis, id est, Imperatoribus. Non memini, Caesoniam Caji Caesaris, sive Caligulae, Augustam fuisse cognominatam (e). Contra Antoniam ab eo, non quod uxor erat, sed quia Avia, meruisse Augustae nomen. vid. Dion. Cass. lib. 59. sub initio pag. 641. De Sororibus Caji illius Augustis dicetur dein. Nero id filiae recens natae concessit. Tacitus Annal. lib. 15. cap. 23. Vitellius Matri. Historiar. lib. 2. cap. 89. Datum illud deinde est Marcianae Trajani sorori, habuitque Mathidia Marciani filia, Didia Clara Juliani filia. Quid de Julia Maesa, Julia Soemiade, Julia Mammaea, Zenobia doceam? Constat, eas non connubii, sed cognationis caussa Augustarum Nomine dictas. De Victoria, Victorina an Vitruvia (dubia nominis scriptura est, nec moror Nummum, qui ex Stradae libro depromtus circumfertur, mihique confictus existimatur) Trebellius Pollio de xxx. Tyrann. cap. 4. Augustae Nomine adfectam fuisse scribit, mater autem Victorini Augusti fuit, Augustosque plures Galliae dedit. Nummos illius Victoriae alios Casaubonus in Commentariis cap. 31. venditat (f) quos quidem mihi numquam videre contigit, nec recenset eos, aut Occo, aut Mediobarbus. Vide itaque, ne Te in errorem & fraudem inducas, cum, Scaligerum, ut ais, secutus (quanquam illam sententiam Scaligeri in Animadversionibus ad Eusebium pag. 233. a Te designatam non reperi) non dubitandum scribis, Nomen Augustae competere uxoribus, simulac viri earum Imperium auctore Senatu acceperunt. Nam si competere iis hoc Nomen ob id significas, quod aliquod jus petendi ha-

(e) *Uxorem nominat Suetonius in Calig. cap. 25. & 50. Conjugem idem Plinius Natural. Histor. lib. 7. cap. 5. adde Dionem Cassium lib. 59. pag. 658.*
(f) *Hoc titulo, VICTORIA MATER CASTRORVM. F. M. P. A.*

habent, fero. Sin autem jus iis putas fuisse gerendi id Nomen, matrimonii sui caussa, vehementer erras. Contra dico, nulli foeminae competiisse, nisi, quae rite a Senatu atque ab Imperatore eo Nomine condecorata esset, ut nemo Augustus, nisi qui a Senatu dictus aut comprobatus fuit. Non nescio, a militibus Praetorianis & ab exercitibus plurimos Imperatores fuisse factos, & honores, de quibus disputamus, a Senatu non primum delatos, sed & illud scio, neque id Te fugit, quum de jure quaeritur, non spectandum id, quod fiat, sed quod fieri debeat (g). Quae & caussa eos impulit, qui Gallieno imperante imperium rapuerunt (Tyrannos appellare consuevimus) ipsi sibi in provinciis suis Senatum, atque instar quoddam Senatus Romani constituerint, a quo ea sibi decerni curarunt, quae a Senatu Romano concedi solebant: Atque ideo in Nummis Postumi, qui Galliis tantum praefuisse creditur, ego vero Hispanias eum praeterea, & Britanniam tenuisse existimo, S C. id est, Senatus consulta, Tribuniciam Potestatem & Consulatus jactari videas, Illumque Senatum esse credo, qui Victoriam Augustam dixit. Et quo amplius intelligas, Nomen Augustae non fuisse conjunctum cum matrimonio ejus, qui a Senatu Imperator est appellatus, quaeso Te, matrimonium Agrippinae & Claudii advertas. Nosti, eum optimo jure Imperatorem fuisse, & docet Tacitus, prona populi & Senatus voluntate, imo, si mimo credimus, ex jussis Populi & Senatus auctoritate eum Agrippinam duxisse domum. Et tamen his nuptiis, quae initae sunt & celebratae Cajo Pompejo & Veranio Consulibus, non facta est Agrippina Augusta, sed demum altero anno post, nempe C. Antistio & M. Suilio Consulibus, consule eundem Tacitum Annal lib. 12. cap. 25. 26. ubi notanda verba: *augetur & Agrippina cognomento Augustae*, quae & Tute citasti, sed parum meditatus, ut vides. Auctior ergo fuit, hoc cognomine foemina, accessitque ei dignitas, qua antea caruit. Accessisse autem, tributam a Senatu, ex Dione paret, lib. 60. pag. 686. in fine. Quos hono-

(g) *Tacitus Historiar. lib. 1. cap.* 47. Accurrunt patres, decernitur Othoni Tribunicia potestas & Nomen Augusti, & omnes Principum honores. *Quemadmodum id Nomen Principum primo a Senatu datum, docet Sueton. in Aug. cap. 7. De hoc Nomine Vegetius de Re Milit. lib. 2. cap. 5.* Imperatori cum Augusti Nomen accepit, tanquam praesenti & corporali Deo fidelis est praestandi devotio & impendendus pervigil famulatus. *Jus Senatus fuit Romae Deos facere. vide Tertullian. in Apologet. cap. 5. ergo & Augustior*, qui jam tum, dum colunt terras ipso Nomine & titulo consecrabantur. *Verba illa Flori sunt libri ultimi capite ultimo in fine.*

nores, a Dione commemoratos, si commiseris cum iis, quos Tacitus enumerat, videbis, eandem rem utrique memorari (h). Nil dico de aliis, quae diu post imperium mariti conjugiumque hoc nomen acceperunt. Tu adi Lipsium ad Plinium in Panegyr. cap. 21. Capitolinus hoc tanquam singulare quidpiam & insuetum videtur referre de Pertinacis uxore Flavia Titiana, cap. 5. illam eodem die, quo is imperium adeptus, Augustam esse appellatam. Non addo plura hoc loco, memor eorum, quae ab Illustri viro Ezech. Spanhemio Differtat. VII. de Usu & Praestantia Numism. copiose sunt tradita. Quo autem verius distinguas inter Uxorem Imperatoris & Augustam, ex Plinii Panegyrico disce, cap. 84. Uxores privatas esse habitas, Augustas vero personas publicas fuisse (i).

CAPUT XVI.

De Nominibus Conjugum.

Qui Domini Nomine fuerunt salutati. Adulatio Romanorum tempore Trajani. Formula nuptialis, ubi Tu Cajus, Ego Caja, explanata. Cajus Praenomen quando Gentis Nomen esse coepit. Cajus, a Graeco Γαιος, *bovem operarum notat.* Γῆ, γάμος, γαμεῖν *unde. Honestissimae appellationes a rure desumtae. Magnus bonos boum fuit. Bos, taurus, juvencus, juvenca, ad homines & ad Nuptias translata vocabula. Idem factum apud Germanos, quibus Gemael & Gemalinne a Gemael juvenco aut juvenca dicitur. Ver Nobilissimarum foeminarum nomen unde. A bubus dicuntur conjuges & vincla jugalia. Inscriptio vetus explicita. Maritus conjux. Juno Juga. Pares & compares de bubus & hominibus usurpata. Item* σύζυγοι. *Disparati, id est, matrimonio disjuncti. Cajus sive Gajus maritus, Caja & Gaja uxor. Formula, ubi Tu Cajus &c. aptissima Conjugio.* Con-

(h) *Id quod propterea addidi, ne quis ex l. 1. ff. de Legibus opinetur, ut reliqua privilegia, sic & Augustae Nomen a solo Principe cum conjuge communicatum fuisse.*

(i) *Illis adjicio cum maxime Suetonii testimonium, quo constat, Domitiam, non eodem anno, quo Imperatoris uxor esse coepit, etiam Augustam fuisse factam. Ita autem Sueton. in Domit. cap. 3.* Deinde Uxorem suam Domitiam, ex qua in secundo suo Consulatu filiam tulerat, alteroque anno consalutaverat, ut Augustam, eandem Paridis Histrionis amore deperditam repudiavit.

Conviva, id est, conjux. Inscriptionis antiquae lectio defensa. Convivi, Conjuges, Graecis σύμβιοι. Definitio nuptiarum nove exposita. Vita, id est, vitae casus & fata. Consuetudo quid in definitione Nuptiarum. Vox est a suus. In nuptiis imponebatur jugum sponsis. Amphisbaena symbolum matrimonii. C. Ɔ. id est, Cajus & Caja, in Inscriptionibus. Nomina ominis caussa ad tempus mutata. Formula Caja Caji Titii explanata. Titius est a tueor, recte de marito. Livia Juliae Nomen Testamento Augusti accepit. Livia ante eam adoptionem ab Historicis Julia appellatur per πρόληψιν. Scaligeri error notatus.

Redeo tandem ad librum tuum. Quae ibidem mox in eo pro exemplis subjungis, eam mihi obscuritatem adferunt, ut nesciam sane, serio illa, an ludens dixeris. Ita enim pergis. *Nihil magis haec probant, quam si dicas, Domini Nomen respuit Augustus, ergo non fuit revera Dominus.* Nosti credo, Domini Nomen inter ignotos salutandi caussa usurpatum fuisse, inter aequales, eo benevolentiam significari; inter inaequales imperium, ut in servos, ostendi. Quod si ergo Augustus illud Nomen a civibus admisisset, anne sese Dominum, illos servos professus fuisset? Tales autem fuisse cives Romanos Augusti tempore, nequaquam Tibi adsentior. Imo quia longe aberant ab illa calamitate, quam ne pessimus quidem Imperatorum jactavit, abhorruit ab ea appellatione moderato & civili animo Princeps Augustus. Sed dices, Trajanus Optimus Princeps eam appellationem ab amicis admisit, postea alii Imperatores ab omnibus. Verum illud tempus est, quo Imperii vetustas adsueverat adulationibus ingenia Romanorum. Sed mitto hoc, mitto etiam ea, quae continuo sequuntur in illo Tuo libro: *dicis caussa a Senatu cognominibus variis ornari se passi sunt Imperatores, cum re ipsa Patriae essent Patres, legibusque soluti.* Etenim vere id an falso dixeris, parvi refert ad eam rem, qua de agimus. Unum liceat dicere, mirari me vehementer, quod ad rem incertam probandam incertiora longe profers. Fac enim, fuisse Imperatores plurimos re ipsa Patres Patriae, quorum quidem pars major reipublicae pestes mihi fuisse videntur, quod Principes scribis legibus solutos, si de legibus omnibus & Principibus prioribus sentis, aut falsum id, aut admodum dubium est, magnisque contentionibus inter viros magnos certatum.

Pergo ad argumentum secundum, quo uteris, ut doceas, maritorum Nomina cum uxoribus communicata fuisse in populo Roma-

mano. Nempe quia virgo nubens dicebat ſponſo, *Ubi Tu Cajus*, *Ego Caja*, ergo illa accepit Nomina mariti. Mirifica mehercle conſequentia. Sed videamus, qua arte argumenti partes connectas. *Tandem*, inquis, *ad formulam, in nuptiis Romanorum ſolennem, provoco*, Ubi Tu Cajus, Ego Caja, *de qua Plut. Quaeſt. Rom.* xxx. *per hanc vero, ut boni ominis cauſſa adbibitam, quid aliud indigitabant Romani, niſi quod Uxores, in familiam maritorum cum tranſierunt, mariti gentilitium nomen adſumerent?* Primum rogo Te, quid Cajus & Caja Nomen gentilitium? Non fuit certe Gentis Nomen ei foeminae, a qua mos ille & illa formula originem duxit, nempe Cajae Caeciliae (k). Deinde ipſe T. Probus (quem Tu modo Nomine illo, modo Valerii Maximi appellas) non Cajam inter Gentilitia, ſed Praenomina ponit. Verum quis veterum formulam illam, *Ubi Tu Cajus*, *Ego Caja*, de commutatione Nominum Mariti & Uxoris expoſuit? Illi certe, ad quos Tu provocas, maxime Plutarchus, alia omnia de ea commemorant, quae adſcribere hoc loco nil attinet. De Nomine Caji & Cajae, ſive Gaji & Gaiae, ſi Te forte juvat meam ſententiam cognoſcere, haec pauca accipe. Gajus a Graeco Γαῖος eſt. Heſychius, Auctor Etymologici magni, & Euſtathius ad Homerum Il. B. pag. 188. ὁ ἐργάτης βοῦς bos operarius exponitur. Eſt itaque ab antiquo γάω, id quod idem eſt atque τίκτω, generô, pario, inſpice Grammaticos illos in voce Γαῖα, quae vox indidem deſcendit. Eſt namque γαῖα, ſive γῆ, terra rerum foecunda creatrix, ut γαῖος taurus, pater gregis. A γάος praeterea eſt γάμος, & γαμεῖν nec non ganea, quae Nonius exponit loca libidini apta. Γάνη Siculi mulierem dixerunt. Sive autem ad prolem referas vocem Cajus, ſive Gajus (liberorum quaerendorum cauſſa Uxores habuiſſe Romanos priſcos notum eſt) ſive ad opera reliqua, quae olim ruſtica fuerunt illo populo, hoc certum, a rure atque ab armentis pecoribusque honeſtiſſimas appellationes tranſlatas fuiſſe ad homines (l). A bubus conjugibus, Maritus & Uxor dicuntur con-

(k) *Gentis Nomen demum eſſe coepit Imperatorum ſaeculo, quum miſta fuerunt Nomina Romanorum omnia. vid. ſupra cap. 2.*

(l) *Magnus bonos olim bubus fuit.* Tanta, *inquit Columella in praefatione libri 6.* *bovis* apud antiquos fuit veneratio, ut tam capitale, bovem necaſſe, quam civem, *ubi & jumenta nomen traxiſſe ſcribit, quod noſtrum laborem juvarent. Vaccius apud Varronem de Re Ruſt. lib. 2. cap. 5. Bovem nominat* ſocium hominum in ruſtico opere & Cereris miniſtrum, *unde Plinius lib. 8. cap. 45.* Socium laboris, agrique culturae habemus hoc animal.

conjuges, Festus *juges ejusdem jugi pares, unde conjuges & sejuges.* Quae in notis adduntur ex Apulejo declarant, non de solis hominibus usurpari eam vocem, quibus nunc addo Severum Sanctum Endelichium in carmine de Mortibus Boum. v. 45.

Laevus bos subito labitur impetu,
Aestas quem domitum videat altera.
Tristem continuo dijugo conjugem,
Nil jam plus metuens mali.

Quare haud quaquam male in lapide Fabretti Inscript. pag. 310. *Maritus Conjux.* Vox namque *maritus* latius patet. Tu autem maritum conjugem accipe consortem utriusque fortunae, atque individuum vitae. Vincla jugalia de bubus & hominibus usurpari scimus. Imo jugis bos, vox taurus etiam ad homines translata, & quis inter eos dicatur, docet Burmannus ad Petron. cap. 25. Nota est Pasiphaes fabula, nota etiam quorundam interpretatio ejus de tauro, juvene robusto, qui adulteravit Pasiphaen. Hesiodi est Ἐργ. I. v. 345.

Οὐδ᾽ ἂν βοῦς ἀπόλοιτ᾽ εἰ μὴ γείτων κακὸς εἴη

Neque sane bos interierit, nisi vicinus malus sit.

Sunt, qui bovem in eo versu uxorem accipiunt. Certe Joannes Tzetzes, ἡ βοῦς ἡ ὑπὸ ζυγὸν ἤγουν ἡ γυνή. *Bos jugis ergo est mulier.* Item Proclus Ἔνιοι δὲ βοῦν ἐδέξαντο τὴν γυναῖκα, *nonnulli bovem interpretantur uxorem.* Juvenis & juvencus cognata sunt vocabula; Ille dictus, quia in bello juvabat, hic, quia in agro atque in area. De juvenca muliere viri docti ad Ovid. Heriod. ep. 5. v. 117. Inter Germanos & Belgas honestiorum matrimoniorum haec sunt appellationes: Gemael & Gemalinne / quae itidem ab agris stabulisque deductae. Een mael Sicambri nominant, quae junix dicitur Latinis, foeta nempe anicula aut bima. Germani hodie dicunt vermahlen nuptum dare. Forte & Ver / quae nobilissimarum foeminarum appellatio fuit, ab armentali grege est. Var certe taurum significat & juvencum. Veerse / hodie taurum aut juvencam dicunt, veteres ver & vere dixisse puto. Gudii Inscript. XIII. I. Junonem jugam ostendit, & Festus in *jugarius*: Jugalem Servius ad Virgil. Aeneid. lib. 4. v. 16.

v. 16 (m). Haud aliter voces *pares* & *compares* communes ſunt bubus hominibusque, unde gloſſae *par* ζεῦγος, σύζυγη: ζύγη. *Compar* σύζυγος, *compares* σύζυγοι, quare idem Severus Sanctus v. 37. par de bove conjuge, id eſt eo, cui

Aetas conſimilis, ſaetaque concolor;
Manſuetudo eadem, robur idem fuit,
Et fatum, medio nam ruit aggere
Par victum parili nece.

Horatius lib. 2. od. 5.

Nondum ſubacta ferre jugum valet
Cervice, nondum munia comparis
Aequare: nec tauri ruentis
In Venerem tolerare pondus.

ubi vid. Torrentius. Similiter in hominum connubiis compar pro marito aut uxore, quae vox frequens eſt in monumentis veterum. Gruterus DCCLI. 1.

D. M.
MEMORIAE. AEL. CRESCENTINAE
COMPARI QVAE VIXIT
ANNIS VIRGO XII
CVM MARITO XXX ET
MENSES SEX
AVFIDIVS SECVNDIANVS
VXORI FECIT

item DCCLX. 5. DCCCIV. 1. Comes de Malvaſia in Marmor. Felſin. pag. 304. Fabrettus Inſcr. cap. 4. n. 37.

KARIS. SANCTISSIMO KALETICO COMPARI DVLCISSIMO
QVI IN CONIVGIO MECVM VICXIT ANNOS XXII

at-

(m) *Fulgentius de priſco Sermone.* Manilius Chreſtus libro, quem de Deorum hymnis ſcripſit, ait, Minervae injuges boves ſacrificari, id eſt, jugum nunquam ferentes, illa videlicet de cauſſa, quod & virginitas jugum neſcit maritale, & virtus nunquam ſit jugo prementi ſubjecta.

atque in aliis Christianorum tumulis in eodem capite n. 42. 121. 135. atque inde venuste disparati, id est, soluto matrimonio disjuncti. Gruter. DCCLXXX. 5.

QVO TEMPORE VIVERE DEBVIMVS
A MANV MALA DISPARATI SVMVS

Eos separatos Jurisconsulti appellare consueverunt. Inde & comparare pro componere. Nonius atque alii. Verum e diverticulo ad vocem γαῖος redeamus & ad Gajum. Non credo dubitabis, quia communia sunt inter homines & boves vocabula, ut bos & homo, jugis & conjux dicitur, sic & bovem γαίον, ita & hominem γαίον sive Gajum recte vocari & honeste. Atque ut ne dubites, γαίος, inquit Eustathius, παρὰ Ἰταλιώταις καὶ Ταραντίνοις ὁ μισθος, ἔςι δ' ὅτε καὶ ὁ παχὺς καὶ ἀναίσθητος ἄνθρωπος, *Gajus Italis & Tarentinis mercenarius & operarius dicitur*, etiam homo *crassus & stupidus*. In Etymologico nunc perperam μίαθος legitur. Quum ergo sponsa dicit, Ubi Tu Gajus, Ego Gaja, nihil aliud significat, nisi ubi tu jugis, ibi & ego jugis ero. Disertius dico, promitto, me tibi fore conjugem συγγυιαν & jugi sociam, ubi tu fueris conjunx & γαίος, matrimoniique jugum atque onera portabis. Non potuit, si quid video, vox aptior inveniri ad declarandum illud consortium, & individuam vitae consuetudinem, quam Romani Jurisconsulti conjugibus praecipiunt. Vitam autem in hac definitione fortunam intellige, atque hoc modo *conviva* pro conjuge in monumento Patavino Sertorii Ursati pag. 139.

D. M.
IVLIVS FEO
CONVIBA

Vellem manum criticam abstinuisset ab hoc marmore Ursatus, certe abstinenda fuit a voce *conviba*, id est, conviva, quanquam τὸ FEO corruptum & truncatum censeo; nam & ita Gruterus DCCLXXI. 2.

D. M. AVR. SECV
NDINVS ET AVR
VALENTINA CON
VIVI FEC. SIBI

mox

mox in eodem hoc lapide illi convivi ejusdem filii parentes dicuntur, ut conjuges fuisse scias. Graeci haud aliter σύμβιους nominant (n). Ad disputationem nostram pertinet, quod Isidorus scribit

(n) *Modestinus in l. 1. ff. de Ritu Nuptiarum* Nuptiae, *inquit*, sunt conjunctio maris & foeminae, consortium omnis vitae, divini & humani juris communicatio. *Consortium illud vitae Justinianus* §. 2. *I. de Nuptiis* individuam vitae consuetudinem *nominat, quare cave interpretes audias, qui consuetudinem eam perpetuam & irruptam copulam dicunt, aut assiduam, quotidianam & domesticam conversationem. Nam utriusque fortunae communicationem significat. Verbis Livii lib. 1. cap. 9. Societatem fortunarum omnium dico. Egregie Valerius Messallinus uxores dicit* rerum secundarum adversarumque consortia, *vid. Tacitus Annal. lib. 3. cap. 34. atque inde consors pro uxore. Murator. Thes. novo Inscript.* XXXXII. 2. *invenit in marmore Ravennate*

ACONIAE Q. F. SALUTARI CONSOR. KARISS.

id est, consorti carissimae. Gruterus CCCCLX. *non* CONSOR. *sed* CONIVGI *exhibet. Vita in illis matrimonii definitionibus fata adsignificat & vitae humanae casus. Plautus in Trucul. Act. 2. sc. 1. v. 8.*

Iste nunc id habet, quod nos habuimus. Humanum facinus factum est.
Actutum Fortunae solent mutarier. varia vita est:
Nec divitem eum meminimus, atque iste pauperes nos.
Vorterunt sese memoriae.

Terentius in Adelph. Act. 4. sc. 7. v. 21.

Ita vita est hominum, quasi cum ludas tesseris.
Si illud, quod maxime opus est jactu, non cadit,
Illud, quod cecidit forte, id arte ut corrigas.

Muratorius in Inscr. MCDLXXVII. 9.

P. LICINIO PRISCO
ET FLAVIO AMYNTAE
QVIBVS FIDES EADEM
MENS VITA ET
TVMVLVS FVIT.

Consuetudo *est a* consueo, *id quod a* sueo. Sueo *vero est a* suus. *Consuent sive consuescunt (nam ut a luceo est lucesco, a frigeo frigesco, sic a consueo consuesco) illi, qui sua, id est, fortunas suas miscent, atque inter se communicant: nec fortunas tantum, sed & corpora. Nam &* consuetudo *&* consuesco *de iis usurpatur, qui corpora conjungunt connubio, aut furtivis amoribus. Idquod a multis est traditum in Commentariis ad Plautum & Terentium. Individuum ergo in definitione Matrimonii dicitur, quod totum commune est, & nullas partes recipit. Comparabatur illa matrimonii & fortunarum individuitas (quae vox Tertulliani est de Monogam. cap. 5.) coemtione & confarreatione, atque eo modo, quem exposuit nuper Hermannus filius meus in Dissertatione de Veteri Lege Romana, cujus meminit Nonius Marcellus in voce* Nubentes *cap. 3. Non praetereo taci-*

bit Origin. lib. 1. cap. ult matrimonio junctis jugum, quo par boum constricti opus faciunt, fuisse impositum, ut eo signo rustica gens admoneretur, matrimonio conjunctos ad consociandos vitae labores esse obligatos, *conjuges appellari propter jugum, quod imponitur matrimonio conjungendis. Jugo enim nubentes subjici solent, propter futuram concordiam, ne separentur.* Idem videtur indicare Servius ad Virgil. Aen. lib. 4. v. 16. Virgilii versus est

Ne cui me vinclo vellem sociare jugali.

Ubi Servius, *Jugali, propter jugum, quod imponebatur matrimonio conjungendis*, unde & Graecis Δαμαρ dicta creditur, qui & συζύγες matrimonio copulatos dicunt. Nihil ergo huic omini, *Ubi Tu Cajus, Ego Caja*, inesse vides, quod ad permutanda Nomina pertinet. Aequam sortem inter utrosque & communionem operum opemque & auxilium mutuum designat. Opera mutua conjugum eleganter adsimilatur amphisbaenae imagine in annulo nuptiali Smetii. vid. Antiquit. Neomag. pag. 22. nec non C Ↄ nota, quarum illa littera Cajum, haec Cajam significat. Nihil iis vulgatius in monumentis vetustis. Velius Longus de Orthogr. pag. 218. Edit. Putsch. ubi de C littera. *Non magis igitur in numero litterarum esse oportere, quam illam notam, qua centuria, & quam Ↄ conversum, quo Caja significatur, quod notae genus videmus in monumentis, cum quis libertus mulieris ostenditur. Cajas enim prisci generaliter has omnes mulieres accipere voluerunt.* Tu si verborum eam formulam ad Nomina transfers, dicas oportet, utrorumque Nomina communia fuisse, maritumque in Nomina uxoris, uxorem in mariti fuisse adscitum, quod certe noles. Si quod Nomen eo omine mutatur, illa mutatio non est perpetua, sed temporaria, ad unum actum feliciter auspicandum inventa, quo actu finito, mox reditur ad pristina Nomina, ut in sacrificio, in delectu militum, in virgine Vestali capienda: qua de Gel-

tacitus hunc Cornelii Estituti (forte Restituti) & Corneliae Salsulae tumulum, cujus titulum hunc edidit Murator. Thesaur. Inscr. MCDLVI. 6.

CORNELIVS ESTITVTVS ET CORNELIA
SALSVLA VITA ET CONIVGIO
AMANTES ET VNANIMITATE PARES VSQVE AD
MORTEM ESTITVTVS VIX ANN XXVI
CORNELIVS SATVRNINVS
GENERO ET FILIAE

Gellius lib. I. cap. 12. Vestalis Amata appellabatur, cum caperetur, captione peracta, mox gentis suae & familiae Nomina recipiebat. Eodem modo nubentes, nuptiis aut sponsalibus perfectis, suum Nomen (si tamen unquam in nuptiis depositum id fuit, id quod equidem depositum fuisse nego) recuperabant. Et quo apertius perspicias, ominis tantum caussa Cajae & Caji Nomina usurpata esse, animadverte, quaeso, Pighii notas, quibus instruxit Auctorem illum de Nominibus, qui Valerio Maximo adjungi solet, docet is ex codice Campensi, novam nuptam, ante januam mariti interrogatam, quae esset, respondisse, *Cajam se esse Caji Titii.* Quae quidem verba omen pulcherrimum habent. Titius namque a tueor est, certe veteres ominum eorum interpretes existimarunt, inde dictum esse, vid. Festus in *Tituli.* Hoc ergo significabat uxor & omine illo optabat, fore, ut maritus Gajus, id est, tutor defensorque sibi domuique & patriae suae esset. Nullus autem dixerit, aut mariti aut uxoris Nomina, quae ante nuptias habuerunt, propterea esse mutata. Scio & docet alicubi Cicero, nec non Velius Longus, mulieres Cajas fuisse dictas in nonnullis caussis, verum, Tu, cave, credas, illud Nomen eas a maritis esse mutuatas, nam nuptae innuptaeque pariter eo dicebantur. Et si Tu rediisse nuptas ad prius Nomen negas, dicas, quaeso, cur Cajae Caeciliae filia (Tarquiniam designo, Servio Tullio nuptam) & Tullia ejus filia, Tarquinii Superbi uxor, matronaeque omnes, quarum mentio in Historiis Romanis, post transacta nuptiarum solennia, prisca sua Nomina resumserint? Dixit utique Cornelia Sempronio marito, Mucia Pompejo, Calpurnia Caesari, Terentia Tullio, *Ubi Tu Cajus, Ego Caja*, & tamen nulla earum Nomen suum perdidit, nulla in conjugis Nomen transiit. Observare porro Te velim particulam *Ubi*, *Ubi Tu Cajus*, quae locum & tempus, & quandam conditionem infert. Tu ergo ostende, quo loco, quo tempore, aut qua conditione mulieres receperint, rejecerintque Nomen maritorum. Quae hactenus disputata sunt a me, manifeste aperiunt errorem Caroli de Malvasia & Reinesii, declarant praeterea, quanto plura ad eorum sententiam confirmandam a Te prolata sunt, tanto longius a via atque a vero Te deflectere. Nam ut praeteream: ea omnia, quibus copiose refelli opiniones Tuas, unum illud repetamus, quod jam antea tetigi, cum de Augustae Nomine Tecum certarem. Ostendi tunc ex Suetonio atque ex Tacito, neque Augustae, neque Juliae Nomen ex matrimonio suo habuisse Liviam,

ſed adoptione Auguſti. Is namque illam in teſtamento ſuo adoptavit. Sueton. in Aug. cap. 11. Et ne de Nomine Juliae dubites, id eodem teſtamento (o) atque eadem adoptione, qua Nomen Auguſtae, eſt adepta. Tacit. Annal. lib. 1. cap. 8. *Livia in familiam Juliam Nomenque Auguſtae adſumebatur.* Familiam cum dicit Tacitus, gentem deſignat, ut crebro alii. Quod ſi autem jure connubii Livia Auguſti Nomen habuit, quae Tua eſt ſententia, quid opus fuit adoptione, quid teſtamento, ut illud conſequeretur. Non puto, Te contra ea ſcriptores producturum, qui narrantes in matrimonio geſtas Juliam eam appellant, nam per πρόληψιν id fieri, dudum aliis eſt notatum, id quod tamen non animadverſum eſt Scaligero in Animadv. ad Euſebium ad annum MMXLIII. pag. 170. ubi Nomen Juliae pro Livia ſcriptum a Joſepho librariorum culpae tribuit. Ipſe Auguſtus non Juliae, ſed Liviae Nomine eam appellavit, ut verba extrema declarant, quae cum anima ſimul exhalavit. *Livia noſtri conjugii memor vive ac vale* (p).

CAPUT XVII.

De Cognominibus priſcarum Mulierum.

Scriptor incertus de Nominibus Romanorum. Qua aetate vixit. Verba ejus expoſita. Rutilla, Caeſella, Rodocella, Murcula, Burra, non Praenomina ſunt foeminarum, ſed Cognomina. Feſtus emendatus. Unde illa Cognomina tracta. Rodocella unde dicta. Caeſella eſt a Caeſius.

Vides, niſi me animus fallit, vim argumentorum tuorum omnem periiſſe, neque duorum tantum, quae propoſui & refutavi, ſed & tertii, quod ſequitur, ſumti ex ſcriptore de Nominibus Romanorum. Ignoti nominis atque incertae aetatis hominem eſſe omnes ſciunt. Dionyſius Gothofredus edidit ſcriptum illud inter Latinae Linguae Auctores, atque ita inſcripſit, *de Nominibus impoſivis ex Conſtantini cenſura*, qui titulus arguit, ſequioris ſaeculi eum foe-

(o) *Nomen utrumque, Juliae nempe & Auguſtae, Auguſtus teſtamento dedit, quod ut ratum eſſet, confirmandum fuit illud a Praetore, non a Senatu. Intelligimus ex iis, quae ante a nobis diſputata ſunt, de familiae vel gentis Nomine cap. 3. de Nomine Auguſtae cap. 15.*

(p) *Adde epiſtolas Auguſti, quas Suetonius memorat in Claud. cap. 4.*

foetum eſſe, id quod & ſcripturae genus ſive ſtilus declarat. Quandoquidem autem ea aetate vixit, qua antiqua & priſca Nominum Romanorum ratio dudum fuit extincta, non ei fides eſt habenda, niſi quam melioris aevi Scriptores & mos antiquus confirmant. Quare ſi is Tibi eſt viſus tradere pugnantia illis, quae antea a me ex vetuſtis atque indubitatae fidei monumentis expoſita ſunt, Tu aut homini illi, aut interpretationi Tuae credere noli. Videamus autem, an pudori hominis in ea ſaltem cauſſa, quae a Te in alienam ſententiam migratur, conſulere poſſimus. Quae de foeminarum Nominibus homo iſte prodidit, haec ſunt ex Editione Torrenii noviſſima. *Antiquarum mulierum in uſu frequenti praenomina fuerunt Rutilla, Caeſella, Rodocella, Murcula, Burra a colore dicta. Iſta praenomina a viris tracta ſunt, Caja, Lucia, Publia, Numeria. Caeterum Caja uſu ſupra omnia celebrata eſt*, Quod dicit, Nomina haec, Caja, Lucia, Publia, Numeria a viris tracta, viros intellige non maritos, ſed mares. Neque enim Auctor hic de uxorum Nominibus agit, ſed generaliter de Nominibus foeminarum. Ut autem ea Praenomina foeminarum, quae ante poſuit, a colore potiſſimum tracta, propria ſunt foeminarum, ita illa, quae hoc loco recenſet, communia ſunt foeminis viriſque, ſeu maribus, neque communia tantum, ſed & deſumta a virorum Nominibus. Significat ergo ſcriptor ille, antiquiſſimas foeminas Romae non habuiſſe cognomina, niſi ea, quae poſuit, tandem tamen adſumſiſſe & alia: mutuata autem eſſe ea ex Praenominibus, ad id tempus a viris ſive maritis duntaxat uſurpatis. In hanc ſententiam citavit iſta verba Carolus Sigonius in libello de Nominibus eo loco, quo de Nominibus foeminarum, ubi non a *viris*, ſed a *virilibus* legit: quam lectionem ſi e libris antiquis, quorum copia fuit Sigonio, depromſit, vulgatae non poſtponendam exiſtimo, cujus non diſpar eſt ſententia. Quod ſi eorum nihil placet, tametſi nullam cauſſam video, cur diſpliceant, per me licet cenſeas, aberraſſe ſcriptorem illum a conſuetudine veterum, neque in illa tantum cauſſa, ſed & in eo, quod Rutilla, Caeſella, Rodocella, Murcula, Burra, Romanarum foeminarum Praenomina fuiſſe ſcribit, & quidem frequenti in uſu, cum neque ſcriptorum veterum quisquam, neque ulla monumenta Praenominum eorum meminerint (q). Ipſa etiam ratio, quam Romani

(q) *Ediſſertavi haec ſedulo ante cap. I. non tamen, quae olim in hac epiſtola ſcripſi, ob id praetereunda eſſe duxi hoc loco, ne quid ob aliam cauſſam detraxiſſe epiſtolae videar.*

mani in dandis Nominibus tenuerunt, ea revocata, a Proenominum ordine ad Cognomina reducit. Certe Festus Rutilus non Praenomina, sed Cognomina mulierum dicit in *Rutilum*; nam sic legendum non *Rutilium*, plurium MSS. codicum lectiones, quas habeo, me docuerunt. Sunt autem ea ὑπερκοριστικῶς dicta. Rutilla, Caesella, Rodocella, Murcula, ut solent mulierum appellationes. Ab habitu vero & nota animi vel corporis non Praenomina, sed Cognomina formata sunt. Quod si Nomina ista omnia a colore dicta arbitratur Auctor iste incertus, vehementer fallitur; nam Rodocella & Murcula quemadmodum a colore dicantur, non video. Illud namque ab antiquo rodus est, quod pro rudi dixerunt prisci, teste Festo in *Rodis:* atque inde est rodiculus & rodicellus, quomodo legi malo, quam rodocellus. Rodocella itaque neglectioris vestitus puellam notat, qualem Romanis antiquioribus displicuisse cave credas, quibus elegantia in vitio ponebatur, vid. A. Gellius lib. 11. cap. 2. Murcula a murca est; segnem, ignavam & tardipedem significat. In glossis vetustis est *murcei* νωθῆς. In jocis hanc fuisse docet Ammianus Marcell. lib. 1. prope finem. Quod si vero non *Murcula* aliquis, sed *Mutrulla*, veram istius loci scripturam arbitretur, quam nonnulli Codices praeferunt, aliae huic vocabulo origines quaerendae, quas & odora vis haud difficulter inveniet. Ad extremum in eo adversatur Auctor iste ignotus Varroni, quod Numeriam foemineis Praenominibus accenset, id quod & Pighio olim notatum. Caesella est a caesius, hinc namque caesiolus, atquae inde caesillus est & caesellus.

CAPUT XVIII.

Nonnulli errores Adversarii perstringuntur.

Miscet Adversarius Gentilitium Nomen & Cognomen. Gracchus, Trachalus, Nero perperam Nominibus Gentilitiis accensentur. Scepticia nunquam superbiit filii nomine, quem pessime oderat. Inscriptionis antiquae lectio defensa. Uxores tempore Caesaris Dictatoris a castris abfuerunt.

Verum ex diverticulo ad Te redeo. Ita pergis: *Putabam olim, huic difficultati sic posse obviam iri, si Nomina maritorum Gentilitia tanquam Cognomina in secundo casu uxoribus adhibita fuisse, dice-*

diceremus ex gr. Livia Augusti, Agrippina Germanici. Nescio me hercle quam difficultatem dicas, cui isto modo succurras. An controversiam Te composuisse aut sustulisse putas, quae mihi cum Malvasia est, aut quae Spanhemio fuit cum Reinesio? At vero ea est hujusmodi: an uxor Nomen mariti Gentilitium nuptiis acceperit? Exempli caussa: an Livia fuerit dicta Julia ob id, quod uxor erat Julii Caesaris: atque an Agrippina uxor Germanici dicta fuerit Claudia, aut alio mariti sui nomine. Quid autem ad litem componendam tua illa observatio, aut ille loquendi usus, Livia Augusti, Agrippina Germanici? Eodem jure dixeris, has locutiones pecus Aegonis, Meliboei, domus Hortensii, hortus Sallustii, pertinere ad nodum illum extricandum. Deinde quorsum, aut quid illa fictio Tua, *Si Nomina maritorum Gentilitia tanquam cognomina in secundo casu uxoribus adbibita fuisse diceremus.* Differre ergo putas Livia Augusti, & Livia Julii Caesaris, Agrippina Germanici aut Drusi, & Agrippina Claudii, quia in illa locutione, ut vis, Nomen Gentilitium, tanquam Cognomen, in secundo casu uxori adpositum est. Haec, libere dico, quod sentio, prorsus ἀσύστατα, & absona rationi videntur. Sed quale hoc dicam? Cum de Gentilitiis maritorum Nominibus, quae tanquam cognomina sunt usurpata, praemittis, exemplum utrumque a Te subjunctum, non Gentilitium Virorum Nomen habet, sed Cognomen. Nempe Augusti & Germanici. Liviam Augusti dicis, & Agrippinam Germanici. Nonne autem illa declarant, confundi a Te Gentilitia Nomina & Cognomina Romanorum? Neque autem semel in eo ostendis, sed mox iterum, ubi Tu ita. *Adde quod foecundae inprimis Nomine filiorum Gentilitio, consequenter ac mariti, superbire maluerint, quam suae Gentis proprio. De Cornelia matre Gracchorum, Livia matre Neronum vidimus supra, quibus adde Scepticiam matrem Trachalorum Ariminensium.* Hoc dicis: Cornelia superbiit Gentilitio Nomine filiorum. Quodnam autem Gentilitium illud filiorum Nomen est, quod ponis? Nempe Gracchorum. Livia superbiit Gentilitio Nomine filiorum, nempe Neronum, Gracchus ergo & Nero Tibi Nomen Gentilitium habetur. Denique Scepticia superbiit Gentilitio Nomine filiorum, nempe Trachalorum. Ergo & Trachalus Tibi Nomen Gentilitium censetur. Nam Corneliam, Liviam, Scepticiam, Nomina Gracchorum, Neronum, & Trachalorum Gentilitia fuisse, non putem Te opinari. Festinationis, non judicii, ut auguror, ille error. Atque ut de Livia Augusti, &

Cornelia, quibus monumenta ab aliis poſita fuiſſe novimus, ſignata filiorum clariſſimorum Nominibus, ita exſpecto a Te, ut me doceas, cur aut ipſa Scepticia, Trachalorum filiorum ſe Nomine, aut aliis eam ſuperbire voluerit. Valerius Maximus, quem Tu citas, impiam in filios fuiſſe ſcribit, atque ob id teſtamentum ejus ab Auguſto reſciſſum (r). Sed non inmoror illis diutius, ne longius recedam a controverſia propoſita. Nollem, monumenta dubia atque incertae lectionis pro veris obtrudas. Ablegas lectorem ad Reineſium Cl. 1. 18. ut illic inſpiciat praeter Larciam Fortunatam Larcii etiam Attiam Labieni. Lapidem hujus recenſuit Reineſius Claſſ. 1. 201. ubi ita

VL. PAVLINI
T. F
ALLIA T. LABIENI
VXOR
BELENO
D. D.

Nullum illic Attii mariti, nullum Attiae uxoris Nomen. Haec Allia appellatur; mariti Nomen edax temporis vetuſtas abſumſit. Vellem cauſſam memoraſſes, cur Scaligeri, Simeonii, Andreae Cheſnii oculis, in lectione antiquorum monumentorum verſatis, minus credideris, quam unius Reineſii, qui lapidem nunquam adſpexit, conjecturis, ſuſceptis non certo judicio, ſed hoc errore, *quod in confeſſo eſt*: ipſa viri verba pono: *uxores maritorum Gentilitiis Nominibus cenſeri, adpellarique.* Quod ipſum quam falſum ſit, atque a vero & vetuſta conſuetudine remotum, ex iis apparet, quae ante diſputavimus. Sed fac, Attiam non Alliam memorari in eo monumento, cui quaeſo, perſuadebis, Attiam eam T. Labienum, C. Julii Caeſaris legatum, maritum ſuum, in Galliam fuiſſe ſecutam, tanta mole rerum, quae tunc ad Gergovium erat. Oportet enim, ut eam quoque Reineſii ſententiam tueare, quae ab illa pendet. Mihi quidem iſto tempore uxores ducum a caſtris afuisſe videntur, idque antiquorum moribus, & Caeſaris diſciplinae conſentaneum arbitror.

(r) *Valerius ille haec lib. 7. cap. 1. ex. 4.* Scepticia quoque mater Trachalorum Ariminenſium filiis irata, in contumeliam eorum, cum jam parere non poſſet, Publicio ſeni admodum nupſit: Teſtamento etiam utroque praeterito.

C A-

CAPUT XIX.

Inſcriptio a Reineſii manu defenſa. Somnia de Republica ad Magiſtratus relata. Nonnulla amicis nunciata. Imperium de viſis per ſomnium. Imperia iſtiusmodi Deorum etiam nonnulli ſcriptores jactant. Iuſſu Magiſtratus aut Principis loca fiebant ſacra. Cognatio, nonnunquam etiam Fortuna, conjugibus eadem Nomina tribuit. Lapidis ſcriptura paullulum adjuta. Unde diverſitas Nominum inter Fratres. Civitas Romana Gallis effuſe data. Malvaſiae nonnulli lapides enodati.

Non tango monumenta omia, quae Reineſius in ſuam ſententiam detorquet. Illud videamus, ad quod Tu nos ablegas, adornatum magno ſimilium exemplorum numero, nempe ad Cl. XVIII. I. ubi

IMPERIO VENERIS FISICAE
IOVI O. M
ANTISTIA METHE
ANTISTI PRIMIGENI
EX. D. D

Reineſius, ut ſententiae ſuae ſerviat, verſus ultimi litteras mutat in VXOR. Sed perperam, ſi quid video. Neque enim dubito EX D. D interpretari *ex Decurionum decreto.* Antiſtia illa Methe imperium Veneris, haud dubie per quietem viſae, ad Decuriones detulit, ut ſoliti olim homines viſa & ſomnia ad rem publicam pertinentia ad Senatum deferre, aut in vulgo publicare (s). Exemplum dabit Valerius Maximus lib. I. cap. 7. ex 4. quod unum lubentius adfero, quia & Valerius in eo voce *imperii* utitur, quam in marmore vides, eſt enim ſolennis in ea re: quare & Macrobius

(s) *Plutarchus in vita Craſſi narrat, eum conſcenſis Roſtris ſomnium ſuum narraſſe. De homine Graeco idem narrat Aelian. Var. Hiſtoriar. lib. 12. cap. 64. Amicis eadem nunciabant, ſi illorum intereſſe putabant. Quid Auguſto obnunciatum ſub praelio Philippenſi traditum multus eſt: Quae Julio Caeſari obnunciata fuerint, docet Sueton. in Caeſ. cap. 86. Addo haec, ut de ſomnio uxoris Pilati cogites, quod ad maritum mandavit, moremque hunc nunciandi inter Romanos vulgarem fuiſſe cognoſcas. De Auguſto hoc praeterea Suetonius in Aug. cap. 91. eum ſomnia, neque ſua, neque aliena de ſe, neglexiſſe.*

bius Saturnalium lib. I. cap. II. ubi idem somnium narrat, *Juppiter*, inquit, *Annio cuidam per quietem imperavit.* Apulejus in Apologet. *Aut ego subjectum dicerem, aut remedio acceptum, aut sacro traditum, aut somnio imperatum* (t). Decuriones illi decreverunt, ut ex viso atque imperio, quod jussa erat, poneret, sive ara illa fuit, sive simulacrum, sive templum (u). Longum est, Inscriptiones alias, quas Reinesius constipat, diligentius excutere, atque ad examen revocare. Puto autem, earum nullam fore, quin communionem Nominis inter maritum & uxorem, uni ex illis caussis, quas ante memoravi, adsignare possis. Scilicet, ut dicas, conjugem alterius conjugis, aut libertum fuisse, aut adgnatum, aut adoptione filium: & quanquam id rarius, Liviae tamen exemplo novimus, id aliquando fuisse factum. Tribus illis caussis hanc unam nunc addo (v). Si uterque, aut alteruter conjugum, beneficio alterius, aut a quodam gentili ejus consecutus fuerit civitatem Romanam. Huc refero lapidem Arelatensem Gruteri DL. 5.

D.

(t) *Idem saepius in Asino. lib. 11. pag. 243. Edit. Pric.* magnisque imperiis ejus intentus: *Ante sibi narraverat somnum. & pag. 241. Isis, quae per quietem visa Apulejo.* Ergo igitur imperiis istis meis animum intende sollicitum, *& pag. 252.* Sed crebris imperiis, *atque iterum pag. 254. 255. Virgil. Aeneid. lib. 4. 239. 282. Gorius in Inscript. Etrur. Tom. 1. pag. 235. Idem crebrum Grutero, Reinesio, Muratorio. Imperium hoc Deorum Auctores multi jactarunt, dicentes, eo sese ad scribendum impulsos. Neque Poetae tantum, sed & Historici atque Oratores. De se Dion Cassius lib. 42 fin. Fortunae jussu suscepisse opus. De Artemidoro vid. in Oneirocrit. lib. 2. cap. ult. & passim alias, passim etiam Aristides in Orationibus. Artemidorus praeterea lib. 2. cap. 24. eos insectatur medicos, qui medicinam a Deo sibi monstratam venditabant. Additque, non a Diis accepta eos tradere, sed quae ipsi finxerunt.*

(u) *Decurionum decreto in Municipio aut Colonia opus fuit ad consecrandum locum aut aram. Romae lex fuit vetus Tribunitia, quae vetabat, injussu plebis, aedes, terram, aram consecrari, Cicero pro domo. cap. 49. aut sine auctoritate & permissu Principis, vid. l. 9. §. 1. ff. de Division. Rer. Non nego, Antistiam Methen uxorem fuisse Antistii Primigenii. Nego tamen, uxori illi Antistiae Nomen a Mariti Nominibus adhaesisse. Sed idem utrique adhaesisse ob caussas, quas ante dixi & quae deinceps exponentur.*

(v) *Addo nunc & hanc quintam caussam, nempe fortis fortunae, quae non nunquam homines ejusdem Nominis, quanquam non ejusdem generis gentisve (ut magna fuit Nominum usurpandorum licentia sub Principibus) matrimonio conjunxit. Exemplum esto Flavius Vespasianus Pater, qui Flaviam Domitillam uxorem habuit, quae tamen a nemine, quod scio, Flaviae Imperatorum Genti inserta fuit. Imo ex Suetonio haud obscure arguas, diversam atque alienam ab ea fuisse, quem consule in Vespas. cap. 3. Cave autem credas, Nomen istud eam a marito tulisse. Nam & pater Flaviae Domitillae Flavius est dictus cognomento Liberalis.*

D. M.
LICINIAE MAGNAE QVAI
MATRONAE L. SEVERVS. T
IVLIVS VALENTINVS T IVLIA
VALENTINA FRATRES T LICINIVS
RVSTICVS 7 LEG. III AVG. MARITVS.

Licinius Rusticus uxorem habuit Liciniam Magnam, quae & Matrona cognominata est, in lapide sic scriptum fuisse auguror: QVAE: Facile vitiata fuit nota E ut in fine versus & spatii lapidis. Liciniae frater alter quo Nomine Gentili fuerit dictus, non traditur in lapide, unde arguo, idem sorori nomen fuisse. Alter Julius est dictus, soror quoque Julia. Magna, fateor, Nominum illa diversitas est inter fratres, sed caussa haud difficulter expeditur, si diversitatem Nominum diversis civitatis, quae agnatis his data est, Auctoribus tribueris. Hoc autem mihi perspectum puto, & amplius aliquando adfirmabo, civitatem Romanam Gallis effuse fuisse datam, maxime Narbonensis Galliae incolis, quare Plinius lib. 3. cap. 4. eam Italiam verius, quam provinciam dici maluit. Quanquam autem oppida nonnulla jus civitatis habebant, ut Arelate Sextanorum colonia, teste Mela lib. 2. cap. 5. quod celeberrimum emporium nominat Strabo, plura tamen Italici juris fuerunt, ut Plinius auctor est. Quodsi ergo fratres, in illo lapide commemorati, fuerunt germani, & non consobrini aut etiam uterini, dicendum est, eos, ab alio, quam sororem, comparasse civitatem. Quae ipsa caussa Claudii Civilis (adsertorem dico libertatis Batavicae) & Julii Paulli fratris distinxit Nomina. vid. Tacit. Histor. lib. 4. cap. 13. qui cap. 33. Claudii sororis filium avunculo cognominem facit. Scio, ab aliis Civilem etiam Julium vocari, cujus appellationis rationem reddemus alias. Forte quis recte contendat, Liciniam ab ipso Licinio, aut ope ejus, civitatem esse adeptam, ut optimo jure uxor fieret, sive quod ancilla ante, vel, quod verius puto, Italici juris fuit, quanquam haud nescio, illius juris qui fuerunt, Romana Nomina habuisse. Inter Marmora Felsinea, a Malvasia edita, nonnulla referenda ad cognatos, alia ad libertos puto. Libertorum haec sunt.

DIIS MANIBVS
FLAVI. AVG. LIB
ABSCANTI
A COGNITIONIBVS
FLAVIA HESPERIS
CONIVGI SVO
BENE MERENTI
FECIT

Abſcantus (notius eſt aliis lapidibus Abaſcanti Nomen) & Heſperis ſervilia ſunt Nomina, quare eos conſervos fuiſſe credibile eſt, atque a Flavio Auguſto manumiſſos, dein conjuges. Non ergo Heſperis illa Flaviae Nomen a marito habet, verum a Patrono, unde & ſuum Nomen habuit maritus. Neque aliter ſentiendum de hac Inſcriptione

D. M.
T. AELIVS AVG. L. FAVSTVS
ET. AELIA. ARCTE VXOR.

Arcte enim ancillae Nomen eſt. Et pag. 309.

M. VLPIVS EPI
CTETVS AVG. LIB
SE VIBVS COMPA
RABIT. SIBI ET
VLPIAE SABINAE
CONIVGI SVAE

At vero marmor hoc, quod ſequitur, tam manifeſtae fidei eſt, ut vix excuſandus ſit error aut vacillatio, ſive illa tua ſit, ſive Malvaſiae. Titulus hic eſt pag. 307.

D. M.
C. VLPIO. SOTERI
IVLIA. APHRODITE
PATRONO
IDEM CONIVGI
BENEMERENTI
FECIT.

Julia

Julia Aphrodite namque non ob id Mariti Nomen habet, quod uxor eſt, ſed quod eſt liberta. Forte eadem ratio in hoc lapide.

AEBVTIA M. L
AEBVTIVS. Ↄ. L
FELIX CONIVX

Tibi ergo cogitandum relinquo, qualia iſta ſint, *quae ad arduam hanc quaeſtionem, interque ſaeculi praeſentis & futuri lumina, Thomam Reineſium & Ezechielem Spanhemium ſtrenue agitatam adferre* Tibi *libuit*, ut ipſe ſcribis. Mihi quidem ejusmodi illa videntur, ut uterque aequiſſimo animo carere iis voluerit, nec quisquam poſt haec illa deſideret.

CAPUT XX.

De Nominibus Auguſtarum.

Nulla Foemina clara viri Nomen habuit. Foeminae clarae omnes patris Nomine Gentili dictae. Magnifica & divina fuerunt Auguſtarum Nomina, earum tamen nulla mariti Imperatoris Nomen uſurpavit. Spanhemius refutatur. Auguſtae nonnullae unde Nomen Juliae adeptae. Germanici filiae cur Juliae dictae: cur filia Caligulae. Nummus expoſitus: cur filia ejus Livia dicta. Qui ſeſe familiae Juliae & Liviae inſeruerunt. Julius Antonius. Filiae Vipſanii Agrippae Juliae. Filiabus Germanici Nomina diverſarum Gentium fuerunt. Item filiarum Claudii. Druſus & Claudius quomodo Caeſaribus adſcribantur. Quomodo Caeſarum progenies in Nerone defecit. Qui ſtemmati Auguſti ex adulatione adſcripti. Agrippa inde expulſus. Marcellus ab Auguſto adoptatus. Gemmae antiquae fides rejecta. Nero Julius dicitur in Inſcriptione Graeca. Matrum filii in monumentis publicis nonnulli Imperatores dicti. Quo ordine Nero genus ad domum Juliam retulit. Druſus ab Auguſto adoptatus non eſt. Novo argumento docetur, uxores Nomina Maritorum non adſumſiſſe, & Juliae Nomen non omnibus Auguſtis commune fuiſſe. Soemias & Mammaea Juliae Nomen a patre acceperunt. Poſtulatur unum exemplum

plum nobilioris foeminae, quae Nomen a Marito traxit. Ampliss. Grupenii sententia expensa. Nec Flaminica, nec Flaminis mater mariti Nomine dictae.

Miror vehementer, Reinesium, Malvasiam & Te, qui illorum vestigia relegis, ex monumentis vulgarium hominum, quorum nec genus, nec patria, nec saeculum noscitur, disputare contra illustria nobilissimarum in populo Romano Foeminarum exempla, quarum nulla viri Nomen adscivit. Enumerat aliquot Sueton. in Caes. cap. 50. *Postumiam Servii Sulpicii, Lolliam A. Gabinii, Tertullam M. Crassi, Cn. Pompeji Muciam.* Eae omnes, & quae ab aliis Historicis memorantur, patrum, non maritorum Nomine signantur. Quid illustrius Imperatorum uxoribus? Quid arrogantius? Earum tamen nulla mariti Nomen sibi arrogavit? Nonnullae sese Augustas, Augustarum matres, matres Senatus, matres Patriae, Cereres denique, Dianas Luciferas, Veneres Victrices, Vestas, Junones, Reginas in Nummis jactarunt, at vero a Nominibus Gentilitiis Imperatoris mariti omnes abstinuerunt; non aliam, credo, ob caussam, nisi quod illud ab usu & ab institutis Romanorum abhorrebat. Juliam Mammaeam cogita, quae divina omnia humanaque sibi adscivit, Septimia tamen, aut alio mariti Nomine nusquam appellatur, id quod facile a marito, aut a filio obsequente impetrasset, si ex more Romanorum uti licuisset. Ne illud quidem Illustri viro Ezechieli Spanhemio concedo, Augustas Juliae Nomen recepisse, quem vide de Usu & Praestantia Numismatum Dissertat. VII. De singulis, quarum ille exempla attulit, non dicam: At vero Julia, Drusilla, Agrippina, non Juliae sunt dictae ob id, quod Augustae, sed quod natae sunt ex Germanico, quem Drusus genuit, Tiberius adoptavit, & mox una cum Tiberio in gentem Augusti Juliam transiit. vid. Sueton. in Neron. cap. 15. *ut protinus*, inquit Imperator Justinianus §. 2. Institut. de Adopt. *adoptione facta inciperet Germanicus ei* (Augusto) *nepos esse:* unde hic Nummus

C. CAESAR. DIVI. AVG. PRON. AVG. P. M. TR. POT. III. P. P. SC.
GERMANICVS. CAESAR. TI. AVG. F. DIVI. AVG. N.

In quo Germanicus Tiberii filius Augusti nepos dicitur. Cajus au-

autem Caligula, qui filius fuit Germanici illius, pronepos Auguſti. Unde & ſorores Caligulae hujus, de quibus agimus, proneptes fuerunt ejusdem Auguſti, atque adeo Juliae. Et quo magis dicas, non ob Auguſtae nomen, quo decoratae fuerunt duae illae ſorores Caligulae, altera ab ipſo, altera a Claudio, eas Julias eſſe nominatas; tertia etiam ſoror illius, quam non memini Auguſtam fuiſſe, eodem Nomine inſignita eſt. Inſignitam dico, quia, cum duae alterae in nummis Agrippina & Druſilla vocantur, tertia haec in iis Julia nominatur. Inſcriptio Nummorum haec eſt: AGRIPPINA. DRVSILLA. IVLIA. Denique eandem ob cauſſam Cajus Caeſar, Caligulam deſigno, etiam filiae ſuae Nomen Juliae dedit. vid. Sueton. in Cal. cap. 25. Nolim tamen ex eo ſuſpectum videri Nummum productum ex Markiano Muſeo, quem non hoc tantum nomine, ſed & alio ſuſpectum ſibi ſcribit Cl. Havercampus ad Oroſium lib. 7. cap. 5. in quo Julia iſta Agrippinae & Druſillae ſoror Livia appellatur: Nam eodem nomine nuncupatur Suetonio in Calig. cap. 7. & Dioni Caſſio lib. 59. pag. 657. ubi *Λιουίλλαν* nominat, ut Livillam Suetonius, quod Nominis a Liviae Nomine diſcrepare nemo peritus Nominum Romanorum dixerit. Adde Torrent. ad Sueton. in Tib. cap. 62. Praecipio jam animo, quid nonnulli de duobus Gentium Nominibus citra adoptionem commiſtis ſunt queſturi. Sed velim hi cogitent (quod quare non monitum fuerit a viris magnis, atque in re antiquaria exercitatis, cauſſam non exputo) magnam fuiſſe Nominum licentiam in iis familiis, quae Auguſti domum ſanguine aut affinitate contingebant (x), quae licentia ab aliis Gentibus & familiis, quae quidem eodem tempore viguerunt, excluſa fuit (y). Conſtat, Antonium Triumvirum in matrimonio habuiſſe Octaviam Auguſti ſororem. Filius inde natus Julius Antonius vocatur Suetonio de Illuſtrib. Grammat. cap. 18. & in Claud. cap. 2. nec non Vellejo, Dioni, atque aliis. Nonnulli tamen ex Horatio lib. 4. od. 2. v. 2. Julum malunt, non Julium, ambigentes, utrum Cognomen hoc, an Praenomen Gentis Antoniae dicant. Hoc certum, ante matrimonium Octaviae, quae Auguſti ſoror, nusquam cognitum fuiſſe in Gente Antonia. Quare dicendum,

(x) *Ambitus hic fuit, ut propinquitatem domus Auguſtae, quae Julia erat, oſtentarent, quam & oſtentabant propinqui Liviae domus, ob Liviam Auguſti.*

(y) *Coeperunt ſub Auguſto nonnulli a matre adſciſcere cognomina, ſed id alia ratione factum atque in gentibus Auguſtae domui conjunctis. Sed de iis multa ante diſputavi ac praecipue cap. 4.*

dum, tractum id esse Antonio Triumviri filio e Gente Julia avunculi sui (z). Porro Vipsanius Agrippa uxorem habuit Juliam Augusti Caesaris filiam. De more antiquo non tantum Filii, sed & filiae ex hoc matrimonio susceptae, debuerunt appellari Vipsaniae aut Agrippinae. Sed Tu audi, quibus Nominibus eas Suetonius dicat in Aug. cap. 64. *Nepotes ex Agrippa & Julia tres babuit* (Augustus) *neptes duas, Juliam & Agrippinam:* atque iterum cap. 65. *Julius filiam & neptem.* Nomen Juliae est ab avo materno praeter morem majorum. Ad extremum Germanici filiae dictae, ut ante monui, Agrippina, Drusilla, Livilla. Agrippina Nomen est, & ab avo materno, Drusilla ab avo paterno Augusti privigno. Livilla a Livia, proavia materna, Augusti uxore, quae tamen & Drusilla est cognominata, si quidem & Claudiae & Liviae Gentis hoc cognomen fuit. Tres hae sorores, ut ante ostendi, communi omnium nomine Juliae dicebantur. Imperator Claudius unam filiarum, quas ex Antonia minore tulit, Livillam appellavit, ejusdem Liviae, quae avia illi erat, nomine. Sueton. in Claud. cap. 1. in fin. Ambitu aut adulatione ducti multi sese stemmati Augusti & Liviae inseruerunt, aut ab aliis inserti sunt. Insertum ei Agrippam inde expulit Caligula. Sueton. in Calig. cap. 23. *Agrippae se nepotem neque credi, neque dici ob ignobilitatem ejus volebat, succensebatque, si qui vel oratione, vel carmine imaginibus eum Caesarum insererent.* Generis Agrippa Augusti erat. Incertum reliquit Horatius Marcellum, Caesarem dictatorem, an Augustum Julium sidus dixerit lib. 1. od. 12.

Crescit occulto velut arbor aevo
Fama Marcelli: meat inter omnes
Julium sidus; velut inter ignes
Luna minores.

Summa autem arte incertum reliquit Poeta, more eorum, qui verecundius adulantur. Manifeste Auctor gemmae Wildianae LXXII. MARCELLVS FIL. DIVI. CAES. Marcellum filium Divi Caesaris nominat. unde natus error Servii, doctissimi Grammaticorum Veterum, in commentariis ad Virgil. Aeneid. lib. 6. v. 862. ubi Marcellum ab Augusto adoptatum scribit, id quod nusquam factum.
Na-

(z) *Memini, me de eo ante memorare. Quibus hoc adjicio, eundem forte non Julum tantum, sed & Julium fuisse dictum.*

Natus fuit ex Octavia Augusti sorore, filiamque Augusti in matrimonio habuit. Quid Graecia, natio adulatrix. Populus in Aeolia nescio quis Neronem Julium nominat filium Dei novi Germanici, intellige Claudium Germanicum & Deae Aeoliae frugiferae Agrippinae. Lapidem ostentat Muratorius Thesaur. ccxxviii. 2. hoc titulo.

ΟΔΗΜΟΣ
ΝΕΡΩΝΑ ΙΟΥΛΙΟΝ
ΚΑΙΣΑΡΑ ΠΑΙΔΑ
ΘΕΟΥ ΝΕΟΥ ΓΕΡΜΑ·
ΝΙΚΟΥ ΚΑΙΣΑΡΟΣ
ΚΑΙ ΘΕΑΣ ΑΙΟΛΙ
ΔΟΣ ΚΑΡΠΟΦΟ
ΡΑΣ ΑΓΡΙΠΠΕΙΝΑΣ

Matrum filios dici in publicis monumentis insuetum fuit Romae. Coepit mos in domo Augusta, nec memini, eum prolatum ad alias familias. Coepit autem ab adulatione Senatus, qui eo modo velificatus est gratiae Liviae. Rem narrat Tacitus Annal. lib. 1. cap. 14. Multa Patrum & in Augustam adulatio. *Alii Parentem, alii matrem Patriae appellandam. Plerique, ut Nomini Caesaris Tiberii adscriberetur Juliae filius.* Suetonius in Tiber. cap. 25. Actum in Senatu fuisse scribit, ut *Liviae* filius diceretur Tiberius. Actum nempe id fuit eo tempore, quo utroque nomine & Livia & Julia appellabatur, id est, mortuo Augusto, ex cujus testamento ea Juliae Nomen adepta est, ut ante ostendi. Addunt Tacitus & Suetonius, perindigne illum Senatus conatum tulisse Tiberium. Quo ordine genus referat ad Julios Nero, hoc marmor docet, in agro Lunensi Etruriae inventum, quod ex Gorii Inscriptionibus Etruscis, in quibus recensetur Part. 2. pag. 46. in suum Thesaurum transtulit Muratorius ccxxvii. 4.

IMP. NERONI CLAVDIO DIVI CLAVDI FIL. GERM
CAESARIS N̄ TI. CAESARIS AVG PRON. DIVI AVG ABN
CAESARI. AVG. GERM

In eo lapide dicitur Nero Claudii filius, Germanici nepos, Tiberii pronepos, Augusti abnepos. Verum nepos Germanici non per Claudium est factus, sed per matrem suam Agrippinam, quae Germa-

manici filia fuit, atque adeo per sexum foemineum, id quod abhorret a prisco Romanorum instituto, quorum foeminae nubentes genus & domum mutabant. Novi, qui Drusum Germanicum Augusti filium dicant, sed falluntur. Privignus is fuit, sed nunquam adoptatus. Nec nepos dicendus, ob id, quod mater Livia ab Augusto adoptata fuerit testamento, siquidem ea adoptio facta eo tempore, quo dudum e vita excesserat Drusus, quare nec illi ea, nec posteris ejus profuit, ad genus aut nomen Julium consequendum. Poetae incerti est hoc, vid. Sueton. in Neron. cap. 39.

Quis neget, Aeneae magna de stirpe Neronem,
Sustulit hic matrem, Sustulit ille patrem.

Adjicere & illud liceat, Drusus ille, quo de modo diximus, Augusti privignus, nec non filius ejus Claudius Augustus adscribuntur Caesareae familiae ab iis Romanae Historiae scriptoribus, qui tradunt, progeniem Caesaream in Nerone (Claudii hic filius adoptione factus fuit) defecisse, quae scriptorum longe maxima & melior pars est (a). Attamen illi cum domo Caesarea non nisi per Liviam fuerunt conjuncti, quae mater Drusi, Augusti uxor fuit. Haec a me uberius enarata sunt, non ut indicta aliis ostentarem, aut ut Spanhemio obstreperem, sed ut iterum Te ac novo hoc stimulo urgerem, ad mutandam sententiam Tuam, ubi animo Tecum agitare coeperis, in una domo Caesarea, atque inter eos, qui quocunque vinculo agnationis, cognationis, adfinitatis, cum ea continebantur, Nominum fuisse aliquam communionem, & tantum non promiscuum usum, nihilo secius tamen in eadem domo foeminam nullam exstitisse, quae mariti Nomen usurpavit. Quae quidem res, ut caeterae aliae, quas ante dixi, indicium faciunt, morem adsciscendi Nomina maritorum, quem Tu venditas, abhorruisse ab instituto Romanorum. Hoc itaque contendo, ex iis, quae Illustris Span-

(a) *Sueton. in Galb. cap. 1. initio.* Progenies Caesarum in Nerone defecit. *Ausonius in Monostichis de ordine Imperatorum*

post quem Nero saevus.
Ultimus Aeneadum.

& deinde in Nerone

Aeneadum generis qui sextus & ultimus haeres.

Spanhemius congessit, non liquere, Augustum nomen Juliae in honorem Gentis Juliae adoptasse. Nam quod de Julia Soemiade, & Julia Mammaea addit, non illae Nomen Juliae a Gente Julia Caesarum, sed a patre Julio haburunt, de quo Dion lib. 78. pag. 902. Vulgatissimum praeterea Juliorum Nomen fuit per omnes imperii Romani provincias. Ut tandem in pauca conferam rem omnem, & controversiae nostrae finem faciam: Ostende Tu mihi ex omni antiquitate, ex Historicis, Oratoribus, Poetis, Nummis, Lapidibus, & quae praeterea, juris, consuetudinis & morum Romanorum documenta vera habentur, ex his, rogo, deprome tria foeminarum non ignotarum exempla, quae quocunque jure uxores fuerunt, inque mariti manum, aut matrimonium convenerunt, quas constat mariti Nomina usurpasse Gentilitia. Foeminam non ignotam dico, de cujus genere & vitae tempore non dubitatur. Imo vero da unum unius foeminae istiusmodi exemplum, quod sit indubitatae fidei, & ad eas caussas, quas antea posui, adoptionis, manumissionis, consanguinitatis, civitatis, aut fortuiti casus non pertinet, & Te victorem dicam. Vale.

Scripta epistola recordor, nihil mihi dictum esse de Amplissimi Grupenii sententia, quem Tu scribis sese opposuisse Spanhemii opinioni. Ille autem in eruditissimo libello de Uxore Romana pag. 102. defendi posse autumat Reinesii sententiam de suscepto uxoribus mariti Nomine, si putamus, non omnes, sed eas duntaxat Uxores maritorum Nomina accepisse, quae in manum eorum convenerant. Aut, si minus definit, dubitat saltem de ea re, quam otio destitutus investigare diligentius non queat. Quare & monet viros doctos, ut veriora ex monumentis antiquis eruant, & praecipue Nomina matrum, atque uxorum Flaminum Dialium, qui quidem ante Tiberii legem, de qua Tacitus Annall. lib. 4. cap. 16. fuerunt: si quidem constat, matres & uxores Flaminum illorum in manum mariti convenisse. Recte autem Vir Eximius excludendam putat Cossutiam ex earum numero, quod illa sponsa quidem, non vero Flaminis uxor fuit. Vellem Corneliae in mentem venisset, quae sane eo tempore justa Caesaris uxor fuit, cum Flamen destinaretur. Suetonius in Caes. cap. 1. *Sequentibusque Consulibus Flamen Dialis destinatus* &c. *Corneliam Cinnae quater consulis filiam, duxit uxorem.* Nusquam haec Julia, mariti, sed passim Cornelia, patris Nomine vocatur. Vid. Sueton. cap. 6. ubi bis eo Nomine appellat. Idem facit Plutarchus. Haud aliter caeterae Caesaris uxo-

res, Pompeja, Calpurnia, Patrum Nominibus dictae. Vellem praeterea in mentem venisset matris Caesaris, quae ab iisdem scriptoribus Aurelia, Patris sui Gentilitio Nomine, est dicta. Suetonius cap. 74. ubi conjungit *Aureliam matrem & sororem Juliam*, dicturus haud dubie, ut est scriptor ille verborum admodum diligens & concinnus, Julias matrem & sororem, si mater unquam eo Nomine appellata fuisset. Vale iterum, dabam Arnhemiae die XVII. Martii CIↃIↃCCXLI.



PO-

POSTUMUS
BATAVIAE ADSERTOR.
HERCULES MAGUSANUS
ET DEUSONIENSIS AGGERUM
BATAVIAE AUCTORES,
EX NUMMIS ATQUE EX
INSCRIPTIONIBUS
DEMONSTRATI.

AUCTORE
HENRICO CANNEGIETERO.

CAPUT I.

Tyrannorum Romanorum res obſcurae & incertae. Poſtumi res notiores ex Nummis & Marmoribus, quam ex libris antiquis. Trebellii Pollionis negligentia notata. Summa rerum a Poſtumo geſtarum. Nomina Poſtumi ex Saxis litteratis demonſtrata.

Si qua Hiſtoriae Romanae pars incerta, dubia ac tenebris involuta, illa eſt, quae de peculiaribus Provinciarum Imperatoribus tradita, quos Tyrannos nominare conſueverunt. Cauſſa haec eſt, quod imperium eorum Romae, atque a Senatu Romano comprobatum non eſt, atque ob id in urbe Imperii domicilio, ingeniorumque praeſtantiorum, a quibus res memoriae poſterorum mandabantur, ſede, minus notum. Magnus eorum numerus, ſiquidem inde ab exitu Neronis, extincta Caeſarum domo, atque illis Caeſaribus finitis, qui propinquitate vera, ficta, id eſt, adoptione, C. Julium Caeſarem, Caeſarei imperii auctorem, contingebant, Imperatores paene omnes ab exercitu atque a militibus ſunt conſtituti. Ex omnium autem horum numero de Poſtumo dicere decrevi, qui imperante Gallieno, Gallias vicinasque Galliis provincias tenuit. Adpuli animum ad hoc conſilium, quod Germaniam inferiorem, & eam Germaniae partem, quam liberae foederatarum regionum gentes, & nos cum maxime colimus, curae ſibi praecipuae habuit, atque ab impetu & vaſtatione Barbarorum defenſam, operibus inſtruxit & ornavit. Indignum itaque ſum ratus, gloriam Imperatoris hujus, qui animi magnitudine & rebus geſtis pleroſque Romani Imperii Principes antecelluit, ſummos aequavit, negligentia ſcriptorum veterum, quorum ad noſtram memoriam monumenta pervenerunt, & calamitate eorum, quorum annales perierunt, premi & obſcurari. Parce de hoc Latini, parcius Graeci, quod ab horum ſedibus remotiſſimum erat Poſtumi imperium. Viri docti, qui nunc ſunt, & ſaeculis proximis fuerunt, in contexenda Hiſtoria Faſtisque ordinandis fidem Trebellii Pollionis potiſſimum ſunt ſecuti, abrepti, ut puto, adſeveratione ejus de cura ſua & diligentia, quas ubique venditat, nusquam tamen, ſi ex cauſſis, aliorum relationibus, & praecipue ex monumentis antiquis, quae fallere neſciunt, rem aeſtimes, probavit. Litteratos lapides & nummos dico, qui imperante Poſtumo ad memoriam poſteritatis ſunt inſcripti.

ſcripti. Nemo ignorat, quanta horum fides ſit, quanta auctoritas, quare eos praecipue duces ſequemur. Summa rerum Poſtumi haec eſt. Imperator Caeſar M. Caſſianus Latinius Poſtumus, vir ſtrenuus & conſilio pollens, limiti Transrhenano, & Galliae praefectus eſt ab Imperatoribus Valeriano & Gallieno. Capto dein a Perſis Valeriano, corruptoque luxu & ſocordia Gallieno, cum flueret res Romana, Imperiique limites a Barbaris attrectarentur, habenas ejus Poſtumus capeſſivit. Tranſalpinas provincias conſtituit. Gallias, Hiſpanias, a Barbaris vaſtatas, adſeruit. Britannias motibus turbatas confirmavit, Germanias & Rheni tractum, maxime inferioris, praeſidiis & operibus munivit. Praefuit Imperio decem annos, occiſus inſidiis L. Aeliani. Hanc ſummam per partes diducemus. Nomina diutiſſime incerta fuerunt, neque enim ſibi conſtat Trebellius. Sed tandem ea expedivit Saxum antiquum in Hiſpania repertum, quod deſcripſit Raphael Fabrettus, Inſcriptionum antiquarum, quae in aedibus paternis adſervantur, cap. 10. pag. 686.

IMP. CAES
M. CASSIANI
VS. LATINIVS. PO
STVMVS. PIVS. FEL
INVICTVS. AVG
GER. MAX
PONT. MAX
TRIB. POT
COS. III. P. P
PROC. RES
TITVIT

In monumentis aliis & praecipue nummis varie appellatur, POSTVMVS AVG & IMP. C. POSTVMVS AVG & IMP. C. POSTVMVS P. F. AVG. nec deſunt nummi, in quibus plenius IMP. C. M. CASS. LAT. POSTVMVS. P. F. AVG.

C A-

C A P U T II.

Virtutes Poſtumi laudatae. Duces limitanei qui. Quanta cura Romani Rhenum fuerint tuiti. Poſtumiani Imperii fines. Tranſalpinae Provinciae Galliae Nomine cenſebantur. Dux & Praeſes diſtinguuntur. Praeſens, id eſt, Praeſes. Jac. Gothofredus notatus & laudatus. Poſtumus obſcuro loco natus: an ex Gallia? Romani filios primis militiae annis Praetoribus in provinciis commendabant.

Virtutes Poſtumi Scriptores omnes commendant, & ſumma laude effert Valerianus, egregius Imperator, ſed Fortunae inviſus, in epiſtola ad Gallos, quam refert Trebellius de xxx. Tyrann. cap. 2. *Transrhenani limitis*, inquit, *ducem & Galliae praeſidem Poſtumum ſecimus, virum digniſſimum ſeveritate Gallorum. Praeſente quo, non miles in caſtris, non jura in foro, non in tribunalibus lites, non in curia dignitas pereat. Qui unicuique proprium & ſuum ſervet. Virum, quem ego praeter caeteros ſtupeo, & qui locum Principis mereatur jure.* Poſtumum ergo Valerianus Transrhenani limitis ducem, & Galliae Praeſidem fecit. Limitum Duces appellabantur illi, qui militibus, in limite, ſive termino, Imperii praeſidia agentibus, praeerant. Milites hi limitanei appellabantur. De quibus nonnulla in utroque Codice, Theodoſii & Juſtiniani. Soliti namque Principes Romani exercitus in extremis terris collocare, qui fines Imperii tueantur. vid. Suid. in voc. Λιμιταναῖοι. Extrema autem Romanorum terra, ſive Imperii finis, ad ſeptentriones Rhenus fuit. Dux limitis Scythici eſt in l un. C. Th. de Luſoriis Danubii. In eadem eſt Dux limitis Moeſiaci. Dux limitis per Arabiam apud Ammian. Marcell. cap. 31. pag. 440. Dux limitis Mauritaniae Caeſarienſis, & Dux limitis Tripolitani in Notitia Imperii pag. 114. plures dabo infra in Notis ad Trebellium Pollionem cap. 3. Julius Caeſar citeriorem Rheni ripam terminum fecit. Auguſtus octo legionum praeſidiis munivit, caſtris, horreis, viis, aliisque operibus, molibusque ornavit. Ab inſecutis mox Imperatoribus ripa ulterior capta, ornataque. Hic limes Transrhenanus eſt dictus. Huic tuendo Dux fuit praefectus, de quo deinceps plura a nobis proferentur. Illud quaerendum hoc loco, Transrhenanum limitem, qui inde paene a fontibus ad oſtia, quam longus eſt amnis, ducitur,

rexerit Postumus, an partem ejus. Deinde an universae Galliae praeses fuerit. Ne diutius cuncter, limitem eum omnem trans Rhenum tenuisse puto, atque illius finibus circumscriptam fuisse provinciam ejus. Dicitur autem Galliae praeses, quod Transrhenana illa provincia Galliae accensebatur. Quare Victor cap. 33. eum Barbaris per Galliam praesedisse scribit, & Zosimus lib. 1. cap. 38. ἀρχὴν ἐν κελτοῖς στρατιωτῶν ἐμπεπιστευμένον, eum Celtis praepositum fuisse. Celtas hic Transrhenanos intellige. Accommodate Suidas in voc. κελτοὶ. κελτοὶ ὄνομα ἔθνους οἱ λεγόμενοι Γερμανοί. Οἱ ἀμφὶ τὸν Ῥῆνον ποταμὸν εἰσι. *Celtae Nomen gentis. Sic vocantur Germani, qui circa flumen Rhenum habitant.* Barbari autem in Gallia nulli nisi Transrhenana, qui enim Germani Rhenum praetexebantur, hoc tempore dudum in Romanorum mores transierant, non postrema Romani Imperii portio. Magna fuit horum Ducum potestas, quam & ex ea perspicimus, quae Ducis Moguntiacensis fuit. Moguntiacum notissima prope confluentes Rheni & Moeni urbs est, olim Germaniae superioris, nunc Electoratus & Archiepiscopatus caput. Sub dispositione autem Viri Spectabilis Ducis Moguntiacensis undecim praefectos militum. officia septem recenset Notitia Imperii: Ex qua plura adderem, Duces nempe per Orientem memorat XIII. per Occidentem XII. ni scirem, eo tempore antiquae militiae rationem cum ab aliis, tum maxime a Constantino Magno fuisse mutatam, a quo & Imperii limites sunt mutati, teste Zosimo lib. 2. cap. 34. Hoc amplius habuit Postumus, quam alii limitum Duces, quod non Ducis tantum, sed & Praesidis honore usus est, junctos hos honores gessit etiam Matronianus, Dux & Praeses Sardiniae, ad quem est Constitutio Gratiani, in l. 3. C. Th. ad L. Jul. Repetund. Gesserunt & alii, quare in l. 32. §. 1. a Theodosio & Valente constitutum est, *ut, si a Duce fuerit appellatum, si idem & Praeses sit, Praefectura necessaria tantum jure ordinario in sacro auditorio judicet.* Sed redeo ad Valeriani epistolam, in qua Imperator Postumum Praesentem nominat. *Praesente quo*, inquit, *non miles in castris.* Praesens hic Praesidem significat, ut enim Praesides dicuntur, quod praesident, ita Praesentes, quod praesunt. Miror, hunc vocis usum non animadversum eruditissimis Commentatoribus hoc loco. Lampridius in Alexandro Sev. cap. 32. *Si nunquam alicui Praesentium successorem dedit*, ubi eam movent Gruterus & Casaubonus, sed recte vindicat Salmasius. Non animadvertit quoque Jacobus Gothofredus, ad l. 13. C. Th. de Accusat. & Inscript. homo quantumvis per-

perſpicax & eruditus, in qua lege *de Praeſentibus & Adminiſtratorum bonore functis.* Falluntur illi, qui Poſtumum a Valeriano univerſae Galliae Praeſidem datum putant. Scio, uni quondam Praefecto Praetorio omnem Galliam paruiſſe, & praeter eam Hiſpanias & Brittannias, id eſt, Transalpinas provincias omnes, verum Praefectum hunc Praeſidem appellatum ignoro, quanquam haud neſcio, quid de voce Praeſidis docuerit Macer., in l. 1. D. de Offic. Praeſid. Ignoro praeterea, Praefectum illum tempore Poſtumi fuiſſe. Inſtituit eos demum Conſtantinus Magnus, teſte Zoſimo lib. 2. cap. 33. Praefectumque Praetorio Galliarum appellavit. vid. Notit. Imperii pag. 114. Ceterum Sextus Rufus in Breviario Imperii cap. 6. XVIII. provincias Galliae recenſuit, quarum quaeque ſuum Praeſidem habuit, unaque detracta, Vetus Index Provinciarum Romanarum, ab Antonio Schonhovio primum editus. Scriptus is creditur tempore Theodoſii Magni. Aliis autem temporibus aliter deſcriptae Galliarum provinciae ſunt. Virtutibus illis, quas ex Valeriani epiſtola oſtendimus, id conſecutus eſt Poſtumus, ut ex obſcuriſſimo loco ad ſummam claritatem emerſerit, atque ad ſummum faſtigium provectus ſit. Natales ejus vulgavit Eutropius in Breviario lib. 9. cap. 9. *Poſtumus in Gallia obſcuriſſime natus purpuram ſumſit.* Verba propoſui, ut lectori arbitrium facerem, num recte illi, qui ex iis eum in Gallia natum arguunt. Ambiguum namque, in Gallia natum, an in Gallia purpuram ſumſiſſe, doceat Eutropius. Ambiguum idem reliquit Paeanius, interpres Graecus Eutropii, Ποστύμος, inquit, ἐν Γάλλοις ἀφανὴς τὸ ἐκ πατέρων, περιθεὶς ἑαυτῷ τὴν ἀλουργίδα. Hoc certe nemo ambigit, in Gallia eum purpuram ſumſiſſe. Iisdem Poſtumi virtutibus adductus Imperator Gallienus, Valeriani filius, Saloninum filium, quem in Imperii ſpem alebat, ejus fidei ac diſciplinae commiſit, ut civilem prudentiam, artemque militarem, caeteraſque imperatorias virtutes ab hoc viro diſceret, atque ejus ope adjutus, Germanorum motus ad Rhenum compeſceret. De ea re in hunc modum Trebellius cap. 3. *Hic vir in bello fortiſſimus, in pace conſtantiſſimus, in omni vita gravis, usque adeo, ut Saloninum filium ſuum ei Gallienus in Gallia poſitum crederet, quaſi cuſtodi vitae & morum & actuum imperialium inſtitutori.* Soliti jam inde ab antiquiſſimis temporibus Romani nobiliores & principes viri filios militiam auſpicantes in contubernium & cuſtodiam dare egregio & ſpectatae virtutis duci, a quo vitae, morum, rerumque gerendarum exemplum caperent. vid. Serv.

P 3 ad

ad Virgil. Aen. lib. 5. v. 546. Q. Pompejum, cui M. Coelius adolescens traditus fuit, Cicero pro Coelio cap. 30. dicit, fuisse *castissimum virum, atque omnis officii diligentissimum.* A. Torquatum, cui Plancius, quo de idem Cicero pro Plancio cap. 11. *Virum gravissimum & sanctissimum, atque omni laude & bonore dignissimum.* Tangit hunc morem Virgilius, apud quem Euander Rex Pallantem, filium unicum Aeneae, paranti bellum, his verbis commendat, Aen. 8. v. 511.

Tu cujus & annis,
Et generi fata indulgent, quem numina poscunt,
Ingredere, o Teucrum atque Italum fortissime Ductor.
Hunc tibi praeterea, spes & solatia nostri,
Pallanta adjungam. Sub te tolerare magistro
Militiam, & grave Martis opus: tua cernere facta
Adsuescat, primis & te miretur ab annis.

Secutus exemplum est Augustus, qui, cum Cajum filium in Parthos mitteret, comitem ei & moderatorem juventae M. Lollium adjunxit, quem virum maximum nominat Horat. 1. Epist. 2. v. 1. & his laudibus ornat 4. od. 9. 35.

Est animus tibi
Rerumque prudens, & secundis
Temporibus, dubiisque rectus.

C. Julius Caesar, auspicatus militiam, in M. Thermi Praetoris contubernio fuit. Sueton. in Caes. cap. 2. Atque alii in aliorum.

CAPUT III.

Postumus Galliam Salonini Caesaris nomine rexit. Nummus antiquus expositus. Zonarae an Zosimi Scriptura vitiata, alteruter erroris insimulatus. Qui Tyranni fuerunt tempore Gallieni. Postumus Imperium a militibus delatum accepit. Quomodo is Galliam adseruerit & defenderit. Quomodo Germaniam inferiorem. Nummi illustrati. Gallia latissimo sensu.

Gallia ergo hoc tempore imperio Salonini, sed curae & consiliis Postumi est tradita a Gallieno: Nec defuit successus armis ejus, victi enim Germani, quam victoriam Gallieni Augusti

guſti, & Gallieni Caeſaris, ſive Salonini, nummi teſtantur, in quibus VICTORIA GERMANICA. Victoria Germanica, quam Poſtumi nummi atque alia ejus monumenta loquuntur, quia Tribuniclae poteſtatis annum quintum praeferunt, huc non pertinet. Quanquam enim dubitandum non eſt, fortitudine Poſtumi eam comparatam victoriam, quam Gallieni in ſuis nummis oſtentant, laude tamen ejus & gloria facile, ut decet privatum, Principibus ceſſit. At vero non eadem id facilitate tulerunt Galli, gens ferox, ſed indignum rati parere imperio Gallieni, hominis mollis & diffluentis luxuria, pueroque imbelli ſuam ſalutem permitti, occiſo Salonino, in Poſtumum, Victoriae auctorem, popularem ſuum & patriae defenſorem, transferunt. Zoſimus Hiſtor. lib. 1. cap. 38. & Zonaras lib. 2. cap. 24. a Poſtumo Saloninum e medio ſublatum ſcribunt, cuſtodemque huic a Gallieno datum, quem Silvanum Zoſimus, Albanum Zonaras nominant, quae ſcriptura non diverſos homines, ſed librariorum errorem arguit. Gaaece Σιλβανὸς ſcribitur, a quo parum abit Αλβανὸς. Accedo tamen in hac re Trebellii ſententiae, qui aliorum opiniones refellit, cum quod nefaria iſtiusmodi caedes a moribus Poſtumi aliena ſit, tum quod plerique id negabant: ita autem ille cap. 3. *Ut autem verius plerique tradiderunt, quum Galli vehementiſſime Gallienum odiſſent, puerum autem apud ſe imperare ferre non poſſent, eum, qui commiſſum regebat imperium, Imperatorem appellarunt, miſſisque militibus adoleſcentem interfecerunt.* Neque enim credibile, tantam impietatem & perfidiam tacituros fuiſſe ſcriptores, quorum libros verſamus, Euſebium, Aurelium Victorem, Auctorem Epitomes, nec laudaturum Paullum Oroſium, qui Hiſtor. lib. 7. cap. 22. eum ab ingenti virtute & moderatione commendat, notior autem huic, quam ſcriptoribus Graecis fuit, quod in Hiſpania, quae imperii Poſtumiani portio fuit, natus eſt, & vitam egit. Sub idem tempus alii Praeſides in aliis provinciis neglectum a Gallieno imperium arripuerunt. Odenatus Orientem a Barbaris eſt tuitus, Aemilianus Aegyptum, Celſus Africam, Pannonias & Moeſias Ingenuus, Illyricum Aureolus, Theſſaliam Piſo. Plures recenſet Trebellius Pollio. Ut ergo Rei Romanae ſuccureret Poſtumus, opemque ferret patriae laboranti, non ille, fortitudinis ſibi conſcius & meritorum, delatum a Gallis ſuis atque ab exercitu detrectavit Imperium: ſuſceptumque induſtrie & feliciter egit, ſplendore, magnificentia, & ambitu majore, quam caeterarum provinciarum Imperatores. Francos namque aliosque Bar-

Barbaros, qui, disjecto limite, superatoque Rheno & vastata Gallia, Tarraconem usque in Hispaniam penetraverant, rejectos in patriam redire coegit. Praesidiis ac munimentis, classibus etiam, Imperii limite firmato, Galliam instauravit, ac splendori pristino restituit. Praecipuam autem curam duxit, Germanias easque regiones, quas foederatae gentes habitant, Belgium foederatum nonnulli appellant, copiis instruere, atque operibus exornare. Omnia haec uberius, quam Historici, nummi aliaque vetustatis monumenta loquuntur, quorum nonnulla, atque in primis ea, quae merita illius maxime illustrant, in medium a nobis proferentur. Nummorum titulos praecipue ab Occone, & Mediobarbo petiimus, imagines non addidimus, ut libri pretio consuleremus. Eas qui volet, is notissimos libros evolvat, maxime Tristani & Vaillantii. Diximus, victis Barbaris eum Galliam recuperasse, inde Restitutor Galliae in nummo Smetii appellatur, in aliis nummis est Restitutor Galliarum, eodem significatu. Accipio autem Galliam sensu latissimo, ita ut non tantum tres Galliae provincias nobiliores, Aquitaniam, Celticam, Belgicam, complectatur, sed & Germanias, superiorem & inferiorem, imo & eam Germaniae partem, qua limes Transrhenanus est ductus. Hispaniam praeterea & Britanniam. Quare dicendum, non Constantini demum saeculo, qui Galliarum Praefecto Praetorio Hispanias & Britannias subjecit, vid. Zosim. lib. 2. cap. 33. & Notit. Imp. Occid. pag. 117. Sexti Rufi Breviar. cap. 6. Galliae vocis pomoeria tam spatiose fuisse prolata, adde Cluver. Germ. Antiq. lib. 1. cap. 2.

CAPUT IV.

Postumus praeter Gallias tenuit Hispanias, Britanniasque. Lapis vetustus expositus. Viarum curam Imperatores in se susceperunt. Exercitus Vaccaeorum. Lapides illustrati. Exercitus Iscanus in Britannia. Caer Leon urbs antiqua Britanniae. Urbs Isca.

Hoc certum, quanquam id ignorasse videtur Pollio, & qui Pollionem secuti Scriptores recentiores, Postumi imperium non iis tantum finibus, quibus Galliae circumscribuntur, Rheno, Rhodano, Alpibus, saltibus Pirenaeis, atque Oceano fuisse terminatum, sed

ſed & Hiſpanias eum Britanniasque ditione tenuiſſe, quod opera cum ipſe, tum Imperii ejus ſucceſſores in iis provinciis poſuerunt, quae non niſi Imperatores ponere conſueverunt. In his eſt lapis a Poſtumo in Hiſpania erectus, quem ex Fabretti Inſcriptionibus dedimus ſupra cap. I. In Guadix, quod oppidum Granatae, inventum eſſe tradit. At vero Muratorius p. ccccLX. 6. ex Schedis Ambroſianis in noſocomio Cordubae exſtitiſſe ſcribit, credo in urbem hunc nobiliorem tranſlatum deinde, unde & tandem in Hortos Urſini Romam eſt transmiſſus. Intelligimus ex eo, reſtitutum aliquid in eo loco ab Imperatore Poſtumo, nec additur, quid illud fuerit. Suſpicor autem, lapidem miliarium fuiſſe, quorum ut & viarum faciendarum & reficiendarum negotium ſua cura Imperatores Romani dignum cenſuerunt, neque id mirabitur ille, qui ſcit, immenſo labore & incredibili impenſa iſtiusmodi opera peracta fuiſſe. Quae & cauſſa eſt, cur non dubitarint eam ſuam curam publicis monumentis teſtificari ſummi Imperatores; Trajanus optimus Princeps VIAM TRAIANAM in nummis, qui ei a Senatu cuſi ob id, quod viam Appiam reſtituerat. Frequentiſſimi in ſaxis marmoribusque antiquis auctores & reſtitutores viarum, vide Gruteri aeternum opus Inſcript. cL. & ſeqq. Convenit optime columna haec inter Ulyſſiponem & Emeritam eruta, apud Grut. cLV. 8.

IMP. CAES.
. . . . . .
. . . .
TRAIANVS AVG
GER. PONT. MAX
TRIB. POTEST
IS II RESTITVIT
X

Nec non illa Emeritae reperta:

IMP. CAES. DIVI
TRAIAN. PARTII
F. DIVI. VER. NEP
TRAIAN. HADRIAN
AVG. P. M. TR. P. V
COS. III. RESTITVIT
CI

Nec non alia prope Caparram in Lufitania apud eundem CLVI. Illud tamen diffimile, quod hi, ut & innumeri alii lapides, numerum miliarii adfcriptum habent, quam & ex illo Fabretti lapide aut temporis longinquitate effluxiffe, aut defcribentium incuria praeteritum exiftimo. Juvat fufpicionem meam de miliario lapide, quod publica & militaris via (cujusmodi viae lapidibus miliariis diftinctae erant) per oppidum Guadix olim ducebatur, cum Acci & Accitana colonia nominaretur. Iter exponit Antoninus in Itinerar. pag. 402. Verum quodcunque tandem illud fuerit monumentum, quod Poftumus reftituit, hoc conftat, non licuiffe id ei ponere Imperatoris nominibus infcriptum, nifi in ea provincia, quam ipfe obtinebat. Alterum monumentum, quo Poftumi Imperium in Hifpanias arguitur, nummus eft, in quo EXERC. VAC Confpicis in eo EXERCITVM VAC. quo autem illum referas, nifi ad exercitum, qui in Hifpania tetendit, five in Vaccaeorum regione, five ad Vaccam, vel Vaccum amnem Lufitaniae, Durium inter & Mindum? Nam nec Vacorium Norici, nec Vacontium Pannoniae, non etiam Vacca Africae, & Vacuata Mauritianiae, quidquam ad Poftumum, ad quem etiam nihil Vacomagum Calidoniae. Quanquam enim Britaniis imperavit Poftumus, in Calidonia tamen, quae extra Severi vallum, atque Imperii limites fita, exercitum habuiffe non putem. Caeterae autem gentes fuum quaeque Imperatorem nactae. De rebus Poftumi in Hifpania geftis, & praecipue ad Tarraconem, citerioris Provinciae caput (quam urbem Francis occupatam vi expugnavit) memorat Aurelius Victor cap. 33. nec non Orofius lib. 7. cap. 22. Eufebius eam expugnationem confert in annum Chrifti CCLXIII. quo dudum in Galliis regnabat Poftumus. Britanniarum Imperium Poftumo vindicant hi nummi:

IMP. CAES. POSTVMVS AVG
EXERCITVS. YSC. SC.

&

IMP. C. M. CASS. LAT. POSTVMVS. P. F. AVG
EXERCITVS ISC. SC

Nummum illum Vaillantius habet. Hunc Triftanus. *Exercitus Ifc.* Exercitum Ifcanum fignificat, intellige autem legionem fecundam, quae ad Ifcam amnem caftra habuit, non Dumnoniorum, quod perperam Ptolemaeus, notatus ob id a Viris doctis, fed Silurum, oppidum, quod ex legionis caftris ortum, antiquum nomen retinet.

Caer

Caer Leon enim appellatur, & Caer Leon ad Usk, id eſt, oppidum Legio, vel Legionis ad Yſcam ſive Iſcam Multae Romani cultus reliquae ad eam urbem diutiſſime fuerunt ſpectatae, de quibus ita refert Camdenus in Britanniae deſcriptione ex Itinerario Gyraldi, quod tempore Henrici ſecundi Anglorum Regis eſt ſcriptum. *Erat haec Urbs Iſca antiqua & authentica, a Romanis olim coctilibus muris egregie conſtructa. Videas hic multa priſtinae nobilitatis veſtigia: Palatia inmenſa aureis olim tectorum veſtigiis Romanos faſtus imitantia, eo quod a Romanis Principibus primum conſtructa, & aedificiis egregiis illuſtrata fuiſſet. Turrim giganteam, Thermas, inſignes Templorum reliquias, & loca theatralia muris egregiis, partim adhuc exſtantibus. Omnia clauſa reperias ubique, tam intra murorum ambitum, quam extra aedificia ſubterranea, aquarum ductus, hypogaeosque meatus, & quod inter alia notabilia cenſeas, ſtuphas undique videas artificio miro confectas, lateralibus quibusdam & praeanguſtis ſpiraculis occulte calorem exhalantibus.* Idem Camdenus pag. 41. Lollianum, Victorinum, Poſtumum & Tetricum (hoc ordine eos recenſet) rerum in Britannia potitos fuiſſe inde conjicit, quod eorum nummi quotidie ibi eruuntur.

CAPUT V.

Poſtumus cur Reſtitutor Orbis fuerit dictus. Simulacrum Juliae. Hiſpania & Gallia validiſſimae P. R. provinciae. Poſtumus omnibus Imperatorum honoribus ornatus. Tyranni in provinciis inſtar Senatus conſtituerunt. Conſulatus, aliosque Urbanos honores non Romae, ſed in provinciis geſſerunt.

Tanta autem meriti hujus, quo Provincias has, praecipue vero Gallias, Hiſpaniasque a Barbaris vindicavit, magnitudo fuit exiſtimata, ut ob id Pacator & Reſtitutor Orbis fuerit habitus. Teſtes ſunt nummi, in quibus *Reſtitutor orbis*, *Pacator orbis.* Quam foeminam in nummis conſpicis, ſimulacrum Galliae eſt, eadem certe forma, eodemque habitu & cultu, qui in nummis, in quibus RESTITVTOR GALLIAE & GALLIARVM, quo minus dubitandum, eum, qui Galliam, id eſt, Tranſalpinas provincias, Imperio Romano reſtituerit, univerſi Imperii reſtitutorem fuiſſe exiſtimatum.

tum. Vere Antonius apud Tacitum Hiſtor. lib. 3. cap. 53. Gallias Hiſpaniasque *validiſſimam terrarum partem* dixit. Cognitum namque eſt dein, Honorio imperante, cum hae provinciae a Barbaris occupatae eſſent, Italiam haud magno labore ſubactam fuiſſe, pulcherrimumque Occidentis Imperium, incredibili Romanorum fortitudine conditum, deletum, domiciliumque ejus, Romam dico, cui nihil in orbe geminum fuit aut ſecundum, direptum, caedibusque & incendiis paene extinctum fuiſſe. Haec cauſſa impulit Poſtumum, ut omnia Imperii Romani nomina ac decora adſciverit, non imitantibus tantam fiduciam caeterarum provinciarum Imperatoribus. Ii enim contenti Imperatoris, Caeſaris & Auguſti nominibus, a caeteris abſtinuerunt. Poſtumus Senatum conſtituit, Conſulatum, Pontificatum Maximum, & Tribuniciam poteſtatem ſumſit, Magiſtratus atque Imperia dedit, nulla in re minor illis Caeſaribus, qui optimo jure facti. Inde nummorum ejus tituli P. M. TR. P. COS. P. P. id eſt, Pontifex Maximus, Tribuniciae Poteſtatis, Conſul, Pater patriae, atque etiam in iis S. C. Senatusconſultum. Et ne quid deeſſet, Proconſulem etiam ſe dici voluit, quo nomine nonnulli Imperatores caruiſſe videntur. vid. Salmaſ. ad Jul. Capitol. cap. 6. Poſtumus autem deſignatus eo, in monumento Accitanae Coloniae, hoc modo:

COS. III. P. P
PROC. RE.
STITVIT.

Quaerendum nunc, ubi geſſerit eos honores Poſtumus & praecipue Conſulatum. Sunt nonnulli, qui Romae eum geſſiſſe putant, ſed illi longe a via aberrant. Eum enim Imperio per id tempus Gallienus tenebat, infeſtiſſimus Poſtumo, quare & recte a faſtis omnibus ejus nomen abeſt. Geſſit autem eum in Imperio ſuo, nempe in Gallia, in quo & Senatum inſtituit, Ordines, Magiſtratusque, & jura deſcripſit, ſecutus exemplum Galbae, qui ſuſcepto Imperio, ut patriam a Neronis, teterrimi hominis, infanda dominatione vindicaret, Senatum in Hiſpania, quae ei demandata erat provincia, inſtituit. Suetonius in Galb. 10. *Dein juſtitio indicto e plebe quidem provinciae, legiones & auxilia conſcripſit, ſuper exercitum veterem, legionis unius duarumque alarum & cohortium trium. At e primoribus prudentia atque aetate praeſtantibus, velut inſtar Senatus, ad quos*

quos de majore re, quoties opus esset, referretur, instituit. Delegit & Equestris ordinis juvenes &c.

C A P U T VI.

Postumus Imperii sedem & domicilium fecit Coloniam Agrippinensem. Nummus explicitus, Colonia Agrippinensis, Colonia Claudia Agrippinensis dicta. Moneta Coloniae Agrippinensis facta. Aliae monetae in Gallia. Germaniae secundae caput. Ejus amplitudo & splendor. In ea Imperatores versati. Treveri quando Imperii sedes. Constantinus reductis a Rheno militibus Imperium debilitavit.

Si quis roget, in qua Galliae civitate haec ordinarit, & Imperium egerit Postumus, quanquam nihil est, quod adseverem, est tamen, quo suspicio & conjectura ducat. Ex omnibus Galliae civitatibus una Colonia Agrippinensis in nummis ejus memoratur, celebrata etiam Historiis hujus temporis, loco autem & splendore opportuna Imperio, quare eam sedem a Postumo captam puto. Nummus hic est:

IMP. C. POSTVMVS P. F. AVG
COL. CL. AGRIP. COS. IIII

Prodidit eum Smetius Antiq. Neomag. pag. 239. qui tamen hanc unam epigraphen, omnium, quas memorat, intactam reliquit, neque dein quisquam eam tentavit, forte ob id, quod perperam litterae C. L. distractae sunt a Smetio, quas conjungi oportet, Colonia enim Claudia Agrippinensis significatur. Et ne dubites, en lapidem Gruterianum, CCCCXXXVI. n. 7.

M. MARIO. M. F.
STEL. TITIO. RVFINO
COS
LEG. LEG. I. MINER. P. F
CVR. COL. CLAVDIAE AVG
AGRIPPINENSIVM

Nomina accepit a Claudio Augusto, cujus auspiciis ducta est ab Agrip-

Agrippina conjuge ejus. Tacitus Annal. lib. 12. cap. 27. Goltzius quoque in nummo Claudii COLoniam AGRIPPINAM VBIORum invenit, quem tamen nummum usque adhuc mihi videre non contigit, forte nec aliis. Smetius Aequitatis & Felicitatis ſimulacrum in nummo Poſtumi ſibi reperiſſe videtur, equidem autem illud Monetae Auguſtae exiſtimo, ſententiaeque hujus ſponſorem do nummum a Cl. Nunningio mihi dono datum, in quo eodem habitu cultuque foemina hac epigraphe: MONeta AVGuſta. Eſt ea Moneta, ſive Dea Moneta, cui Poſtumus Auguſtus in Colonia Agrippinenſi, primaria civitate & Imperii ſui domicilio, officinam inſtituit. Quare monetae Imperii Occidentalis, quae ſex recenſentur in Notitia ejus, fueruntque ſub diſpoſitione Viri illuſtris Comitis Sacrarum Largitionum, vid. pag. 142. una adjecta augendae, tribusque monetis Gallicis, Lugdunenſi, Arelatenſi, & Treverorum, adjungengenda eſt Agrippinenſis. Monetae hujus non meminit Notitia, quod Theodoſii ſecundi aetate, qua ſcriptum hoc Imperii breviarium, Germania Inferior perierat Romanis, occupata a Francis. Nec moneta tantum, ſed & aliis rebus lautiſſimis digniſſimisque Imperatoria ſede, civitatem hanc inſtruxiſſe videtur Poſtumus. Invitabant ad eam habitandam cum ſitus amoenitas, tum multiplex commoditas, & tutela multiplex, quibus factum, ut dudum illa Germaniae inferioris caput fuerit. In illorum numero ſunt locus inter utramque Germaniam medius, & Imperii limite ſeptus pons, portus, claſſis, moenia firma, caſtella in utraque amnis ripa. Intelligimus hinc cauſſam, cur ea civitas frequens ſit in annalibus rerum, hoc tempore, & paullo poſt geſtarum, maxime earum, quae ad Imperatores pertinent. Porro cur ampliſſimis laudibus ornetur, caeterisque ad Rhenum civitatibus anteponatur. Denique cur Barbari, ſuperato Rheno, eam, quaſi Imperii Romani arcem, invaſerint. Poſtumus ut animum ad Imperium adjecit, hanc occupavit. Zoſimus lib. 1. cap. 38. Επεὶ δὲ καὶ ποςῦμος ἀρχὴν ἐν κελτοῖς ςρατιωτῶν εμπεπιςευμένος, ἐς, τὸ νεωτερίσαι προήχθη, τῦς συναποςάντας αὐτῷ ςρατιώτας ἀναλαβὼν ἐπὶ τὴν Αγριππίναν ἤλαυνε πόλιν ἐπικειμένην τῷ ῥήνῳ μεγίςην. *Poſtumus quoque, cui magiſterium militum apud Celtas commiſſum fuerat, animum ad res novas adjecit, ſumtisque ſecum militibus, qui cum ipſo defecerant, Agrippinam contendit, urbem maximam, ad Rhenum ſitam.* Animadvertis, eam Urbem, earum, quae ad Rhenum ſitae, maximam dici, unde ſtatuas, majorem fuiſſe Moguntiaco, quae Germaniae ſuperioris metropolis erat. In eam Saloninus eſt mis-

missus a patre Gallieno, cum Transalpinis provinciis praeficeretur. Zonaras lib. 12. cap. 24. In ea occisus Victorinus Pater. Eutrop. in Breviar. lib. 9. cap. 9. imo & Filius, successores Postumi. Trebellius Pollio de xxx. Tyr. cap. 5. quorum & sepulchra ad eam extiterunt. cap. 6. In ea res novas molitus est Bonosus, a Probo Imp. devictus. Eutrop. in Breviar. lib. 9. cap. 17. Aurel. Victor cap. 37. Epitom. cap. 37. Addit Vopiscus in Probo cap. 18. Bonosum & Proculum ex ea Urbe Britannias, Hispanias, & Braccatas Galliae provincias sibi vindicasse. In ea consistere solebant Principes, cum Germanias inviserent, certe ex ea Imp. Constantinus epistolam dedit ad Antonium Marcellinum, Praesidem provinciae Lugdunensis primae, sine censu vel reliquis fundum comparari non posse. Dederunt etiam Impp. Valentinianus, & Valens ad Probum Praefectum Praetorio Illyrici, ne damna provincialibus infligantur. vid. Lib. 11. tit. 3. Cod. Th. & lib. 11. Tit. 4. adde l. 3. de Inoff. Testam. & l. 1. de Libert. Ammianus Marcell. lib. 16. pag. 61. urbem munitissimam nominat, civitatem amplam & copiosam, lib. 15. pag. 54. ampli nominis urbem, pag. 50 ubi & eam a Francis, Rhenum transgressis, expugnatam & deletam scribit, additque, quam gravis & luctuosus tantae jacturae nuncius Romanorum auribus acciderit. *Ubi nuncio percellitur gravi, qui nuper in comitatum Augusti perlatus de industria silebatur, ne parata diffluerent. Indicabat autem, Coloniam Agrippinam, ampli nominis urbem in secunda Germania, pertinaci obsidione Barbarorum reseratam magnis viribus & deletam. Quo moerore perculsus, velut primo adventantium malorum auspicio, murmurans querulis vocibus saepe audiebatur, nihil se plus adsecutum, quam ut occupatior interiret.* Quare Julianus, suscepto bello, hoc sibi negotium praecipuum duxit, ut eam hostibus ereptam Imperio Romano restitueret. Idem lib. 16. pag. 61. *Nullo itaque post haec repugnante ad recuperandam ire placuit Agrippinam, ante Caesaris in Gallias adventum excisam. Per tractus nec civitas ulla visitur, nec castellum, nisi quod apud Confluentes, locum ita cognominatum, ubi amnis Mosella confunditur Rheno, Rotbomagum oppidum est, & una prope ipsam Coloniam turris. Igitur Agrippinam ingressus, non ante motus est exinde, quam Francorum Regibus furore mitescente perterritis, pacem firmaret Reip. interim profuturam, & urbem reciperet munitissimam. Quibus vincendi primitiis laetus, per Treveros hiematurus, apud Senonas, oppidum tunc opportunum, abscessit.* Non ignoro, Marcellino lib. 15. pag. 54. Treveros domicilium

lium Principum dici, neque nego, id fuisse, fuit autem ea aetate, quae posterior Postumo, ac praecipue Principis Gratiani. vid. Freher. ad Ausonii Mosell. vs. 25. & 380. Coepta autem frequentari a Principibus Augusta Trevirorum inde a Constantini Magni tempore, qui redactis a limite militibus illud Imperii latus nudum Barbaris praebuit. De pestifero hoc magni Imperatoris consilio ita Zosimus lib. 2. cap. 34. *Fecit & aliud quiddam Constantinus, quod in ditionem populi Romani liberum Barbaris aditum praebuit. Nam quum Imperium Romanum extremis in limitibus ubique Diocletiani providentia, quemadmodum a nobis supra dictum est, oppidis & castellis atque burgis inclusum esset, omnesque copiae militares in iis domicilium haberent, fieri non poterat, ut Barbari transirent, ubique copiis hostium repellendorum caussa occurrentibus. Hanc praesidiorum munitionem Constantinus abolens, majorem militum partem de limitibus submotam, in oppidis nullius opis egentibus collocavit: a Barbaris vexatos praesidio nudavit.*

CAPUT VII.

Rheni limites saepe a Barbaris tentati. Castra legionum & Cohortium ad Rhenum. Agrippinensis civitas sibi Romae par visa. Jus Italicum Agrippinensibus & Constantinopolitanis datum, quomodo. Nummus illustratus. Rhenus quare cornutus. Rhenus cur bicornis. Ostiis non accensentur, quae manu & cura facta. Vaillantii sententia rejecta. Nummus expositus.

Tentati per Constantinorum tempora saepius sunt Rheni limites, disjectis etiam praesidiis, castra legionum & cohortium, quibus muniebatur amnis, occupata sunt a Barbaris, vide Ammian. Marcellin. lib. 18. pag. 115. ubi Castra Herculis, Quadriburgum, Tricesimam, Novesium, Bonnam, Antunnacum & Bingium, notissima ex vetustis Geographorum tabulis ad Rhenum oppida, Francis, a quibus tenebantur, a Juliano Caesare erepta, Romanoque Imperio reddita scribit. Ipsamque Coloniam Agrippinensem ab iisdem vastatam narrat, lib. 15. pag. 50. & lib. 16. pag. 60. Quare non mirandum est, si Imperatores, qui per id tempus fuerunt, & paullo post, si quando in Gallia iis diutius commorandum erat, ab an-

ancipiti amne atque ab infesta barbarie removerint sedem suam, eamque a Colonia Agrippinensium transtulerint in Coloniam Treverorum, atque a Rheno ad Mosellam, a Germania in Galliam. Hoc autem amplius, quam Treverorum Colonia, cujus Palatium & Capitolium antiquitas memorat, Agrippinensis habuit, quod Magistratus, & Senatum, orbis terrarum concilium, intra moenia sua vidit, cujus consulto nummi hi sunt signati, non aemula, sed par Romae, ut quidem Postumo & successoribus ejus visa. Inde autem nummi ejus S C notati. Inter eos etiam Magistratus Consulatus complures & Tribuniciam potestatem decimum gessit. Quod autem Agrippinensibus jus Italicum est datum, teste Paullo in l. 8. §. 2. D. de Censibus, *In Germania* inferiore Agrippinenses juris *Italici sunt*, cave quidpiam majestati urbis inde detractum putes, nam & idem jus Urbi Constantinopolitanae est tributum. vid. l. un. C. Th. de jure Ital. Urbis Constantinopol. & l. un C. Justin. de privilegiis Urbis Constantinop. De qua Urbe vere Sozomenus in Histor. Eccles. lib. 7. cap. 9. cujus verba adscribam, quia Coloniae Agrippinensium Augustae conveniunt. ἤδη γαρ δε ὐ μόνον ειχε ταύτην τὴν προσηγορίαν ἡ πόλις, καὶ γερουσίᾳ καὶ τάγμασι δήμων καὶ ἀρχαῖς ὁμοίως ἐχρῆτο. Αλλα καὶ τὰ συμβολαια, κατα τὰ νόμιμα τῶν ἐν Ἰταλίᾳ Ρωμαίων ἐκρίνετο καὶ τὰ δικαιᾳ καὶ τα γέρα περ. Παντα ἑκατέρᾳ ἰσάβετο. *Jam tum enim Urbs illa non solum hanc appellationem* (qua νέα Ρώμη, nova Roma est dicta) *memorat*, *& Senatum & Ordines populi ac Magistratus similiter habebat*: *Verum etiam contractus civium ejus urbis*, *juxta leges Romanorum*, *qui in Italia sunt*, *judicabantur*, *juraque omnia & privilegia aequalia Veteri Romae possidebat*, de quo jure Henricum Valesium in adnotationibus ad hunc locum, atque Ezech. Spanhemium de Orbe Rom. consulas censeo, ne aliorum te errores abripiant. Hanc Urbem, Agrippinensem dico, posteaquam sibi Imperioque suo domicilium constituit Postumus, id negotium sibi praecipue datum esse existimavit, ut rejectis Barbaris utrumque Rheni limitem muniret, cursumque amni inter tot castra & moles liberum tutumque praestaret. Quo facto sibi visus est salutem Provinciis Romanorum reddidisse, percussit itaque nmmum hac epigraphe: SALVS PROVINCIARVM. Ex urceo, quem in nummo adspicis, & arundine amnem cognoscis, & ne dubites, eum Rhenum esse. Quaere Drusi nummos, invenies autem tres eadem imagine, & praeterea Domitiani unum, in quibus: RHENVS: manu in suo nummo navem gubernat Imperator Postumus, non tam

ob commerciorum frequentiam, quam ob classem Germanicam, de qua deinceps plura dicemus. In nonnullorum Editionibus duobus cornibus insignitur, quo magis cognoscas, Rhenum esse. Quanquam cornuti nonnunquam & alii amnes, praecipue tamen Rhenus bicornis est dictus, quae caussa, cur in Aethici Cosmographia & Julii Oratoris Excerptis Bicornis & Bicornius pro Rheno dicatur. an & ita Ausonius in Mosella vs. 437.

Quumque uno de fonte cadas, dicere bicornis.

& Eumenius in Panegyr. cap.. *Arat illam terribilem aliquando ripam inermis agricola, & toto nostri greges flumine bicorni mersantur.* Vide ibi Freherum, qui tamen praetermisit hoc Hegisippi lib. 2. cap. 9. *quae pererrantes tot, usque ad mare, bicornis amnis fluenta.* Notum est hoc Virgilii Aen. 8. vs. 726.

Euphrates ibat jam mollior undis,
Extremique hominum Morini, Rhenusque bicornis.

Hinc & bifida Rheni barba in iisdem nummis, certe in eo, quem exhibet Jacobus Gronovius ad Pompon. Mel. Geograph. lib. 3. cap. 2. Recte Servius ob duo ostia bicornem appellatum docet, fallitur tamen in ostiis designandis, quae ejus aetate compluria fuerunt; inter quae duo ab ipso amne facta, caetera manu, quae omitti solent a scriptoribus & artificibus antiquis. Eustathius in Dionysii περιηγης. vs. 295. Rhenum dicit, δίστυμον ὀξὺν καὶ δυσγεφύρωτον καὶ σκολιόν. adde Strabonem. Quare minus ambigo, Hadriani hunc nummum argenteum, in quo amnis recubans, Rhenum ostendere, non ut esset monumentum peregrinationis illius Imperatoris, id quod Vaillantius censuit, sed quod is Rheni limitem in solo Barbarico stipitibus & vallis sepserat, munieratque adversus Barbaros, de qua re mox. Non Rheni nomen in nummis addidit Hadrianus, non etiam Postumus, quod imago ejus vulgatissima Romae saepius in triumphis ostensa ab iis, qui aliquid rerum ad eum amnem aut in Germania magna gesserant. Superbe Domitianus, qui eum pede premit in nummo uno, & equi sui calci subjecit, in opere, de quo Statius 1. Sylv. 1. vs. 50.

Vacuae pro cespite terrae
Aenea captivi crinem terit ungula Rheni.

CA-

CAPUT VIII.

De Rheni navigiis. Fuerunt ea Publica & Privata. Classis Germanica quae. Hegesippus emendatus. Classis ejus multa vestigia ad Rhenum. Pia, Felix, vel Fidelis dicta. Muratorius notatus. Lusoriae quae. Salmasii sententia refellitur. L. un. C. Th. de Lusoriis exposita. Ludere, id est, celeriter movere. Litus cur a ludendo dici visum Aquilio Gallo. Caudicariae Germanorum naves. Lembi & caupulae dictae. Classis Britannica quae. Usus ejus Classis. Navium ejus species. Postumi de Rheno & Brittannia merita. Nummi complures expositi. Legionis XXX. *merita & cognomina. Gallieni Imp. vanitas. P.* VI. *nota extricata. Mediobarbus notatus.*

De Rheni navibus hoc tenendum, alias Publicas fuisse, alias Privatas. Illae limitis & praesidiorum militarium tutelae, hae commerciis & negotiationibus serviebant. Utrarumque ingens fuit numerus, & major, ut puto, quam hodie. Inter publicas, primo loco erat Classis Germanica. Illi nomen inde erat, quod in Rheno Germanorum amne navigabat, media inter utramque Germaniam, Cisrhenanam & Transrhenanam, atque ob id opportuna propulsandis ab aditu ejus hostibus, qui illam Germaniam tenebant, & defendendis Romanorum praesidiis, quae citeriorem ripam, nonnunquam etiam utramque insidebant. De ea classe Hegesippus de Excidio Urbis Hierosolym. lib. 2. cap. 9. *Itaque jam non caupulis Germanorum repletus* Rhenus, *sed Romanorum liburnis, quae pererrantes tot, usque ad mare, bicornis amnis fluenta, quondam liberas gentes, servitio premunt.* Exhibui locum, non ex vulgatis editionibus, sed partim ex codicibus, quos Cornelius Gualtherus inspexit, partim, quos ipse consului, ex quibus alias plura, quae contaminata sunt in eo capite, meliora dabo. Fluenta Rheni dicit, non tantum quae augent Rhenum, sed & quae minuunt, id est, divortia atque ostia; Ea autem cum varie dividunt Gelrorum, foederatorumque agros, intelligimus, frequentem in eorum terris classem hanc Germanicam fuisse. Fuisse etiam ibidem suos portus, sua navalia, & stationes ei classi in iis locis, quae deinceps designabo. Parebat ea Praefectis & Trierarchis. Praefectus fuit Julius Burdo, a Vitellio interfectus, Tacitus Historiar. lib. 1. cap 58.

Julium Burdonem, Germanicae classis Praefectum, astu subvertit. C. Manlius Praefectus ejus vixit tempore Vespasianorum & Nervarum, memoratus in hoc lapide Muratorii Thesaur. Inscript. DCCXVII. 5.

C. MANLIO
FELICI. TRIB. MIL. LEG. VI
G. P. F. ADLECT. IN. DECVR. . .
IVDIC. SELECTOR. A. DIVO
TITO PRAEF. FABR. IMP
CAESARIS. NERVAE TRIAN
GER. DACICI. II. PRAEF. CLASS
PANN. ET. GERM. PROC. AVG. REG
CHERS. PROC. AVG. XX. HERED
D. D.

Lapis ille fuit Lysimachiae inventus. Extrierarchus, vel Ex Trierarcho est in hoc saxo Arelatensi:

L. DOMIT. DOMITIANI
EXTRIERARCH. CLAS. GERM.
D M
P. F. COCCEIA VALENTINA
CONIVGI PIENTISSIM

Ex quo lapide cognoscimus, classem eam fuisse cognominatam Piam, Felicem, vel Fidelem. Quare dicendum, recte distraxisse litteras P. F. Jacob. Tollium in Fortuitis pag. 312. male commisisse Muratorium in Thesaur. DCCCXI. id quod & observatum Bimardo. Hoc etiam male Muratorius, quod *Ex Trierarchis* interpretatur. Eundem lapidem esse puto, quem mutilatum ex Donio describit Idem Muratorius CLXXX. 5. Naves eas Liburnas appellat Hegesippus, quorum usus frequentissimus fuit inde post Actiacam victoriam. Ex earum genere lusoriae fuerunt, de quibus in l. un. C. Th. de Lusoriis Danubii. In antiquis libris fere luxoriae dicuntur. Salmasius ad Vopiscum in Bonoso cap. 15. dictas censet, quod lusus caussa ad circumvectationis delicias habebantur. Verum alienae hae deliciae a locis suspectis, & Barbaricis proximis, alienae etiam a Romanorum cura Imperii limitibus data. Quare eas dictas opinor a continuo motu cursuque, quo per omnia Rheni Danubiique

que fluenta ferebantur, ludentium in modum varios flexus reflexusque ineuntes. Intentaeque Barbarorum insidiis, qui quasi in speculis observabant incustoditos aditus, ut superatis amnibus ex Romano solo praedas agerent, operaque ripis imposita disjicerent. Fuerunt ergo lusoriae naves veloces & mobiles, ludentiumque more discursantes ad cujusque rei suspicionem, unde & *discursus* earum in l. un. Neque autem raro Romani ludere ea dicunt, quae celeriter moventur, ut pisces, apud Terentium in Adelphis Act. 3. sc. 3. v. 23. jubae, Virgil. Aeneid. lib. 11. v. 497. Adde Serv. ad Virgil. Aen. lib. 8. v. 632. undae, Catullus in Epithalamio Pel. & Thet. *fluctus salis alludebant*, videturque Aquilius Gallus, vir juris Romani consultissimus, litus ob id a ludo derivasse. Certe definivit ille litus, *quo fluctus eluderet*, vid. Cicer. Topic. cap. 7. Publicis navibus accensendae praeterea Judiciariae, Agrarienses, Frumentariae. De quibus alio loco differere constitui. Naves privatae in Rheno natantes aliae fuerunt Romanorum, aliae Germanorum negotiantium. Illae Romana arte factae, hae caudicariae erant, quod ex caudice, sive ex arboris trunco erant excavatae, de quibus Ausonius in Mosella v. 197.

Navita caudiceo fluitans super aequora lembo.

Caupulas nominat Hegesippus. Rheni amnis imaginem ergo cum in publicis monumentis, nummos dico, exponat Postumus, ostendit operam in tuendo eo amne & adjuvanda navigatione susceptam. Et quia non minore cura Oceanum Britannicum est complexus, inde & classem Britannicam in iisdem monumentis praetulit. Existimavi olim, Britannicam Classem eandem esse Germanicae. vid. de Brittenb. pag. 138. At vero, re consideratius perpensa, diversam existimo. De ea Britannica Tacitus Historiar. lib. 4. cap. 79. Ubi de bello a Batavis moto. *Circumsteterat Civilem & alius metus, nequarta decima legio, adjuncta Britannica classe, afflictaret Batavos, qua Oceano ambiuntur.* Praefectus Classis Britannicae memoratur Grutero CCCCLXXXXIII. 6. memoratur & Reinesio Class. VI. n. 128. pag. 462. quem lapidem dedit quoque Gudius Thesaur. Inscr. CLXXV. 1. Sejus Saturninus Archigubernus, nec non Valerius Maximus Trierarchus est in l. 46. ff. ad Senatuscons. Trebell. Classis ea Britannica fuit appellata, quod mare Britannicum a praedonibus maritimis tutum reddebat; navigabat enim in Oceano Britannico, qui hinc.

Germanica & Gallica, illinc Britannica litora adluit. Deducebatque commeatus ex uberrima terra, & rerum omnium adfluente, Britanniam dico, ad sustentanda Legionum praesidia, quae per Germanias Rhenum praetexebantur. vid. Ammian. Marcellin. lib. 18. pag. 114. Navium hujus classis species amplior est, & forma major in Nummis, quam amnicarum & lusoriarum. In adversa nummorum parte est *Prudentia Augusti*, aut *Laetitia Augusti*. Prudentia Postumi in officio retinuit Britannias insulas, quae per id temporis, quo provinciae omnes ob socordiam atque ignaviam Gallieni seditionibus distrahebantur. Ipse prudentissimus Imperator ad gubernaculum in puppi adstat, temonem, sive classis, quam ipse transvexit, sive Imperii moderatus. Laetitiam eam summam fuisse nemo negabit, qui existimet, ex Britanniarum copia Gallias, & potissimum Germanicianos exercitus, quae robora Imperii Romani censebantur, fuisse instructos & cibatos. Forte hanc ubertatem respicit nummus Postumi, in quo: UBERTAS AUGUSTI. Pertinent praeterea ad eam classem naves nummorum, in quibus: CONCORDIA EQUITUM, FIDES EQUITUM. In iis aut Dea proram pede premit, aut miles ad proram navis, quae arguunt, navium & militum auxilio ac fide ea, quae dixi, commoda fuisse comparata. Certe nummus Postumi FORTUNAE REDUCI consecratus, reditum Augusti hujus ab Oceano, insulisque Oceani, in Galliam significat. Est & alius, in quo ADVENTUS AUGUSTI. Operam in Britannica illa expeditione maximam navasse legionem xxx. Ulpiam Victricem, inde colligo, quod legio haec Neptunia appellatur in Nummo Gallieni, in quo LEG. xxx. NEP. P. VI. F. In eo Neptunus stans, dextra tridentem, sinistra delphinum tenet. Verum, ais, Gallieni hic nummus est. Nihil autem ille ad Postumum. Sed scias velim, ea vanitate Gallienum fuisse, ut quae Tyranni quique per provincias gesserant, ipse sibi vindicaret; quam vanitatem ejus notat Trebellius in xxx. Tyrannis cap. 10. Quae porro caussa est, cur quae in nummis Postumi, eadem paene omnia in nummis Gallieni reperias. Datum autem Neptuniae cognomen hoc tempore illi legioni inde apparet, quod in alterius aetatis monumentis (exstant autem monumenta ejus legionis perquam multa ad Rhenum, vicinisque Rheno regionibus) nusquam id cognomen reperitur. Gessisse autem illam legionem Gallieni & Postumi tempore praeclare res multas, indicio est idem ille nummus, in quo P. VI. id est, pia sexies, vel sextum. Toties enim pietatem

tatem suam in rebus dubiis Imperatori approbavit. De castris ejus ad Rhenum dixi in de Brittenburgo. pag. 16. & 22. Illud addo hoc loco, ex nummo Tetrici a Mediobarbo recenseri LEG. XXXVI. P. VICT. P. F. sed perperam, rescribendumque LEG. XXX. VLP. VICT. P. F. id est, legio trigesima Ulpia victrix pia fidelis, atque ita in nummo Gallieni: LEG. XXX. VLP. P. VI. F.

C A P U T IX.

Postumus egregie ornavit provincias Transalpinas. Vias refecit. Lapis milliarius illustratus. Rhenus quare receptator gentium dictus. Postumus praecipue sibi curae habuit Germaniam inferiorem. Nummus expositus, in quo Rheni forma. Quanta cura Rhenum munierint Romani. Hercules Magusanus, Cisrhenani limitis Deus tutelaris, & praecipue Batavorum. Postumus quare Hercules Magusanus & Deusoniensis est dictus. Hercules Deusoniensis, Transrhenani limitis Deus. Machuts Kinderen *Dordraci qui. Herculi Magusano pueri consecrati. Nummus expositus. Puellae Faustinianae. Magusanus Hercules molium atque aggerum tutor & auctor. Hercules Thebanus multa molitus circa aquas. Quid Hercules & Neptunus in aris Domburgensibus. Herculis labores in Batavorum insula, Hollandia, Zelandia, Frisia. Omnes Herculis Magusani arae in Batavorum solo repertae. In eo etiam Templum ejus. Catalogus bonorum Ecclesiae Ultrajectinae expositus: Friger Mahusenberni quid. Harni & Harn quid.* h *pro* ch *vel* g *scriptum.* C *&* h *permutantur Postumi nummus explicitus. Minerva Dea adjutrix Deorum & hominum.*

Tandem ad id convertor, ut ostendam beneficia & artes, quibus Postumus rempublicam sibi devinxit. In iis commemorandis admodum parci rerum Romanarum scriptores, prae caeteris Trebellius, benigni vero nummi lapidesque litterati. Ut Rhenum, atque Oceanum Britannicum Classibus fuerit tutatus, capite proximo docui. Viarum curam, more maximorum Imperatorum, praecipuam habuit, cum rerum militarium, tum commerciorum caussa. Ejus curae testes dedi columnas miliarias cap. 3. quibus addo unam

effos-

effossam in finibus Arvernorum in Gallia, quam vidit & descripsit Sirmondus ad Sidonium Apollinar. carm. 24. pag. 163.

IMP. CAES
M. CAS. LAT
POSTVMO
P. F. AVG. COS
M. P. GABAL. V

qui abfuit Gaballis millia passuum quinque. Secuti exemplum Postumi Victorinus & Tetricus Imperii ejus successores, qui vias in Gallia refecerunt. Monumenta exposui in commentariis meis ad Trebellium Pollionem. Quanquam autem dubitandum non est, Imperium totum ornasse operibus Postumum, id est, Gallias, Hispanias, & Britannias, praecipue tamen ille de Germanis laboravit, & praesertim de Germania inferiore, muniendoque Rheno. Amnem hunc receptatorem & defensorem hostium nominat Florus lib. 3. cap. 10. quod is gentes, quae novas terras habitandi caussa quaerebant, receptas trajiciebat, inque proximas regiones, Gallias dico, Hispanias, & Italiam dimittebat. Primus eorum cupiditatem, quasi freno injecto, cohibuit Julius Caesar, Gallorum domitor, mox Augustus, praesidiis militaribus ripae & supercilio Rheni impositis, & comparata classe, quae toto Rheni limite navigabat. Amnem illum in nummo Postumi praeferri summorum virorum opinio est, in quo Fluvii simulacrum, eamque opinionem veram esse ante ostendi. Nummi hujus generis duo circumferuntur. In altero cubitus amnis sinister in globo recumbit, in altero urceum ambit. Dextra in utroque puppim tenet navis, in hoc praeterea anchora est. Utrum erratum a pictore, in urceo, aut orbe, quorum haud multum dissimiles sunt imagines, non distinguo. In aere namque atque in argento nummos eos usque adhuc mihi videre non contigit. Urceus suetum instrumentum Numinibus Fluviorum. Navis signum est classis Germanicae, qua de dixi ante. Inscriptio est: SALVS PROVINCIARVM. Unde perspicimus, illum amnem conservatorem fuisse habitum Imperii Romani, quo amisso aditus Barbaris ad Italiam Imperiique arcem Romam patebat, quare non alienus a Rheno & nummo Postumi Orbis, qui & in aliis ejus nummis adspicitur. Notum est, in quanto metu adventus hostium fuerit, cum Variana clades Germanis Rhenum patefecerat

rat vid. Sueton. in Aug. cap. 23. & Dion. Caff. lib. 56. pag. 584. Quae & cauffa, cur, cum caeteros omnes Imperii terminos uno limite, Rhenum duobus fuerint tuiti. Hos autem limites quod egregie munierat Poftumus, Hercules Magufanus & Deufonienfis eft dictus in nummis. De utroque nomine nobis diligentius eft dicendum, quod Magufanus Batavorum Deus fuit, Deufonienfis Ifalanorum, id eft, eorum populorum, qui utramque Ifalae (divortium Rheni defigno, quod propterea moneo, ne quis Batavicae infulae Ifalam accipiat) Rheni ripam infident, Velavos hodie, Zutphanienfes & Tranfifalanos dicimus, quibus forte quis recte Frifios Flevi, qui Ifalae quondam lacus, Ifalae accenfeat. Nec tamen intercedo, quo minus quis Magufanum Herculem Cisrhenani limitis Deum tutelarem, Deufonienfem Transrhenani exiftimet. Hoc certum, Magufani Herculis aras omnes, quae exftant, in Batavorum terris repertas, viderique omnes a Batavis hominibus confecratas, manere etiam cum maxime antiqui nominis in infula eorum veftigia. Magufan vox Gallica, five Germanica eft, nutricem, defenforem, ac tutorem fignificat, lege quae dixi in Differtatione de Brittenburgo pag. 147. Quare ejus tutelae Batavi Vetuftiores natos fuos facrabant, vid. ibidem pag. 146. Durat nomen Dordraci in vetuftiffima Batavorum urbe, in qua Marchuts kinderen dicuntur. Divum aut Sanctum ex illorum genere, quos Romana Ecclefia veneratur, nonnulli jactant illo nomine, cujus tamen res geftas veramque appellationem in Sanctorum illorum actis quaefivi fruftra. Herculi Magufano & conjugi ejus Hebe, quam conjugem in coelo habuit, Ulpius Lupio & Ulpia Ammava pro natis fecit ara, quae olim in Gelria (fufpicor Bataviam Gelricam fuiffe,) reperta. Titulum arae infra dabimus cap. Imitatus eft Herculis hanc pietatem, quam pueris praeftitit, Poftumus Batavorum Hercules, celebravitque nummo, in quo pueruli quatuor, eorum duos ulnis complectitur, duos ad pedes intuetur. Infcriptio haec eft: PIETAS AVG. Circumferuntur fimiles nummi Fauftinae majoris, de qua puellis Fauftinianis nomen. Capitolinus in Antonino Pio. cap. 8. puellas alimentarias nominat. *Puellas alimentarias in honorem Fauftinae, Fauftinianas conftituit.* Novas Fauftinianas inftituit M. Antoninus in honorem Fauftinae Minoris, de quibus Idem Capitolinus in vita ejus cap. 26. Pertinet huc Trajani nummus, vid. Ducis Arfchottani Tab. XVII. & Biver. Tab. XXXVII. adde Plinium in panegyr. 26. Et quia hominum rerumque tutor fuit Magufanus Hercules, inde & molium

atque aggerum custos fuit habitus, quibus undarum, cum amnicarum, tum marinarum, vis frangitur, nec non fossarum ductor. Forte & eorundem auctor visus. Animadvertis ingentem operum materiam Herculi Magusano in Batavorum insula praebitam; praebitam etiam Deusoniensi Herculi ab insulis, quae inter Rhenum, Flevumque, nec non Amisium sternebantur. Quanquam enim adseverare non ausim, suspicio tamen est, Transrhenanum Imperii Romani limitem ad Amisii amnis ostia pertinuisse. Terra a Batavis habitata plana est, Rheni, Vahalis, Mosae aquas ex montibus, atque amnibus innumeris collectas in Oceanum devehit, alveis modicis, qui nisi arte & manu contineantur, undas late diffundunt, sata laeta, boumque labores non tantum diluunt, sed & pecora, armenta, villas trahunt, rapiuntque. Infestior, quam amnes, Oceanus Batavis est. Hic arenae instar montis cumulatae, exituque clauso amnes repellunt, illic disjectae meatum aestibus marinis per subjectas terras indulgent, qui aucti a coris hibernis aliisque ventis, omnia undis involvunt, vicis, pagis & oppidis mersis. Malis hujusmodi toto terrarum orbe credebatur mederi Hercules, variis cognominibus ob id distinctus. Is ad derivandas aquas, fossas atque incilia fecit, fluctibus cohibendis aggeres, saxa, ac moles opposuit. Pleraque opera fabulis contaminata sunt, quas mitto, quia notissimae sunt & Poetarum veterum carminibus celebratae. Ut Augiae stabulum purgaret, Alpheum avertit. Olbium, quem nonnulli Aroanium nominabant, per medios Pheneatici agri campos duxit, quinquaginta stadiorum opus, vide Pausan. in Arcadic. lib. 8. pag. 628. adde pag. 637. Idem Ciminum lacum fecit, cujus meminit Virgilius Aeneid. lib. 7. v. 697. ubi vid. Servius. Nemo ignorat Herculis & Acheloi pugnam. Vera res haec est, interprete Anonymo περὶ ἀπίστων. cap. 5. Hercules cum opem ferret Aetolis in bello, quod cum Curetis gerebant, Acheloi fluminis aquas ab horum finibus reductas uno alveo inclusit. Creditur praeterea ruptis montium jugis mare nostrum, id est, mediterraneum emisisse in Oceanum. Seneca in Hercule Fur. Act. 2. v. 237.

Utrinque montes solvit abrupto obice,
Et jam ruenti fecit Oceano viam.

Non addo alios Hercules labores, ad flumina, lacus, maria, Oceanum susceptos. Aristides in Oratione ad Herculem multos celebrat,

brat, qui huc pertinent, ut lacus ficcatos, amnes aut coercitos aut immiſſos, prout incolentium hominum utiitas poſtulabat, locique ingenium. Sed nequaquam praetermittendum cenſeo, quod de Surrentina Polli Felicis villa Statius Silvar. lib. 2. carm. 2. v. 20.

Ante domum tumidae moderator caerulus undae
Excubat, innocui cuſtos laris, hujus amico
Spumant templa ſalo: felicia rura tuetur
Alcides. Gaudet gemino ſub numine portus:
Hic ſervat terras, hic laevis fluctibus obſtat.

Apprime atque egregie haec conveniunt aris Domburgenſibus, in quibus Nehalennia, quae amnis Dea eſt, amnem dico, qui olim fuit eo in loco, non qui nunc eſt. Eam Numina duo tuentur, hic Neptunus, illic Hercules. Nehalenniam in antica parte pictam vides, in latere altero Neptunum adſpicis, in altero Herculem. Et ſi rite animadvertis, videbis adſpicere imaginem loci, villae Surrentinae Deorumque, qui locum tuebantur Neptuni, quem undae moderatorem dicit Poeta, atque Alcidae, ſive Herculis; quorum hic terras Nehalenniae, id eſt, Walachriae tuebatur, ille fluctibus obſtabat, Hercules ille Maguſanus eſt, Batavicarum inſularum (quibus olim Zelandorum inſulae, quae nunc ſunt, accenſebantur, ut demonſtrabimus aliquando, ſi fata ſinunt) conſervator, cujus ſtatua eodem in loco eruta ſpectatur, ara autem in littore Weſtcappellenſi effoſſa, cum maxime viſitur inſerta Eccleſiae columnae. Et quod probe obſervandum, in eo loco effoſſa eſt, in quo Herculis auxilio adverſus Oceani undas maxime opus fuit, nec ſine grandibus impenſis, & qui Herculeo labore hodie ſervatur. Nulla pars Bataviae eſt, quin olim requiſierit, & hodie requirat Herculis Maguſani, id eſt, divinam opem, nulla etiam Pars Friſiae, qua Oceanum tangit. Haec pagos a Dullarto merſos, quod oſtium Amiſii eſt, repetit, haec Burdonis inſulam, & Laricum amnem, cujus obſcura nunc veſtigia ſpectantur, haec terras & oppida a Flevo hauſta. Illa innumeros pagos & ſoli ingens ſpatium, ab undis raptum: & antiqua amnium oſtia antiquosque lacuum emiſſorios: poſtulabitque priſtinam ubertatem, quae dudum ſtagnantibus aquis periit, aggerumque robur, undarum fluctibus par, quo ut nunc Batavi terrae ſuae, ſic olim Romani Imperii ſui ſalutem, ut ante oſtendi, contineri exiſtimabant. Nullus mirabitur, huic Deo, qui

eam salutem praestabat, Batavos Frisiosque aras & templa posuisse, loca consecrasse: Virisque Herculis Magusani aemulis, atque imitatoribus, in quorum numero Postumus, divinos honores, & divina nomina tribuisse. Nec dubito, eundem Herculi Magusano Deum monischurom fuisse, Latine dicas solipotentem, qui unus & solus sit potens & validus ad tanta opera. De eo Hercule dixi in dissertat. de Brittenb. pag. 146. Is unus prae caeteris Diis frequentatus in Batavia & Frisia. Magusani Herculis arae quatuor, in Batavorum solo inventae, supersunt hodie, templi autem vestigium unum. Ararum titulos volumini huic subjiciam, quod metuo, ne nos diutius hoc loco morentur, propero enim ad Herculis Deusoniensis monumenta. Magusani vestigium est in Catalogo Bonorum Ecclesiae Ultrajectinae, quae habuit ante tempora Odibaldi Episcopi. XII. quem Catalogum recensuit Franciscus van Mieris, vir dudum egregie de patria sua meritus, vide ejus Groot-Charterboek van Holland eerste deel bladz. 27. Addo verba Catalogi, quo rectius ex locis vicinis de situ templi judices. *In Dorostado Ecclesia, quae vocatur Upchirica, cum omnibus appendiciis, terris, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, piscationibus. Omnia haec cum insula, quae jacet juxta Ecclesiam Sancti Martini, circumquaque inter Rhenum & Leccham, & insulam quoque juxta Buosinheim, quae propior villae Riswic. Haec omnia Sancti Martini. De vico etiam supra nominato decima pars Sancti Martini in omnibus rebus, & inter Holanwegh & Fregrimahusenham, sive quod vulgo dicitur Rec, terra illa Sancti Martini. In villa Riswic Ecclesiae cum terris, ad easdem pertinentibus & tres alii mansi.* Locorum nomina nonnulla paullo aliter sunt scripta in Boxhornii Theatro Hollandiae pag. 33. Exaratum hic reperias *Freger Mabusenheim.* Quae vox Herculis Magusani templum aut locum significat. De voce Freher infra dicemus, ubi de aris. Sive autem *Mabusenheim*, quod Boxhornius habet, sive *Mabusenham*, quod Franciscus Mieris praefert, exaratum censeas, certum est, templum aut lucum (Luci, id est, arbores uno loco consertae, Germanorum templa fuerunt) monstrari. Germani lucum *Hain* nominabant, quae vox ex *hagen* contracta est, ab eadem voce posteriores, *heim*, *ham* & *hem* contraxerunt olim, quae innumeris locis, oppidis, villis, nomina dederunt. Quicquid enim ex consertis contextisve arborum ramis fiebat (fiebant autem inde cum Deorum, tum hominum umbracula sive domus) *heim* appellabatur. In proximo amnes Rhenus, Leccus,

cus, nec non Doroſtad, quod nunc oppidum, Buoſinhem, Riſwic, qui notiſſimi pagi ſunt ad Culenburgum oppidum, locum demonſtrant, ubi Maguſanus Hercules fuerit cultus. Mahuſan pro Maguſan ſcriptum, vel Machuſan, quae ſcribendi ratio majoribus noſtris uſitatiſſima fuit, inde maht / fluhten / plihten / nunc macht / vluchten / plichten / vel magt / vlugten / pligten ſcribimus. Unde iidem *nihil*, *mihi* pronunciabant *nichil*, *michi*, quae pronuntiatio in nonnullis Germaniae locis etiam nunc durat, imo & recepta in nonnullis libris in Germania olim ſcriptis editisve. Scio, eſſe monumenta, in quibus non Maguſanus, ſed Macuſanus dicitur, verum & illud non ignoro, C & R ſaepe permutari, ut *Catti*, *Haſſi*, & multa alia, de quibus alibi dixi. Eſt & Poſtumi nummus, in quo MINERva FAUTrix. Spectari auxilium ejus Deae, quod Poſtumo, Herculi Maguſano, praeſtitit, ad undarum impetum coercendum recte quiſpiam ſuſpicetur. Certe Minerva adſuit Herculi adverſus Acheloum pugnanti, cujus amnis vim abducto rivo fregiſſe dicitur. Pauſanias in Eliacis lib. 6. cap. 19. ubi Minervam Herculi σύμμαχον fuiſſe ſcribit. Adfuit etiam, cum Hydram Lernaeam conficeret, teſte eodem Pauſania in Eliac. cap. 17. Lerna, ſi verum ſcire cupis, palus fuit, quam Hercules ſiccavit. Iſtiusmodi autem res, ut grandia quaeque opera, favente atque auxiliante Minerva, (quae & inde ἐργάνη appellatur, ingenioque & ſapientiae praepoſita) perficiuntur. Ariſtides, oratione ad Minervam, ſapientiae omnis magiſtram nominat, pag. 20. & 24. atque inde proximam Jovi poni, pag. 30. omnes artes ab ea repertas ſcribit. Lactantius Inſtitut. divin. lib. 1. cap. 18. Hominum Eruditiorum facio arbitrium, an id adſecutus fuerim, quod quenquam adſequi poſſe negabat olim Chriſtoph. Cellarius in Geographia Antiqua Europae, pag. 227. ut Maguſani nomen interpretaretur. Ipſe tamen dubitavi aliquando, an a Mecuſa, ſive Meguſa deductum nomen arbitrarer, quo nomine Mediomatricum oppidum dixit Anonymus Ravennas Geograph. lib. 4. cap. 26. quod oppidum ex locis vicinis cognoſcitur. Ita namque Ravennas ille. *Item juxta pronominatum fluvium Moſela, quam Franciam Rhenenſem nominavimus, ſunt civitates, id eſt Iulla Scarbona, Mecuſa, Gannia, Treoris, Nobia, Princaſtellum, Cardena, Conbulantia.* Quantum autem Africa a Batavorum inſula eſt remota, tantum a vero aberrat Jo. Georg. Keyſlerus, qui in Antiquit. Celt. pag. 200. a Maguſo Africae oppido Herculis id cognomen arceſſit.

CAPUT X.

Hercules Deusonienſis a Deuſone oppido dictus. Oppidum illud non eſt Duits, quod ex caſtris Divitenſibus eſt ortum. Tuicum dein & Tuitium dictum. Deuſo nunc Doesburgum ad Iſalam oppidum. Vana eſt ſententia de Druſo oppidi auctore. Germanorum Nomina ſono aſpero & horrido. Nazarii lectio tentata. Druſi nomen Germanicum eſt, manentque veſtigia ejus in Germania. Fontes a ſono dicti. Bilderbeek unde dictum. Does aquarum nomen. Douſarum Nobilitas & laus. Altfridi locus illuſtratus. Doesburgi antiqua Nobilitas. Ibi templum Herculis. Poſtumus cur Hercules Deuſonienſis dictus. Idem Hercules Duſenſis, quo nomine Septimius Severus dictus, & quare. Vopiſci locus emendatus. Alma amnis.

Hercules Deuſonienſis in nummo Poſtumi eſt, quem habeo. Doctorum hominum opinationes varias de eo nomine recenſere nil attinet. Equidem ſecundum eos ſentio, qui a Deuſone, vico oppidoque dictum, cenſent, cujus meminit Hieronymus in Euſebii Chronico ad annum Chriſti 374. ubi Saxones Deuſone in regione Francorum caeſos ſcribit, id quod factum eſt tempore Valentiniani, Valentis & Gratiani. Idem, ut ſolet, narrat Caſſiodorus in Chronico, conſuleſque nominat Valentinianum III. & Valentem III. Eruditorum virorum paene nullus eſt, quin illud oppidum, quod in adverſa Coloniae Agrippinenſis ripa eſt ſitum, Duits hode appellant, eo nomine monſtrari putet. Verum nomen oppidi illius, non ex *Deuſo* ſed ex *divit* contractum; unde caſtra Divitenſia, & milites caſtrorum Divitenſium memorati in lapide, quem ex Brouwero deſcripſit Muratorius Theſ. Inſcr. CCLIX. 4. habetque eundem Gelenius de Admirand. Colon. pag. 84. qui lapis inventus fuit in oppido Duits. Oppidum autem illud, ut multa alia ad Rhenum, aliiſque terris, ex Romanorum caſtris crevit. Eorundem militum meminit auctor Notitiae Imperii Orientalis & Occedentalis, nec non Ammianus Marcellinus lib. 26. pag. 320. & lib. 27. ſub initio. Uterque Divitenſes & Tungricanos conjungit, quod propterea addo, ne quis Divitenſes ad Divetum Siciliae oppidum referat, cui ſententiae pronior videtur Panzirolus. Manſit ea vox diutiſſime, nam Lambertus in vita Heriberti pag. 471. cap. 3. §. 11. vid.

vid. Acta Sanctor. Bolland. die Martii XVI. *Hic*, inquit, *per hoc jubens Divitensi castro monasterium construi designato ordine cujusque habitationis.* Vixit Lambertus saeculo XI. & Rupertus in ejusdem Heriberti vita cap. 4. §. 13. *Surge ergo, ut Divitense petens locum in eodem mundari praecipe.* Tuicum dein & Tuitium dictum, quod frustra alii a ficto Tuiscone arcessunt. Ipse existimo, Deusonem esse Doesburgum ad Isalam Gelricum oppidum, quod veteres & Dusburgum nominarunt. Gelricorum Annalium scriptores a Druso, Caesaris Augusti privigno, qui quinquaginta castella per Rhenum direxit, conditum atque illius nomine appellatum fuisse scribunt, quae sententia omnium calculis hodie probatur. Multi existimant, litteram caninam ob soni asperitatem a Germanis elisam fuisse. Verum dent illi, qui ita sentiunt, ullum aliud nomen Romanum peregrinumve, in quo illa ab antiquioribus Germanis (Doesburgum simul Germanis accensitum fuit) extrita sit. Quid quod soni asperitas adamata affectataque a Germanis, virorumque nomina ad terrorem composita erant in ea gente. De Vercingentorige Arvernorum rege notat Florus lib. 3. cap. 10. nomen fuisse ad terrorem compositum. Nazarius in Panegyrico pag. 366. ubi de Germanis. *Bellicum strepunt, nomina & immanitas Barbariae in ipsis vocabulis adhibet horrorem.* Tu vide, an vox *adhibet* placeat. Isidor. Origin. lib. 19. cap. 2. Nazarium legit, atque ita secutus est, *quorum immanitas barbarie etiam in ipsis vocabulis horrorem quendam significat.* Ego pergo. Littera canina praecipue valebat ad terrorem, horroremque incutiendum. His adde, Drusi nomen non Romanum fuisse; sed Germanicum, aut Gallicum, quod primus Romanorum Livius habuit, induitque sibi ab hoste Germano aut Gallo occiso, certe res gesta in bello Gallico. vid. Sueton. in Tiber. cap. 3. *Livius Drusus, hostium Duce Drauso cominus trucidato, sibi posterisque suis nomen invenit*, quod nomen deinceps adoptione ad Claudios est translatum. Westphali adhuc Daemonem Drausum dicunt, a Druso Romano id deductum esse, & ad Westphalos rediisse, quod plerique jactant, non adfirmare ausim. Fuit Drausius Episcopus Suessionensis saeculo 7. cujus vitam legas in Actis Sanctorum Martii mensis die VII. Fuerunt & alii. Exstant hodie in Germania Drusini nominis oppida, quae nomen illibatum servant, Drusiburgum, Drusenheim. Equidem Doesburgum a *Does* nominatum puto. Hoc susurrum notat, sonos autem atque aquarum susurros, quibus antiqui maxime Romani delectabantur, Germani pro augurio habebant, unde

unde fontibus multis indita nomina. In Suburbano Arnhemienfium agro eſt *Klingelbeek.* De *Bulderborn* vid. Monument. Paderborn. pag. 241. a quo non diſcrepat nomen & cauſſa nominis *Bilderbeek.* Dioeceſeos Monaſterienſis is vicus eſt, qui Berkelii (amnis is Gelricus eſt, ſub Zutphaniae urbis moenibus Iſalam augens) fontes aperit. Quam ſententiam perſuadere non potui Jod. Herm. Nunningio, homini docto, diligentique antiquitatis patriae inveſtigatori. Maluit ille fidem habere oppidi inſignibus, quae tres rivos oſtentant, vide Monumenta illius Monaſterienſia, pag. 155. Mihi pleraque oppidorum & civitatum, nonnulla etiam hominum inſignia, inepta inficetorum ingeniorum, quae ſaeculo quarto decimo & quinto decimo fuerunt, commenta videntur. Hoc conſtat, aquarum confluentes eſſe ad Doesburgum. Eſt & Does aquae nomen ad Leidam, Hollandiae Urbem. Aqua illa arci nomen dedit, arx genti, quae antiquitate & nobilitate generis cum primariis certat, ingenii & doctrinae gloria antecellit. Eſt & *Doesburg* nomen loci paluſtris Velaviae. Eſt *Doesmond*, vici an oppidi nomen, ad Moſellam, a praeſtantiore vino commendati, vox ipſa amnis oſtium ſignificat. Sed redeo ad Doesburgum Iſalanum, cui a Deuſone fonte, rivo, an amne, nomen tributum diximus. Illi mox nomen Burgi acceſſit, quo nomine arces & horrea Germani ſignarunt. Illud inprimis eſt obſervandum, eo in loco, ubi nunc Doesburgum, id eſt, ad Iſalam, Saxonum (qui Deuſone in Francorum regione victi dicuntur ab Hieronymo & Caſſiodoro, ut ante oſtendi) & Francorum confinia fuiſſe. Audi Altfridum, Epiſcopum Monaſterienſem tertium. Is in vita Ludgeri primi Epiſcopi ita in §. 11. vid. Acta S. S. Bolland. Martii XXVI. *Dum talia gerebantur, venit quidam Presbyter Sanctus & doctus, nomine Liaſwinus, de terra Anglorum, ad Abbatem Gregorium, dicens, ſibi a Domino terribiliter trina admonitione fuiſſe praeceptum, ut in confinio Francorum, atque Saxonum, ſecus fluvium Iſla, plebi in doctrina prodeſſe deberet.* Et paullo poſt. *Fecerunt autem ei oratoriam in occidentali parte praefati fluminis, in loco, qui Huilpe vocatur.* Et mox §. 12. *Poſt haec etiam aedificarunt ei Eccleſiam, in littore orientali, ejusdem fluminis in loco, cujus vocabulum eſt Daventre. Huilpe, Daventre,* quae vernaculo noſtro ſermone, *Yſſel*, *Wilp*, *Deventer* appellantur, haud longe remota ſunt Doesburgo. *Iſla* autem proxima. Liaſwinus Lebuinus eſt, Wilpenſis & Daventrienſis Eccleſiae conditor. Ex iis, quae hactenus diſputavi, apparet, Deuſonem

nem Doesburgensem fuisse, & Herculem Deusoniensem, Deusone, sive Doesburgi, cultum. Urbem eam Tranrhenani limitis, qui castellis, & oppidis munitus erat, metropolim fuisse reor, & sedem Praesidis Ducisve, qui Tranrhenano limiti praesidebat, qua dignitate ante functus est Postumus, quam ad Imperium pervenit. Is limes iisdem operibus fuit tuendus, quibus limes Cisrhenanus, ut ex iis perspicimus, quae capite proximo disserui. Opera ea in tutela erant Herculis. Is, cum templum haberet in ea urbe, Deusoniensis fuit dictus. Et quia eam curam in se suscepit Postumus, propterea is Hercules Deusoniensis in nummo fuit nominatus. De ea Postumi cura nil Trebellius in Postumi vita, at vero, ubi de Lollio, ibi haec. *Nam*, inquit, *plerasque Galliae civitates, nonnulla etiam castra, quae Postumus per septem annos in solo Barbarico* (solum Transrhenani limitis designat) *quaeque interfecto Postumo subita irruptione Germanorum, & direpta fuerant, & incensa, in statum veterem reformavit.* Talia in eodem solo molitus ante fuerat Septimius Severus, ob id Hercules Dusensis in nummo dictus, quem equidem eundem puto Herculi Deusoniensi, modo non fallat Catalogus Snabeliani Thesauri, in quo pag. 44. num. 277. Septimii nummus recensetur numero XXXIII. hac epigraphe: HERCVLI DVSENSI: in ea simulacrum Herculis clavae innixus, manu arcum gestans. Septimius Severus, cum privatus, tum Imperator factus, res in Germania gessit. Spartianus in vita ejus cap. 4. *Post consulatum anno ferme fuit Romae otiosus: deinde Laeto suffragante, exercitui Germanico praeponitur.* Supersunt & lapides in Batavorum insula, Severo Imperatori positi. Inter nummos reperitur unus, inscripta legione prima Minervia, quae in Germania secunda, sive inferiore, castra habuit. Templum Deusoniensis Herculis insigni specie est, & forma Romana, multis columnis exsurgens. Quae res indicio est, splendidis aedificiis ornatum fuisse utrumque Rheni limitem. Limitis Transrhenani opera pleraque perierunt, diruta saepius, ut credo a Barbaris, in quorum solo exstructa erant. Diruta autem tum praecipue, cum ruptis Rheni limitibus, praesidiisque Romanis victis, captis, Barbari Gallias omnes, id est, Transalpinas provincias, occuparunt, occupatasque tenuerunt, nec ab ipsa Italia Imperii arce abstinuerunt, quod factum Arcadio atque Honorio imperantibus.

Quid acciderit paullo post necem Postumi (e medio autem sublatus est L. Aeliani opera) ex Vopisco cognosce. Adscribam ver-

ba Vopiſci, non Poſtumi tantum cauſſa, ſed & ut maculam ex iis turpem eximam. Ita ille in vita Probi cap. 13. & 14. *His geſtis cum ingenti exercitu Gallias petit, quae omnes, occiſo Poſtumo, turbatae fuerunt, interfecto Aureliano, a Germanis poſſeſſae. Tanta autem illic praelia feliciter geſſit, ut a Barbaris ſexaginta per Gallias nobiliſſimas receperit civitates. Praedam deinde omnem, qua illi, praeter divitias, etiam efferebantur ad gloriam. Et quum jam in ripa noſtra, imo per omnes Gallias ſecure vagarentur, caeſis prope quadringentis millibus, qui Romanorum occupaverant ſolum, reliquias ultra Nicrum fluvium & Albim removit. Tantum his praedae Barbaricae tulit, quantum ipſi Romanis abſtulerant contra, urbes Romanas, & caſtra, in ſolo Barbarico poſuit, atque illic milites collocavit. Agros & horrea & domos Transrhenanis omnibus fecit, iis videlicet, quos in excubiis collocavit.* Itane autem Probus hoſtes ultra Albim ſubmovit? univerſaque Germania Magna Germanos expulit? Albis enim multis ſcriptoribus Germaniae finis habitus. Sed quid Nicer ad Albim, qui fluvii tantum diſtant, quantum Germaniae fines. Variat veterum Codicum ſcriptura hoc loco, quorum alii Alvum, alii Album praeferunt, unde Albim notiſſimi fluvii nomen confinxerunt Caſaubonus, & Caſauboni caſtigator Salmaſius. Verum Almam ſcriptum fuiſſe puto, illumque fluvium ſignificari reor, quem poſterior aetas Almonam forte & Alemannum nominavit, Carolusque Magnus ducta foſſa Rhedoneſſo miſcuit, ut Danubium & Rhenum jungeret. vid. Aventini Annales Bojorum lib. 4. Verum ut Jo. Alex. Doderlini, doctiſſimi viri, Antiquitates Nordgavienſes ad me delatae ſunt, cognovi ex cap. 3. §. 15. Mart. Cruſium in Annalib. Suevic. lib. 5. p. 1. ante nos noſtra docuiſſe. Exponit in eo libro Doderlinus murum maximi operis, a Nicro amne usque ad Danubium ducti, quam equidem Transrhenani limitis partem fuiſſe exiſtimo.

C A-

CAPUT XI.

Postumus cur Hercules Erymanthinus dictus. Nummis lux data. Ninnus, sive Nannus, Rex Massiliae. Postumus cur Hercules Lybicus dictus. Quomodo Cerberum domuit. Canes magni & feroces in Gallia & Britannia. Gallia bufalos, Germania uros habuit. Quid Neptunus, Mercurius, Serapis in Nummis Postumi. Serapis cur Josephus habitus. Morbis medetur, atque inde etiam in Nummis aliorum Imperatorum. Contagio pestifera Postumi tempore. Laus Illustr. Tiardae ab Aylua.

Non autem Magusani tantum & Deusoniensis virtutes imitatus est Postumus & opera, sed & alia ejus facta retulit, nummisque prodidit. In iis Hercules Erymanthinus dicitur, quod aprum Erymanthio non inferiorem confecit, cujus copiam provinciae, quas tenuit, praestabant, praecipue Gallia, quare in nummis priscorum Galliae regum aper horrentibus setis & fulmineo dente metuendus. vid. Havercamp. ad Orosium pag. 388. De cujusmodi apro Claudianus de Laudibus Stilicon. lib. 3. v. 303.

Tu Gallica cingis
Lustra. Leontodame, Germanorumque paludes,
Eruis, & si quis defensus arundine Rheni
Vastus aper, nimio dentes curvaverat aevo.

Eum humeris portat Postumus, quod & Hercules fecisse creditur, nec aprum tantum, sed & leonem & cervam aeripedem, de apro Erymanthio Apollodorus in Biblioth. pag. 90. testatur, eum venatu captum, vinctumque Mycaenas fuisse asportatum. Taurum portat in Achate Wildii Gemm. 154. In nummo illo Havercampi Ninnus est, quem ego Nannum Massiliae regem fuisse arbitror, de quo Justinus lib. 43. cap. 4. inde in altera parte MA VR; id est, Massilia Urbs, de quo nummo suaviter nugantem adi Begerum in Thesauro Brandenburg. Tom. 1. pag. 311. Hercules Lybicus dicitur, quod hostem, Antheo non dissimilem, (Antheum autem humo sublatum brachiorumque nexu constrictum idem nummus exhibet) elisit. Alebant Transalpinae regiones, sed praecipue Germania, Gigantea statura homines, provocatores in pugnam. Gal-

li quidem ingenio hoc procaci Romanis Corvinos, & Torquatos dederunt. Quod autem Postumus immani corpore canem extinxit, inde Cerberum domuisse nummi docent. De Commodo Imperatore Lampridius in ej. vita cap. 8. *Appellatus est etiam Romanus Hercules, quod feras Lanuvii in amphitheatro occidisset.* Etiam in Postumi nummo Hercules Romanus est. Cerberos, id est, canes terribili ferocia, Gallia habebat, sed praecipue Britannia, nam & Britannicae canes cum tauris congrediebantur. Claudianus de laudibus Stiliconis lib. 3. eo in loco, ubi canes venatui idoneos enumerat.

Magnaque taurorum fracturae colla Britannae.

Galli, imo & Britanni, canes in praelium educebant. vid. Strabo lib. 4. pag. 199. Cerberus in nummis exstat, in quibus *Hercules invictus* & *Hercules immortalis.* De immortali tamen Herculis gloria, qua orcum superavit, atque e terris in astra translatus est, hunc nummum accipias, per me licebit. Est & nummus, in quo Hercules *invictus* taurum domans. Si verum taurum a Postumo interemtum credis, subministravit ei ex ferorum taurorum genere bufalos Gallia, Germania Uros praeterea vasto corpore, & multa ferocia. Omitto *Herculem Argivum*, *Paciferum.* Praetereo etiam alia Numina, in Postumi Nummis memorata, *Dianam Reducem* & *Luciferam. Pacem Aug. Providentiam Aug. Martem Victorem. Jovem Propugnatorem*, *Jovem Statorem*, *Jovem Victorem*, *Castorem.* In quibus nummis nihil est, quod quemquam moretur. Promtum etiam, quid Neptunus Redux, Mercurius Felix, & Serapis comes velint. Neptunus reditum Postumi ex Britanniis insulis arguit, caeteri navigationem, negotiationum felicitatem, ubertatemque rerum omnium, ac maxime frumenti ostentant. Quare & in nummis *Ubertas Aug.* & *Saeculum frugerum.* Serapis namque modium capite gestat, copiae frumentariae symbolum, quare nonnullis, certe Ruffino Historiar. lib. 2. cap. 23. nec non Julio Firmico de Erroribus Profan. Religion. pag. 18. visus fuit Josephus, Jacobi filius, abundantiae Aegyptiacae in maxima sterilitate auctor. Nec tamen erraverit forsitan is, qui Serapin Deum medicinam fecisse malo credat, quod ortum ex foedissima lue, de qua Eusebius in Chron. Orosius lib. 7. cap. 21. Zonaras lib. 12. cap. 21. & Michael Glycas part. 3. pag. 189. Ἐφ' οὗ (Οὐαλεριανοῦ) λιμὸς γέγονεν οἷος οὐ γέγονε πώποτε καὶ φθορὰ ἀνθρώπων ἄῤῥητος. ἀπὸ γὰρ τῆς γῆς καὶ τῆς θαλάσ-

σης ἄσμοι τινες ἀνήεσαν ἐκ ποταμῶν τε καὶ λιμνῶν τοσοῦτον φθοροποιοὶ ὡς νομίζειν, ἰχῶρας νεκρῶν εἶναι τὰς δρόσους. ἐφ' ᾧ καὶ οὐκ ἦν οἰκία ἐν ᾗ οὐκ ἦν τεθνηκὼς καὶ ἀπόζων. ἀναρίθμητος γὰρ τηνικαῦτα τῶν ἀνθρώπων ὁ ὄλεθρος. *Sub Imperio Valeriani tanta ſtrages exſtitit, quanta nunquam antea. Secutusque mortalium interitus, cujus diritas explicari verbis nequeat. Nam ex mari, fluminibus, atque ſtagnis vapores quidam exhalabant, adeo peſtilentes & lethales, ut ipſi rores nihil viderentur aliud, quam meri cadaverum ſucci ac humores. Itaque nulla domus erat, in qua non cadaver aliquod foeteret. Peribant enim innumerabiles:* Medicinam eandem ſpectant nummi duo, in quorum altero eſt Apollo Salutaris, in altero ſimulacrum Aeſculapii, hoc titulo: *Salus Aug.* Hujus copiam una cum aliis vetuſtatis memorandae nummis mihi fecit Vir Illuſtriſſimus Tiardus ab Aylua, non hoc tantum nomine mihi dicendus, ſed & ob inſignem in me meosque benevolentiam. Imo etiam ob praeclaram eruditionem, qua antiquam generis nobilitatem illuſtrat. Coeperat Decio regnante, quare & in illius nummo Serapis eſt, praeterea in nummo Commodi de morbo ſaeculi ejus peſtifero conſule Herodian. lib. 1. cap. 12.

CAPUT XII.

Quae forma fuerit Imperii Tyrannorum. Similis fuit Caeſarum. Tyrannis caeteris magnificentior Poſtumus. Sedem Imperii in Colonia Agrippinenſi conſtituit. Magna copia eſt Nummorum Poſtumi per Gallias. Singularis Nummus Smetii, ſed male deſcriptus. Nummi Tyrannorum in Britannia eruti. Joach. Meierus refellitur. Barba ſpiſſior plerorumque Imperatorum poſt Trajanum. Decem annos imperio praefuit Poſtumus, fallitque calculus Meieri. Triumphus Germanicus Poſtumi.

Reſtant pauca dicenda de forma Imperii, quod a Tyrannis eſt conſtitutum tempore Gallieni. Quanquam autem illi paucas regiones & provincias in ſua poteſtate tenebant, Imperatores tamen, Caeſares, & Auguſtos ſeſe jactabant. Poſtumus praeterea Pontificatum Maximum, Conſulatus plures, Tribunitiam poteſtatem, imo & Proconſulatus crepabat, Praeſides etiam conſtituit, qui illius nomine provinciis praeeſſent. Talem fuiſſe Tetrici Praeſidatum puto in Aquitania, de qua re dixi ad Trebell. Poll. cap. 7.

adde porro quae ante differui cap. 4. Consulatum etiam Tetricus gessit, qui inter successores Postumi postremus fuit, cujus generis honores absunt a reliquorum Imperatorum monumentis. Neque etiam in iis invenias *Restitutores orbis*, *Pacatores orbis*, quibus appellationibus Postumus solus Tyrannorum insignis, quod nullum erat Romanum Imperium, nisi a Galliis ipse Barbaros excluderet. Quia autem Urbe Roma carebat, Imperii Romani domicilio, sedem ipse Imperii sui Coloniam Agrippinensem delegit, ut supra docui, ornamentisque decoravit, quibus Roma excellebat. Primus similem Imperii formam commentus fuit Galba, cum, destituto Nerone, dominationem raperet. Suetonius in Galb. cap. 10. *Consalutatusque Imperator, Legatum se Senatus, ac populi Romani, professus est. Deinde, justitio indicto, e plebe quidem provinciae, legiones & auxilia conscripsit, super exercitum veterem, legionis unius, duarumque alarum & cohortium trium. Atque e primoribus, prudentia atque aetate praestantibus, velut instar Senatus, ad quos de majore re, quoties opus esset, referretur, instituit.* Praeerat autem Galba eo tempore Hispaniae Tarraconensi. Denique est hoc non praetereundum, miram esse copiam nummorum Postumi per terras nostras vicinasque regiones, in quibus Imperium ejus valuit. Eorum haud paucos ipse redemi, contra ii rari in remotioribus regionibus. Auctor est Marchantus in descriptione Flandriae, urnam ad Bolles elam, qui pagus est Castellaniae Casletan, effossam fuisse, repletam admodum duobus millibus nummorum Postumi. Memorant praeterea Memoriae Trivoltianae, sub intio hujus saeculi centum millia nummorum antiquorum eruta fuisse in Armorica regione, in quibus aliquot millia Postumi, de quibus Joachimus Meierus, Vir Clarissimus, in commentatiuncula de Nummo quodam aureo Postumi Tyranni. Quae commentatiuncula repetita est & denuo edita ab Anselmo Bandurio in Bibliotheca Nummaria, curata ab Jo. Alb. Fabricio Tom. 2. pag. 203. Unus Joannes Smetius in Antiq. Neomag. pag. 237. enumerat peculiares species Nummorum Postumi unam supra triginta, inventas potissimum ad unam urbem, Noviomagum dico, cujus solum abundat rebus antiqui usus ac praecipue Romani. In iis singularis est Nummus, numero quartus pag. 239. in quo COL. CL. COS. IIII. neque enim illum apud alios Nummorum editores repperi. Enodavi eum supra. Solus is est Nummus, quem Smetius sine expositione transmisit, credo, quod intellectum ejus non adse-

que-

quebatur. Id magis dicas, si scias, CL litteras eum interjecta nota disjunxisse, quae conjungendae fuerunt, ut Claudiam significarent. Camdenus in Britannia pag. 41. Tyrannorum Galliae, quorum Princeps Postumus, Nummos quotidie in Brittania erui, scribit, unde suspicatur, eos etiam in illa Insula rerum fuisse potitos, id quod & ante mihi pluribus indiciis est demonstratum. Extra regiones Transalpinas admodum rari illorum sunt nummi. Non libet mihi, aliorum errores, qui Postumi Nummos illustrarunt, persequi, non tempero tamen, quo minus reprehendam absonam hanc Cl. Meieri, de quo paullo ante dixi, sententiam, existimantis, ex promissa barba patriam Postumi Galliam argui, siquidem certum sit, & nobis alibi demonstratum, inde ab Hadriano Imperatore Romanos omnes, qui quidem justa aetate fuerunt, barbam aluisse. Quibus barba non minor, imo etiam prolixior fuit, quam Postumi, hi sunt, Marcus Philosophus, L. Verus, Pertinax, Didius Julianus, Septimius Severus, cujus bifida barba. Pupienus Maximus. Neque etiam levior fuit Tetrici barba, quem Romanum fuisse constat. Fallit praeterea ratio Meierum, opinatum, hoc modo dissensum inter Trebellium Pollionem, qui septem annos tribuit Imperio Postumi, Orosiumque atque Eutropium, qui decem dant, tolli posse, si dicamus, tres annos eum Galliae Praesidem fuisse & Transrhenani limitis ducem, eundem vero septem annos in Imperio exegisse. Nam ex Trib. Pot x. quam Nummi praeferunt, certum est, eum decem annos Imperium ac Principatum gessisse, ut ante docui. Mitto caetera. Hoc perspexisse mihi videor, ex plurimis Postumi Nummis paucos vidisse Meierum; atque inde lapsus. Inter nummos Postumi, quos mecum Illustriss. ab Aylua communicavit, unus erat, ob artem conspiciendus, qua Augustei aevi nummos aequiparare videbatur, in argento puro. Stat Imperator in curru triumphali, addito titulo P. M. T. P. COS. IIII. P. P. Triumphum eum de Germanis egit, quem in Consulatu tertio vicerat, cum gereret Tribuniciam potestatem v. in quo ob eandem Victoriam Germanicus Maximus est salutatus, teste lapide Fabretti, quem ob oculos posuimus cap. I. Et quia ostendimus, quamdiu regnavit Postumus, non alienum videbitur, hoc loco docere, quam diu duravit Imperium illud Postumianum, Imperium dico Tyrannorum Gallicanorum, quod instituit Postumus, finivit Tetricus. Non sollicite pono calculos, ut quo eorum quisque anno inierit, quo destituerit Imperium, expediam. Summatim dico, videri mihi, Tetri-

tri-

tricum dedidiſſe ſeſe & Imperium ſuum eo anno, quem deſignat Euſebius in Chronico, qui eſt annus Chriſti CCLXXII. qui fuit tertius annus Imperii ejus, ut docuimus ex Tribunicia ejus poteſtate. His adde decem annos Poſtumi, quos ſimiliter Tribunicia ejus poteſtas arguit. Tetricum tertium poteſtatem eam expleſſe non puto, puto tamen, decimum expletum fuiſſe a Poſtumo, ob vota vicennalia, quae fecit, ut ante monui ex nummo ejus. Qui inter Poſtumum & Tetricum medii fuerunt, Aelianus, Marius, Victorinus, iis annum unum aut ſeſqui annum tribuo. Fuit enim iis Imperium admodum breve, Mario quidem paucorum dierum, imo & Aeliano, ut puto. Omnium annos ſi conjunxeris, exibit ſumma annorum quatuordecim, aut admodum quindecim. Illorum primus ille eſt, quo captus eſt a Perſis Valerianus, qui annus Chriſti eſt CCLVIII. Qua calamitate egregii Imperatoris fortiſſimi Duces impulſi a filio degenere Gallieno, qui patrem negligebat, defecerunt, in quorum numero Poſtumus. Trebellium non moror, qui in de XXX. Tyrann. cap. I. ſignificat, Valeriano imperante eos defeciſſe, nam alibi is alia docebit, ut varius eſt & inconſtans.

CAPUT XIII.

Ara Herculis Maguſani in pago Weſtcappel Walachriae. In eo pago Mercurii ſimulacrum fregit Willebrordus. Lucus ibi Wodano ſacer, unde origo Eccleſiae. An Domburgenſis Eccleſia baptiſmalis. Anceps & periculoſa ratio aggeris Weſtcappellenſis. Cujuſque generis labores Hercules clava & arcu peregit. Quomodo rupes & ſcopulos diminuerit. Arae titulus extricatus. Manii Praenominis nota varia. Diomedis Grammatici locus emaculatus. Gentilium nominum terminatio eſt ius. Tertius cognomen unde. Batavorum cognomina quare a numero.

Dixi ante, me aras Herculis Maguſani exhibiturum, en fidem liberatam. Quam primo loco ſpectandam praebeo, ea inſerta eſt columnae Eccleſiae Weſtcappellenſis. Eſt Weſtcappella (Weſtcappel vernacule appellant) pagus Walachriae, quae Zelandorum inſula eſt. Nomen loco eſt a ſitu, nam quae cappella, id

id est aedicula, aut minor Ecclesia (eam enim capellam Christiani dixerunt) orientem adspicit, Oostcappel nominatur. Celebratur pagus Poetarum Batavicorum carminibus, quod in eo Wodani simulacrum comminuit Willebrordus, ut ex Anglia Walacriam appulit, ad praedicandum Frisiis Euangelium missus, quorum pars eo tempore Walacriam tenebat. Rymchronyk van Klaes Kolyn v. 388. Melis Stoke. Lucum istic Wodano consecratum fuisse puto, qualem Diis suis Frisii caeterique Germani dicabant, qui lucus originem dedit Westcappellensi Ecclesiae, quod soliti Christiani excitare sacella & templa in iis locis, in quibus luci steterunt, ne quid de loci sanctitate periret, atque ut novus cultus vetusta religione adjuvaretur. Utrum baptismalis Ecclesia Domburgensis fuerit, quae hinc illinc capellas habebat, quas dixi, aliis arbitrandum relinquo, quibus antiqua Walacriae ratio perspecta magis est, & praecipue Ecclesiarum in ea insula, a Willebrordo & Regibus Francicis constitutarum. Inventa illa Herculis Magusani ara in littore est anno MDXIV. unde ad proximum templum, quod Westcappellae erat, delata. Littus illud dunis, id est arenarum montibus, quibus Zelandorum Batavorumque littora natura circumdedit, destituitur, latusque nudum Oceano ostendit, ut ante dixi, nisi humana arte tegatur. Intelligimus ex ea re, dignum fuisse locum Herculis clava & arcu, quibus armis, ille μεγάλων ἐπιίστορα ἔργων, labores omnes peragebat, ausus etiam Oceano intentare sagittas, ut est in fabulis. Quemadmodum autem nocte Hercules moliatur & praeparet labores, quae diurno tempore operae humanae persequantur, docet Statius Sylvarum lib. 3. carm. 1. v. 125.

Hic pater ipse loci, positis, Tirynthius, armis,
Insudat, validaque solum deforme bipenni,
Cum grave nocturna coelum subtexitur umbra,
Ipse fodit. Dites Capreae, viridesque resultant
Taurubulae, & terris ingens redit aequoris Echo.
Non tam grande sonat, motis incudibus, Aetna,
Cum Brontes Steropesque ferit. Nec major ab antris
Lemniacis fragor est, ubi flammeus Aegida caelat
Mulciber, & castis exornat Pallada donis.
Decrescunt scopuli, & rosea sub luce reversi
Artifices mirantur opus.

Alii tamen Poetae aliam rationem finxerunt, prout ingenium & res dabant. Titulus arae hic eſt:

HERCVLI
MAGVSANO
M PRIMII·VIS
TERTIVS
V. S. L. M

Varie haec inſcriptio edita eſt ab iis, qui illam oculis non uſurparunt, ſed acceptam ab aliis retulerunt. Mihi licuit intueri eam in templo, cum & Eccleſiaſtes loci oſtendit mihi donoque dedit chartam, quam adplicuerat lapidi, calamo atque atramento ſollicite perſecutus ſulcos litterarum. Volui dare imaginem chartae illius in aes inciſae, ſed quia forma libri hujus parum apta eſt, opportuniori loco eam reſervo. De vera lectione diſputent alii, qui tradita ab aliis memorarunt, ipſe quid viderim, oculorum autem praecipua fides eſt, expono. Litterae in ara conſpicuae omnes ſunt, nec quidquam ſcabri habent. M littera prima verſus tertii, adjectam columnae poſteriori lineam, in falcis ſpeciem nonnihil inflectit. Manii praenomen ſignificari puto, de quo Diomedes de Oratione lib. 2. pag. 419. Edit. Putſch. M *nota praenominis cum ſola ſcripta Marcum ſignificat, & adjecta ad extremam lineam virgula, Mallium.* Sed legendum *Manium*, neque enim *Mallii* praenomen Romae notum fuit. Aldus Manutius in Epitome Orthographiae demonſtrat notas omnes, ſive virgulas, M litterae adjectas, ad ſignificandum Manii praenomen, nulla autem titulo Weſtcappellenſi, qui prae manu eſt, aptior, quam illa, quae poſtremo loco ponitur, deſcripta ex Marmore, quod Romae inventum ad Divi Joannis Lateranenſis, in hoſpitio publico. Quod gentis nomen Manio Tertio fuerit, fateor me ignorare, nec ex lapide me illud adſequi poſſe. Gentile id nomen eſt, certe gentilis nominis loco poſitum, nomina autem gentilia in ius deſinunt, etiam tum cum e barbaris nominibus formata ſunt, ut Jucgumattius, Ingonius, de quibus monui alibi. Quare dicendum, quadratarii eſſe eum errorem, ſive illud Primitius fuerit, ſive Primillus, aut aliud ex litteris affinibus compoſitum. Poſſis & ſcriptum opinari Primi filius. Sed deſino conjicere, dum divinandi locus non eſt. Littera ſeptima & octava aliquid inſueti habet. Inſuetas autem, & litteras contortas mihi

mihi deprendisse videor nonnunquam in nominibus barbaris, quae Romanum sonum non adsequuntur, nusquam tamen in terminatione, quae omnium nominum Romana est, id repperi. Quod attinet ad Tertii cognomen, fuit aetas, cum Romae illud nascendi ordinem ostenderet: eundem in hoc lapide significari, non ausim adfirmare. Frequentius in Batavorum lapidibus, quam in Romanorum cognomina a numero adscita reperi, ut alibi docui. An, quia Batavi numerosiore sobole magis gaudebant, ordinem cujusque nomine signarunt? De Germanis, in quorum numero Batavi, si originem spectas, Tacitus de Morib. German. cap. 19. *Numerum liberorum finire, aut quemquam ex agnatis necare, flagitium habetur.* Contra Romani ex arbitrio, aut fortunae conditione numerum natorum terminarunt diu. Versus ultimus solennem ararum formulam habet, qua votum solutum libens meritoque docetur. Quo tempore facta ara ignotum, neque enim temporis indicium ea praefert.

CAPUT XIV.

Ara altera Herculis Magusani in Batavorum insula reperta. Visitur nunc Bruxellis. C. et G. litterae commutatae. Ulpii nomen ab Ulpio Trajano. Lupionis cognomen unde. Strabonis error de Lupiae amnis exitu. C & ch saepe mista, nonnullis etiam vocibus detracta. Fragmentum lapidis Noviomagensis refectum. Lupio est vox diminutiva, ut Pollio, Gallio, Caesario, Felicio, Luscio &c. Batavi multi cives Romani fuerunt ante Caracallae Constitutionem. Haeva, id est ἥβη. Ae & H Graecorum commutatio, nec non β & υ. Hebes rarae sunt arae, Hebe Dea Juventa & Juventas dicta.

Ara secunda, Herculi Magusano sacrata, est haec:

HERCVLI MA
CVSANO ET
HAEVÆ.VLP
LVPIO ET VL
PIA AMMAVA
PRO NATIS
V. S. L. M.

Nonnulla dixi de ea in Differtat. de Brittenb. pag. 90. & 147. hodie Bruxellis visitur in Collegio Patrum Jesuitarum. Sed in Gelria erutum fuisse lapidem docet Menso Altingius in Notitia Germaniae Inferioris part. 1. pag. 31. ubi scribit, ejus copiam sibi factam a V. C. Joanne Georgio Graevio. Magnus numerus est eorum, qui hujus tituli meminerunt, descriptumque prodiderunt, quorum nomina nil attinet recensere, aut errores retexere. Illud dicam duntaxat, me multis negotium dedisse, qui Bruxellis consistunt, aut eo proficiscebantur, inter quos nonnulli sunt litterarum adprime studiosi, ut emendatiorem darent in tabula titulum, in qua diversam omnium scripturam, quae usque adhuc prodita est, diligenter annotaram. Rescriptus autem ille est eo, quem exhibui modo. Macusanus dicitur, qui Magusanus in Westcappellensi monumento appellatur. C & G in Latinis cognatae sunt litterae, atque inde dubia horum nominum scriptura *Cajus*, *Gajus*, atque innumera alia, quae doctiorum nullus ignorat. Latium namque Graecorum kappa expulit a suo sermone, si a paucis vocabulis discedas, atque in ejus locum C & G recepit. Ulpii Lupionis & Ulpiae Ammavae nomen ab Ulpio Trajano est. Is olim Germaniae praefuit Legatus Caesaris, multos civitate Romana donavit, in quibus nonnulli Batavi, ut demonstrabimus aliquando. Ipse tamen Ulpius Lupio, & Ulpia Ammava, quae conjuges fuisse videntur, ab eo Principe civitatem consecuti fuerint, an parentes eorum, difficile demonstratu est. Nec paret, Lupionis & Ammavae Romana cognomina, an a natione Germanica sint. Si a natione, Lupio erit ad Lupiam vel Luppiam amnem natus, quem amnem Strabo insigni errore, a multis tamen castigato, abreptus in Oceanum duxit, cum sub moenibus Vesaliae Rhenum ingreditur. Ammava sic domo Chamava erit, cujusmodi Germanica nomina additis detractisque litteris exarantur, nihilque mutabilius, quam h & c litterae: nihilque frequentius, quam litterarum l & m geminatio. Auci, Cauci, Chauci, ejusdem gentis nomina sunt. Ludovicus, Hludovicus, Clodoveus non discrepant, nisi dialecto. Attuarii dicuntur Vellejo lib. 2. cap. 1. & Ammiano Marcellino, qui Cattuarii & Chassuarii aliis nominantur, vid. Cluver. de German. antiq. lib. 3. cap. 15. Quanquam autem Barbara Ulpia, conjugio tamen & indulgentia Principis eam Romanam fuisse factam credibile est. Exstitit olim istiusmodi indulgentiae tabula Noviomagi, nunc ἀπογραφὴ est in Smetii Antiquit. Neomag. pag. 90.

QVE

QVE EORVM
IM VXORIBVS
QVAS POSTEA
NGVLAS

Truncatam mutilatamque hanc tabulam missionis supplere licebit ex hac tabula Gorii, quam habet Inscript. Etrur. Tom. I. pag. 247.

Ipsis liberis QVE EORVM
Et connubium CVM VXORIBVS
Quas tunc habuissent cum est
Civitas iis data aut si qui caelibes
Essent cum iis QVAS POSTEA
Duxissent duntaxat singuli SiNGVLAS

Similes tabulas dedit Spon. in Miscellan. Antiquit. pag. 244. & Muratorius CCCVI. & CCCVII. Possis & Lupionem accipere diminutivum vocis Lupus, sic a Paullus est Pollus & Pollio, Gallio, Caesario, Hilario, denique Aprio, Asellio, Ursio, Aristio, Primio, Quinctio, Vitalio, quorum alii in marmoribus obvii, alii Scriptoribus antiquis memorantur. Felicio est Senec. Epist. 12. Luscio Sueton. in Domitian. cap. 1. Lucio Petron. cap. 60. quod frustra sollicitant nonnulli. Valerius Lupio Gruterus DCCCIII. 4. Adde praeterea Epistolam meam ad Dorvillium, insertam Miscell. Observ. anni 1742. Lupi cognomen non admodum infrequens fuit Romae. Batavus ille, an Romanus domo fuerit, parvi refert scire. Civem Romanum fuisse ex nominibus Romanis ejus cognoscimus, de quo indicio alias plura proferemus. Hoc nunc addo, omnes Batavos non tantum inde ab Antonini Caracallae Principatu, qui universos Imperii Romani incolas civitate donavit, sed & ante ejus Imperium, perquam multos cives Romanos fuisse. Solverunt votum Herculi & Haevae, id est Hebae, pro natis conjuges, nempe Diis conjugibus. Conjux Herculis, quam is inter Deos habuit, Graecis Ἥβη est dicta. Eam auctor arae Herculeae Haevam Latine nominavit. Haud vero ἡ Graecorum, imo & Latinorum diphthongo ae scriptum reperias; nec infrequentior est Litterarum u & b commutatio. Rarae sunt Hebae arae, sed multae Herculis in iis monumentis, quae ad nostram memoriam sunt pro-

prodita. Docet tamen Pausanias in Atticis cap. 19. templum Herculis cynosarges fuisse, in quo Herculis & Hebae arae. Iis pro natis fecerunt Conjuges Lupio & Ammava, ut filiis daret fortitudinem Hercules, iisdem nec non filiabus membra decora Juventae. Quam Graeci Ἥβην eam Latini Juventam, Juventatem, & Juventutem nominabant. Opportune Festus: *Juventutis sacra pro juvenibus sunt instituta.* Juventutis an Juventuti legere malim, necdum constitui. De Postumo puerorum tutore dixi cap. 9.

CAPUT XV.

Ara tertia Herculis Magusani in agro Silvaeducensi reperta. Nomina Barbara varie exarata a Romanis. Sacru pro Sacrum: Flavs pro Flavus. Forte legendum Flavius. Fuerunt, qui U litteram geminari noluerunt. Primores Batavorum jam ante imperium Claudii cives Romani fuerunt. Civitas, id est respublica. Batavi ultra Vabalim habitarunt. Interpres quis in lapide Silvaeducensi.

Tertius lapis, Herculi Magusano dicatus, est memoriae proditus a Gisberto Cupero in Monumentis Antiquis, quae Harpocrati subdidit, pag. 218.

ACSVSA
NO. HERCVLI
SACRV. FLAVS
VIHTIRMATIS FIL
S MMVS MAGISTRA
IVITATIS BATAVOR
V. S. L. M

De loco inventae hujus arae hoc Cuperus. In agro Sylvaducensi, inquit, exiguus pagus est, cui nomen Rummel, qui ante annos aliquot nobis dedit C. Januarinum Sextum Interpretem, ut docui in Inscriptionibus antiquis, quas una cum Apotheosi Homeri vulgavi. Titulus, exoletis nonnullis litteris, mutilus est, sed quae desunt nullo negotio reparantur hoc modo: Macsusano Herculi Sacrum Fla-

Flavus Vihtirmatis filius, summus Magistratus civitatis Batavorum, votum solvit lubens merito: hactenus Illustr. Cuperus. Macsusano pro Macusano & Magusano scriptum fuit. Non uno enim modo scribebantur a Latinis nomina barbara. Nec tamen Latinus homo fuit, qui hunc titulum scripsit, sed ipse Flavus Batavus, immo vero summus Batavorum Magistratus. Quod ergo discrepat in hac voce, id dialecto tribuendum. Sacru pro Sacrum, Flavs pro Flavus consuetudo nonnullis praecepit. Dixi plura de iis alias, qui in fine vocabuli detrahebant. Fuerunt etiam, qui U non geminandum esse voluerunt. Aeditus, id est Aedituus, Monum. Papenbr. pag. 17. inde & Bataus & Badaus, id est Batavus, Fabrettus Inscr. cap. cap 5. n. 77. atque ita propinqus, n. 211. & aunculus, n. 273. Cupero in commentariis suis ad lapidem nusquam Flavus, sed indentidem Flavius nominatur, unde suspicio est, hoc nominis in ipso titulo inventum fuisse. Dicerem praeterea, Batavum hunc a Flavio Vespasiano meritum fuisse civitatem Romanam, nisi Flavii inter Germanos ante Vespasianos Imperatores fuissent. Certe Arminii frater, quod & Cupero observatum, Flavius fuit appellatus, vid. Tacit. Annal. lib. 2. cap. 9. Patris barbarum nomen solum memoratur, quanquam credibile est, habuisse Romana nomina, quod viri principes Batavorum, haud aliter ac Primores Gallorum Transalpinorum pridem ante Claudii imperium, vid. Tacit. Annal. lib. 11. cap. 23. civitatem Romanam adepti videntur. Memoratur autem solum nomen barbarum patris ex more, quem alias exposui. Flavius se summum Magistratum dicit, nec tamen proprium Magistratus illius nomen addit, credo, quia is Romanae linguae non conveniebat. Quo jure fuerint illi Batavorum Magistratus, abunde traditum ab iis, qui mores Batavorum Germanorumque exposuerunt. Civitatem Batavorum rempublicam dicit, atque ita in uno lapide civitates memorantur Senonum, Tricassinorum, Meliorum, Parisiorum, Heduorum. Gruter. CCCLXXI. 8. Batavorum illa civitas, utrum insula contineretur, quam Rhenus & Vahalis suo divortio clausit, dubitari possit. Hoc constat, Sylvas Ducum, in cujus Urbis agro consecrata fuit ara, abesse ab illa interamnensi regione, sitam prope ripam sinistram Mosae. Dicendum ergo, aut prolatos eo Batavorum fines fuisse, aut Batavorum summum Magistratum in aliena terra suo Deo aram posuisse. Scio, id saepius factitatum, nam & Nehalenniae, quod Walacriae proprium numen erat, ara posita fuit ad castrum Divitense. Vero tamen propius esse existimo, paullatim latius habitasse Batavos,

Va-

Vahalimque non tantum, ſed & Moſam fuiſſe transgreſſos, invitante agrorum copia, quos, victis Eburonum Regibus Ambiorige & Cativulco, vacuos fecerat Caeſar, cum, evocatis ad ſpem praedae Romanis Transrhenanis, id egit Caeſar, ut ſtirps ac nomen civitatis Eburonum exſtinguueretur. vid. Caeſar. Bell. Gall. lib. 6. cap. 34. Ambitioſius forte videbitur quam convenit Magiſtratui ſummo Batavorum, ſi dixero, ſedem Magiſtratus ejus ibi fuiſſe, quod ibi locus oſtenditur, in quo interpres ejus fuerit tumulatus. Titulus hic eſt.

C. INVARINVS
SEXTVS
INTERPRES
VIVOS SIBI
FECIT

Hoc modo ſcriptus ad me mittebatur lapis, quem aliter exhibuit Cuperus in Conſecrat. Hom. pag. 271. Verum longa eſt de finibus Batavorum diſputatio, quos ſubinde mutatos puto, quare eam nec non de Januarino interprete diſſertationem in locum commodiorem differo.

CAPUT XVI.

Simulacrum Herculis Maguſani. Jocularis ejus imago ab aliis exhibita, & jocularis error Gargonii. Conflatum illud Herculis monſtrum eſt a pictore Romeyn de Hoog. Vera Herculis Maguſani imago eſt in lapidibus Domburgenſibus, eſt & in Saxo Domburgi. Quo tempore ſimulacra Domburgenſia a Chriſtianis corrupta & fracta. Chriſtiani imagines Deorum eadem poena affecerunt, qua homines. Inde nares iis reciſae in Aſia, caput truncatum in Imperio Occidentali. Batavi novi Chriſtiani crucem in ſcuto geſtabant. Zelandi & Caninefates Batavorum Reip. accenſiti. Maguſanus Hercules cur Freier vel Freger dictus. Germani freyen & freigen. Freieri ſeptentrionalium Dei & Herculis comparatio. Frejus, Frea, Friga, qualia Numina. Vryer & Vryſter cur a liberando dicti. Templum Herculis Maguſani ubi ſitum. Fr. Mie-

Mieris notatus. Sive id est &. Catalogus bonorum Trajectensis Ecclesiae illustratus.

Restat spectandum Herculis Magusani simulacrum. Alia illud forma in nummis, alia in libris exhibetur. In nummis est consueto habitu ornatuque, in pelle leonis, dextra clavam, sinistra arcum tenet. In lapide, si credimus, nescio quid veli portat, quod a capite inde per tergum sinistrumque lacertum diffusum, brachio dextro delphinum complectitur, laevo truncum bicipitem aut bifurcum tenet. Piget referre caetera, quae quisque intueri malit, ut rideat, quam magno verborum ambitu cognoscere. Cum primum spectarem illum Herculem in Matthaei Gargonii Walchersche Arcadia I. Deel. bladz. 201. multa mihi cernere videbar abhorrentia ab ipsa ratione, & rerum natura, & tamen piaculum existimavi, dubitare temere de fide Theologi probi non tantum, sed & hominis docti, & testis oculati, qui ob loci vicinitatem, Vlissingæ namque vixit Gargonius, Domburgum adire potuit, ubi antiqua numinum simulacra in templo Ecclesiae adeuntibus spectanda exhibentur, sed & ipsius libri argumentum, cui nomen Arcadiae fecit, cum sit iter per Walchriam, ostendit, eum spectasse, quae de monumentis Domburgensibus aliisque refert. Res haec diu animum suspensum atque ambiguum habuit, quoad tandem ipse in Zelandiam profectus, cum omnes aras, omnia simulacra, quicquid denique rerum vetustarum insula Walacria tota habet, & maxime Domburgum, studiose lustrarem, nuspiam autem eam Herculis formam reperirem, de dolo aut errore insigni cogitare coepi. Nec difficulter mox erroris fontem repperi. Vidit Gargonius Servatii Gallaei dissertationem de Deo Hercule Magusano & de Dea Nehalennia, in litterore maris Zelandici effossis, quam dissertationem is Gallaeus inseruit Dissertationibus de Sibyllis cap. 29. pag. 649. In tabula picta, praefixa illi capiti Deae Nehalenniae, Neptuni & Herculis Magusani imagines exhibet Pictor, qui ni fallor, Romanus de Hooghe fuit. Et ne de Hercule dubites, prudenter is hunc titulum Herculi subdidit: HERCULES MAGUSANUS Caetera, quae picturae praeter illas imagines addita vides, ex ingenio hominis conficta sunt, rati haud dubie, eam sibi fingendi libertatem datam, quam pictoribus semper fuisse Horatius scribit, & cum eo animo esset pictor ille, ut, quod idem Horatius, rem prodigialiter ornare cuperet, Delphinum Herculi apposuit, a quo sane non alienus

 magis

magis ille piscis, quam a silvis, aut fluctibus aper: Quanquam dubitare quis possit, ex suo ingenio id commentum esse pictorem, exstat enim similis Neptuni pictura in lapide Domburgensi sexto eorum, qui editi sunt in eo volumine, cui nomen Afbeeldinge van de Overoude Kariteyten aen de Strandt ontrent Domburgh in den Eylande van Walcheren by Dyck-Grave ende Gesworens van de vyf Ambachten op het opneemen van de helmpootinge gevonden den 15. Januari 1747. Omnia respondent praeter furcam & titulum subscriptum, neque vas ad pedem dextrum, aut animal ad sinistrum est. Aediculae etiam forma convenit. Hanc imaginem qui intuentur, quamvis non sit fabularum rerumque antiquarum peritissimus, non ambiget, sat scio, eam Neptuni dicere, idque verius opinabitur, si Neptuni imagines reliquas, quae in Domburgensibus lapidibus complures exstant, cum ea comparet. Tabulam illam Romani de Hooge, quae Gallaei Dissertationi praefixa est, conspectam fuisse Gargonio ex his ejus verbis conjicio, pag. 190. Ik heb anders Hercules Magusanus wel verbeeld gesien met eene schaer aenbidders voor syne voeten. Cernere namque licet in eadem tabula, & nusquam alias, cultores vultu devoto humi stratos. A Gargonio suscepit errorem Jo. Georgius Keyslerus, qui eandem Herculis picturam dedit in Antiquit. Septentr. pag. 198. vir litterarum antiquarum peritissimus. Et cum is Latine scripsit, (Belgice autem scripsit Gargonius) inde ad plurimos manavit, quorum duos tantum nominabo, Martinium egregie eruditum, & Montfauconium, eruditorum saeculi nostri principem. Joculare est cognoscere, si tamen in stomacho jocus, contentionem eorum de insuetis Herculi manubiis, & comite ejus monstro, quale nusquam natura creavit: & quibus paullatim accessionibus errores aucti fuerunt. Hoc Keyslerus addidit, formam Herculis illius in Westcappellensi monumento, cujus ante inscriptionem dedimus, spectari, quod alienissimum a vero. Veras Herculis Magusani imagines habent Nehalenniae arae, quarum nonnullae hinc Neptunum, illinc Herculem ostentant. Spectavi praeterea Domburgi simulacrum ejus ex saxo, quod vulgatum non memini, sed truncum brachiis: quod haud dudum ex arenis littoris erutum est. Caput nudum est, defluentibus per humeros leonis exuviis. Animadverti, cum diligentius intuerer, mallei aut securis ictus in fronte ejus Herculis, quos cum caput non sequeretur, est enim dura & obstina cervice is Deus, crura ejus fregerunt, & brachium utrumque. Crura, quia

in

in loco proximo inventa, nunc ei reddita reperies. Vulnera inflicta credo a Chriſtianis, Conſtantini Magni aut Theodoſii tempore, quo templa Deorum diruta, ſimulacra rupta ſunt. In Oriente nares ſimulacris reciſas novimus, quod ea ibi poena valuit, quae & Imperatorem ῥινότμητον dedit. Conſueverunt autem Deos, quos criminoſiſſimos dicit Tertullianus in Apologet. cap. 11. eadem poena qua homines ſceleratos afficere. Conſtantini vero & Theodoſii aetate frequentiſſima erat decollatio, quae & cauſſa eſt, cur ſimulacra omnia, ſive Deorum ſtatuae, quae Domburgi ſpectantur, ſine capite ſint. Viſuntur autem ibi conſpicienda forma & arte Nehaleniae non tantum ſtatuae, ſed & aliorum Numinum, in quibus magnitudine & decore eminet Victoria alata. Inter novos Chriſtianos, qui per id tempus fuerunt, jactantiores dicas fuiſſe Batavos, in quorum nomen Zelandicarum Inſularum incolas, nec non Caninefates tranſiiſſe puto. Quae & cauſſa eſt, cur crucem, ſignum illud ſalutare & Chriſtianae ſectae notam, in ſcuto geſtarint. Scutum ejusmodi inter militaria gentium inſignia exhibet Notitia utriusque Imperii. De quo Batavorum ſcuto ita Guido Panzirolus, qui id in codice vetuſtiſſimo adſpexit, in commentariis pag. 27. *In parma coerulea*, inquit, *globum rubrum gerunt, pedamentum ejusdem coloris conjunctum, quem coeruleus limbus denſis orbiculis circumdatus complectitur. In umbone luteus globulus acutam cuſpidem emittit, ut manuſcripti clarius oſtendunt. Supra duplex dimidia & lutea luna, cornibus ſurſum verſis crucem lutei coloris amplectitur. Orientis Occidentisque Imperium crucis ope, inſtar lunae in plenum orbem, qui dimidius videtur, compleri inſinuat.* Similis crux in Martiariorum Juniorum parma. Eandem crucem praeferunt, ſed geminatam, Braccati Juniores, quos ordine juncto exhibet eadem Notitia pag. 20. verſa. Martiarios Panzirollus ex gente Cattorum fuiſſe opinatur, cujus gentis progenies Batavi fuerunt. Silentio praeterii Freieri nomen, quod Maguſano praemittitur in Catalogo bonorum S. Martini Trajectenſis Eccleſiae, in quo *Freijer Mabuſenheim.* Praeterii autem non voluntate ductus, ſed oblivione deceptus. Heda habet *Freger Mabuſenhem* in Hiſtoria Epiſcop. Ultraj. pag. 65. quem ſequitur Boxhornius in Theatr. Holland. pag. 33. Fr. Mieris in het Groot-Charter-boeck van Holland I. Deel. blads. 17. ex MS. Bockenbergii edidit Fregri Mahuſenham, ut ante monui. Sed Freierum ſignificari non dubito. Vox eſt a *vryen*, Germani *freyen* dicunt, nonnulli eorum *freygen*, unde *Freygman*

ſeu *Freyghman:* vid. Nunning. de Jure Curiali Litonico (quem libellum nuper edidit Cl. Strodtman) in eo loco, ubi Affſchrift der Gerechtigheit des Haves tho Lohn. art. 61. Item nach eines gerechten ordels gefraget offt ein Freygman/ offt ein Denſtman ſete op einen Hoffhorigen guede. Item Vredenſche Hoffrolle pag. 86. ejusdem libelli. Item offte dair een Hoves perſohne wehre/ und hadde ſich gehillickt ein vrig offte eigen guedt. ubi vrig pro vry. adde Beſoldum in Theſaur. pract. in voce *Freye Francken.* Quocirca Deo illi *Freyer* eundem eſſe autumo *Freyum*, quod apud Germanos proprium eſt Herculis nomen. Atque adeo, quem Latini Herculem tutorem, conſervatorem nuncupant, Graeci Ἀλεξίκακον, eum Batavi Germanique omnes *Freier Maguſan* appellarunt. Freierum Deum beneficum dicit Edda, quae Septentrionalium populorum mythologia eſt, cap. 22. Ei vota nuncupabantur pro annona & pace, per eum jurabant, ei verre faciebant, non nulli eum ſolem putabant. Omnia haec conveniunt Herculi. Arctois gentibus jurisjurandi formula fuit *Hiulpimiar Freyer*, id eſt, juvet me Freyer; Romanis Hercle, Mehercle & Medius fidius. De verre Herculi litato vid. Phaedrus lib. 5. fab. 4. Is Deus Romae atque in Graecia nonnullis ſol viſus, vid. Macrobius lib. 1. cap. 20. Scio, Freium & Freierum diſtingui a Keyſlero in Diſſertatione de Cultu Solis Freji & Othini, quam M. Joannes Jarkius ſubjunxit ſuae Eliae Schedii de Diis Germanis editioni pag. 769. Iidem tamen ſaepiſſime miſcentur. Ipſe etiam Keyſlerus in eodem libello eos miſcuiſſe videtur. Videntur autem mihi non tantum Frejus & Freier, ſed & Frea, Friga, & quidquid eo nomine Deorum eſt, a *freyen* ſive *vryen*, id eſt, liberare, eſſe appellati, quod Germani libertate nihil antiquius, nihil carius habuerunt: Freyer ergo & Freiger liberator erit, quo nomine digniſſimus Hercules, Tyrannorum interfector, libertatis vindex & adſertor. Haud aliter *Vryer* & *Vryſter*, ſive *Vrydſter*, dicuntur Sponſus & Sponſa, quod inito matrimonio ille Sponſam, haec Sponſum liberat patria poteſtate, priſco Germanorum jure, de quo Chriſtoph. Beſoldus in Theſaur. Practic. voce *Freyen.* Ob eandem cauſſam Freia in eadem gente dicta, quae Romanis Venus dicebatur, amoris & matrimonii conciliatrix. Freyr Kongur, id eſt Freyr Rex, eſt in carmine vetuſto Regneri Lodbrogi Danorum Regis, quod ex Olao Wormio deſcripſit Lambertus ten Cate in de Aenleidinge tot de kenniſſe der Nederduitſche ſpraeſt. I. Deel. pag. 88. Situs templi Herculis Macuſani ex proximis vicis lo-

cis.

cisque perspicue cognoscitur, ut demonstravi. cap. 10. Hoc nunc addendum, Mierisium, qui de situ vici Ryswich addubitat, quem nos Gelriae vindicavimus, in Catalogo Bonorum Ecclesiae Trajectinae, vocem *sive*, in verbis *sive quod dicitur Rec*, interpretari *ofte*, id quod nolim. Nam *Rec* aut *Lec* (ambigua enim scriptura est) diversum est a Mahusenhemo. Significat ergo *sive* hoc loco &, qui medii aevi usus est. Unde in eodem Catalogo est *pascuis seu piscationibus*, quae in fine dicuntur *pascuis aquis & piscationibus.* Imo non medii, sed superioris aevi est monumentum, in quo *Regi sive*, id est & *Fortunae*. Dixi nonnihil in Miscellan. Observat. novis anni 1742. pag. 216.

C A P U T XVII.

Hercules Saxanus & Oginius. Hagenbuchii libellus de Hercule Saxano. Hic Hercules adjuvat laborantes in lapidicinis. Titulus arae hujus Herculis expositus. Tibure fanum Herculis & Cataractae. Ara altera ejus Herculis. Varii errores describentium notati. Ara tertia Herculis Saxani illustrata. 7 Nota ab imperitis omissa. Christ. Saxii laus. Ad Antunnacum plures Herculis Saxani arae inventae. Ara quarta ei consecrata ibidem. Etque pro atque. Ara ejusdem quinta explanata. Legio 1. Minervia. Menerva pro Minerva. Sub cura quid. Oginius Hercules Gallorum Massiliensium inventum. A Luciano descriptus. Rhetores multi in Gallia ut & Scholae. Massilienses cultum disciplinae Graecae per Gallias sparserunt. Scholae Latinae per Galliam. Oginius vox origine Graeca. Idem δημαγωγὸς & μυσταγωγὸς. Luciani error. Vestigia Herculis per Gallias. Castra Herculis in Batavis ubi. Fuerunt & alia oppida Herculis nomine dicta in Gallia.

Praeter Herculem Magusanum & Deusoniensem in Gallia cultus est Hercules Saxanus & Oginius. Quanquam autem illi nihil ad Postumum, quia tamen diversae de iis feruntur doctorum hominum opiniones, nonnullis non injucundum fuerit, de illis meam sententiam percepisse. Opiniones illorum fere collegit Keysler. in Antiquit. Selectis. pag. 38. & 190. De Hercule Saxano peculiarem librum scripsit, majore conatu quam eruditione, H. von Hagen-

buch. Tu autem cave Saxanum Herculem Gallis aut Germanis numen proprium fuiſſe cenſeas. Scripſi olim epiſtolam ad Celeberrimum virum Bern. Sebaſt. Cremerum, ut Herculi Thebano nomina & opera vindicarem, quae ille ad Simſonem tranſtulit. Inſeruit ille epiſtolam meam Naziraeo ſuo & Simſoni Litterali. Quae de Hercule Saxano docui, expoſita videbis pag. 273. Quibus addo cum maxime, verius mihi Herculem Saxanum Deum communem fuiſſe omnibus iis, qui in lautumiis operabantur. Soliti ergo ſaxa caedentes Saxani Herculis opem implorare, & votis poſcere. Labor ille durus fuit, quare pro ſupplicio impoſitus condemnatis. Herculis Saxani illud munus ſive officium non tantum ex voce arguas, ſed etiam ex locis, in quibus Herculis illius arae inventae. Dabo aras omnes, quarum duae ab aliis vulgatae non ſunt, aliae admodum corrupte ſunt traditae. Hanc Gruterus a Smetio accepit prodiditque Theſauro Inſcr. XLIX. 3.

HERCVLI SAXANO SACRVM
SER. SVLPICIVS TROPHIMVS
AEDEM ZOTHECAM CVLINAM
PECVNIA SVA A SOLO RESTITVIT
IDEMQVE DEDICAVIT K DECEMBR
L. TVRPILIO DEXTRO M MAECIO RVFO COS
... VTACHICVS SER. PERAGENDVM CVRAVIT

L. Turpilius Dexter & M. Maecius Rufus conſules fuerunt anno inde a nato Chriſto CCXXV. Steph. Vin. Pighius in Hercul. Prodic. pag. 394. in verſu ultimo tituli habet verius EVTYCHVS. De Hercule Tiburtino Tiburtiniſque lautumiis haec Strabo lib. 5. pag. 238. Τίβυρα μὲν ἣ τὸ Ηράκλειον, καὶ ὁ καταράκτης, ὃν ποιεῖ πλωτὸς ὁ Ἀνίων, ἀφ᾽ ὕψυς μεγάλυ καταπίπτων εἰς φάραγγα βαθεῖαν, καὶ καταλσει προς αὐτῆ τῇ πόλει. ἐνεῦθεν δε διέξεισιν εὐκαρπότατον, περὶ τὰ μέταλλα τῦ λίθυ τυ Τιβυρτίνυ. *Tibure fanum eſt Herculis & praeceps aquae dejectus (cataractam vocant) quem facit Anio navigabilis ab excelſo loco in convallem dejiciens ſe profundum luciſque obſitum ad ipſam urbem. Inde per loca fructuoſiſſima perlabitur, juxta ſecturas lapidis Tiburtini.* Lapis ſecundus eſt.

HER-

HERCVLI SAX
SANO SACRVM
C SVLPICIVS MA
TVRVS 7 LEG XXII
PR PF ET COMMI
LITONES LEG EIV
SDEM QVI SVB
EO SVNT
V. S. L. M

Vir Illuſtris Gisb. Cuperus in Monumentis Antiquis, quae Harpocrati adnexuit pag. 228. dum titubationes aliorum, qui ante ſe hanc aram publicarunt, corrigit, ipſe in eo lapſus eſt, quod SAXSANTO edidit, adfirmans, ſibi ſumma fide Saxa deſcribi. De fide Viri Summi non dubito, diligentiam autem ejus in lapidibus, quos ipſe vidi, ſaepe requiſivi, ni forte caecutientium oculorum id vitium fuit. Nam in hoc lapide τὸ T a voce Saxſani abeſt. In verſu 5. edidit PREF. Aliter eam Joan. Kayſerus ad Keyſlerum perſcripſit, qui & alios Clivenſis agri titulos antiquos cum eo communicavit admodum prave deſcriptos. Non otii noſtri eſt exponere, quo quisque modo Herculis Saxani ſcripturam dederit, aut quo quisque modo notas extricarit. Hoc aegerrime tuli, ab Jo. Henr. Von Hagenbuch in Sacrar. Princip. pag. 4. quem libellum huic arae illuſtrandae impendit, eam tam negligenter fuiſſe habitam, ne dicam imperite. Verſum tertium & quartum edidit

C. SVLPITIVS MA
TVRVS MEG XXII

Fefellit eum 7 nota, quae praefixa eſt, ut ſolet, voci LEG. notatque centuriam aut centurionem legionis, quam notam multis imprudentibus praeteritam repperi. Cum ipſe lapidem conſpicatus ſum, litteras, quas expreſſi, certas deprendi, ſi a F diſcedas, quae ſubdita τῷ P. Vitium quod ei a vetuſtate acciderat, ambiguum faciebat E F an L. ſculptum olim fuiſſet. Caeteris autem F praetuli, quod in aliis monumentis Legio illa XXII. PR PF cognominatur, id eſt, primigenia pia felix. Caſtra illa habuit in Germania ſuperiore ad Bonnam oppidum, id quod ex Ptolemaeo didici. Monumenta ejus per-

perquam multa olim exstiterunt ad Rhenum. Quanquam autem hodie ad Cliviam Urbem visitur lapis ille, erutus tamen fuit ad Antunnacum, ubi lapidicinae in proximo, saxorum, que caementitia hodie dicimus, & molarium foecundae. Didici illum inverti locum quondam ab Amplissimo Papenbroekio.

Saxsanus scriptum est in eo pro Saxano, ut maxsimus pro maximo, Uxsor pro uxor, & multa alia, quae peritioribus hominibus non ignota sunt. Ara tertia est depicta & illustrata ab Auctore Religionis Gallicae, quam vernacule scripsit, de la Religion des Gaulois crediturque Martinus esse. Is Tom. 2. pag. 32. ita exhibet

I. O. M. ET HER
CVLI. SAXA
SACRVM
P. TALPIDIVS
CLEMENS 7
LEG. VIII. AVG
CVM MIL. LEG. EIVS
V. S. L. L. M.

Idem docet, inventum fuisse lapidem in Lotharingia prope Pont a Mousson. Vidit eundem lapidem Monfalconius exposuitque in Antiquitez. expliq. Tom. 2. lib. 3. cap. 2. Additque, quod probe observandum, fuisse inventum in Lautomia. Omittit Monfalconius in versu quinto centurionis notam, animadvertit eam expressitque Martinus *de la Religion des Gaulois Tom. 2. Chap. 9.* Sed quia in Commentario praeterit, quid velit, aut significet ignorasse videtur, quanquam notam adjecit. Ita namque ille: *l'Inscription, qui est gravée sur une de ses faces, porte, que l'autel entier fut dedié a Jupiter tres bon, tres grand, & à Hercule Saxan par Publius Talpidius Clemens & les Soldats de la huitieme legion, surnommé Auguste, pour accomplir de bon coeur le voeu, a quel ils s'étoient engagez.* Titulum ita expleo: Jovi Optimo Maximo & Herculi Saxano Sacrum Publius Talpidius Clemens centurio legionis octavae Augustae cum militibus legionis ejus votum solvit libens laetus merito. Si atten-

attendas, reperies saepe, praeteritam illam centuriae vel centurionis notam, vel quod oculi fallebant, nonnunquam enim obscurius sculpta, vel quod ea spectatoris & lectoris scientiam fugiebat. Ostendit Christoph. Saxius V. Cl. egregie meritus de lapidibus antiquis & majora meriturus, si fata sinunt, in lapidum vetust. Epigram. pag. 24. omissam illam a Clusio notam, ubi alii prodiderunt, contra pag. 28. proditam a Clusio, ubi eam alii neglexerunt. Aram quartam & quintam Joannes Michael Roukens, Vir Consularis, Noviomagi servavit, deportatas illuc inter lapides caementitios, quos tophos vulgo dicunt, conservavit. Affirmabat Vir Amplissimus, eruditionis & rerum antiquarum non studiosus tantum, sed & in paucis peritus, ex lautumiis fuisse erutas, quae inter Rheni & Mosellae confluentes & Auturnacum spectantur. In ipsis lautumiis eas consecrarunt praesenti Deo, in quibus eos primum religio est tuita, quae cum dudum neglecta, lapides illi nunc temere moventur, & in longinquas terras negotiandi caussa inter caeteras vehuntur, quibus usus in calce maceranda. Comminutus enim & calce mistus aquas excludit. Quarta itaque ara haec est:

HERCVLI SA
XANO
COELIVS
MARCELLVS 7
LX GETQVE O
COMMILITO
NES VS ML

Primus edidi hoc Saxum in Brittenb. pag. 102. nunc addam pauca illustrandi caussa. Sententia haec est: Herculi Saxano Coelius Marcellus Centurio legionis x Geminae atque omnes commilitones votum solvit vel solverunt merito lubens. *Etque* in versu quinto ponitur pro atque, sic in tabula vetusta Begeri in Thesaur. Brandenburg, Tom. 3. pag. 411. RENOVAVERUNT ETQUE OMNES. Muratorius in Thesaur. pag. LXXXV. n. 7. ETQUE OMNES ALIS ALIUM. Adde Sciopp. art. crit. pag. 46. Idem de C aut G (quae litterae olim non discrepabant) q. in Q. mutata

pag. 48. & Ortelium in Itinerar. pag. 50. 51. ubi *Antigus* pro antiquus & *Cintus* pro Quintus. Sed & alii litteram Q ea forma expresserunt, quam in lapide nostro conspicis, vid. Fabretti Inscript. pag. cxx. n. 12. & pag. cxxxix. n. 143. Legio decima Gemina ex earum fuit numero, quae praesidia ad Rhenum habuit. Plurima ejus monumenta effodiuntur ad Noviomagum, quae Vahali imminet, quare nonnullis creditur istic castra habuisse. Ara quinta ejusdem Roukensii est a nemine, quod scio, in lucem prodita uspiam.

HERCV SA
VEXILLAR
LIM FLVI VICT
LX GPEAL COI.
CLZ Q SOACVT
SVCVM IVLI
COSSVTI 7 LVI
VIC PC

Herculi Saxano Vexillarii legionis primae Felicis vel Fidelis Victricis Legionis Sextae Victricis Legionis decimae Geminae Piae & Ala cohortis, quid CLZ Q SOACVT velint, fateor me ignorare; forte nomen barbarum cohortis significant, ut dictae saepe cohortes nomine barbararum gentium: extricabam aliquando hoc modo: CLU Qui Sunt Omnes A Colonia Ulpia Trajana. Clu multis nominibus Romanis aptum, O id est omnes eodem modo, eadem in caussa & in simili titulo usurpatur in ara proxima ex eodem loco asportata. Ut in hoc a Colonia Ulpia Trajana milites designati, ita frequenter ab aliis oppidis iidem demonstrantur in Notitia Imperii. Tu vide pag. 161. ubi sub dispositione viri spectabilis Comitis litoris Saxonici per Britanniam praepositus militum Tungricanorum Dubris, mox alii Lemannis, alii Branaduno, Gariannono, aliis. De illa Colonia dixi de Brittenb. pag. 22. 23. Reliqua, quae sequuntur in eo lapide Roukensii, perspicua sunt, *sub cura M. Julii Cossutii* 7 id est, centurionis Legionis sextae Victricis Poni Curavit. Scio, posse videri legendum in versu primo HERCULI SAcrum sed malo Saxano, qui erutus lapis ex fodina, ex qua aliae arae extractae, Her-

Herculi Saxano dicatae. De Vexillariis dicam alio loco, in quo & ostendam ex eodem hoc lapide, falli Lipsium & qui eum sequuntur, negantes, Vexillarios Munifices fuisse. Fuerunt Vexillarii alii legionis, alii Cohortium. vid. Salmas. ad Capitolin. in Pertinac. cap. 2. in versu tertio scaber lapis est, nec cernas dilucide, F an E fuerit scriptum olim. Si F. felix aut fidelis dicenda legio. Sin E. committenda haec littera voci proximae, legendumque ME erit Menervia. vid. de Brittenburgo pag. 116. Ἀθηναίαν nominat Dion Cassius, qui a Domitiano institutam dicit. Domitianus vero praecipue Minervam colebat. Menerva pro Minerva crebro scriptum reperias etiam in monumentis, quae olim in Batavorum terris inventa sunt, quae sane plurima. *Sub cura* militaris locutio, in aliis est *curam agens*, *Curans*, *Curator*. Milites autem, qui in metallis opus faciebant, sive ii ex una legione aut cohorte, sive ex pluribus delecti, sub cura centurionis erant, qui & omnium nomine sacra faciebat Herculi. Inde non militum tantum, sed & centurionum mentio in aris Saxani Herculis. Commode recordor hoc Petronii cap. 82. ubi e milite quaeritur, *ex qua legione & aut cujus centuriae.* M. Julius Cossutius centurio duarum gentium nomina miscuit, sed illud admodum vulgatum eo tempore, quo hic lapis positus, qui aut aequalis Domitiano est, aut posterior eo. Vide, quae disputavi de mutata Romanorum Nominum ratione cap. 2. Verum misso Hercule Saxano, ad extremum convertor ad Herculem Ogmium. Ogmius Hercules est in Gallia natus, sed Graecanico ingenio formatus, sive Massiliae, quae civitas fuit ex Graecis Gallisque mista, Graecorumque disciplinis unice florens, vid. Strab. lib. 4. pag. 181. Justin. lib. 43. cap. 3. sive in aliis Galliarum Scholis, in quibus litterae Graecae & Romanae tradebantur, quarum Scholarum Professores carminibus celebravit Ausonius. Soli Luciano iste Ogmius dictus, magis credo ut cavilletur & rideat miseri & retorridi Dei formam, quam ut numen ejus & potentiam exponat. Ita namque: Τὸν Ἡρακλέα οἱ κελτοὶ ὄγμιον ὀνομάζουσι, φωνῇ τῇ ἐπιχωρίᾳ. Τὸ δὲ εἶδος τοῦ θεοῦ, πάνυ ἀλλόκοτον γράφουσι. Γέρων ἐστὶν αὐτοῖς ἐς τὸ ἔσχατον, ἀναφαλαντίας, πολιὸς ἀκριβῶς, ὅσαι λοιπαὶ τῶν τριχῶν. ῥυσὸς τὸ δέρμα, καὶ διακεκαυμένος ἐς τὸ μελάντατον, οἷοί εἰσιν οἱ θαλαττουργοὶ γέροντες. μᾶλλον δὲ χάρωντα, ἢ Ἰαπετόν τινα τῶν ὑποταρταρίων. ἢ Ἡρακλέα εἶναι ἂν εἰκάσειας. *Herculem Galli lingua vernacula Ogmium vocant, sed Deum hunc inusitata prorsus specie depingunt. Decrepitus est apud illos,*

 recal-

recalvaster, reliquis capillis plane canis, cute rugosa, & in aterrimum colorem exusta, cujusmodi sunt hi nautae senes. Charontem potius aut Japetum quempiam ex his, qui apud inferos versantur, & omnia potius quam Herculem esse conjiceres. Credo, in Schola alicubi fuisse pictum eum Herculem. Scholae namque ornatae erant picturis ejusmodi, quae puerorum animos ad studia excitarent. Dicas, imaginem Herculis illius ex hoc Virgilii expressam Aen. lib. I. v. 152.

Ac veluti magno in populo, cum saepe coorta est
Seditio, saevitque animis ignobile vulgus:
Jamque faces, & saxa volant, furor arma ministrat,
Tum pietate gravem ac meritis si forte virum quem
Conspexere, silent arrectisque auribus adstant.
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.

Hoc certum, vim eloquentiae in ea tabula demonstrari. De Maenianarum Augustodunensium picturis Eumenius in oratione pro Schola instauranda. Litterarum cultum in Gallis excitarunt primum Massilienses, qui & deductis coloniis late per universam Galliam sparserunt. vid. Strabo & Justinus in iis locis, quae ante indicavi. Auxerunt mirifice Romani, institutis per plurimas civitates Scholis, quarum multae celebrantur Ausonio. Quae caussa est, cur Romanorum Imperatorum tempore facundia & praestantissimis ingeniis caeteras provincias antecelluerit Gallia: qua de re nonnihil dixi in de Brittenburgo pag. 136. Existimandum ergo, Graecanici ingenii commentum fuisse Herculem illum Ogmium, quem Lucianus in Gallia conspicatus fuit. Vox etiam Graecanica est, siquidem ab ὄγμος via dictus est Hercules Ὄγμιος, id est vialis, quod is viam praeibat, quam multitudo omnis sequeretur, quam ab ore suo, id est facundia ducebat. Describit istiusmodi Herculem Ogmium, id est virum facundum aut Oratorem, Cicero de Oratore lib. 3. cap. 17. ubi eum auctorem dicit consilii publici & regendae civitatis ducem, & sententiae atque eloquentiae principem, in senatu, in populo, in caussis publicis. Unde & Graeci oratores suos Δημαγωγὸς nominabant. Nec abhorret ab istiusmodi officio Hercu-

culis persona, nam & is Graecis Μουσαγέτης fuit habitus, Musarum ductor, id est vernaculam, & Musicorum, id est eruditorum hominum fautor. De quo Hercule ita Eumenius Augustodunensis in Gallia Scholae Rhetor. *Aedem Herculis Musarum in Circo Fulvius ille Nobilior ex pecunia censoria fecit, non id modo secutus, quod ipse litteris, & summa Poetae amicitia duceretur, sed quod, in Graecia cum esset Imperator, acceperat, Herculem Musageten esse comitem ducemque Musarum. Idemque primus novem signa, hoc est, omnium Camoenarum, ex Ambraciensi oppido translata, sub tutela fortissimi numinis consecravit (ut res est) quia mutuis operibus, & praemiis juvari, ornarique deberent, Musarum quies defensione Herculis, & virtus Herculis, voce Musarum.* Lucianus ὄγμιον vocem esse dicit Gallis vernaculam, accipe autem non Gallos omnes & barbaros, sed eos, qui Massiliensium aut Romanorum disciplinis fuerunt imbuti. Quem philosophum dicit Lucianus tabulae interpretem, non is ex philosophis barbaris fuit; quos Druidas nominabant, neque enim ii enunciabant disciplinas Juris. vid. Caesar. de Bell. Gall. lib. 6. cap. 13. Sed ex iis, qui Massiliensibus, id est Graecis Latinisque litteris erant eruditi. Scio, nonnulla in hoc genere paullo aliter tradita a Luciano, sed dum is risum captat, forte & Gallicorum morum rationem parum perspectam habebat, non semel fallit, fallitur que. Vestigia & monumenta Herculis per Gallias Germaniasque multa feruntur. Mitto, quae nobis loginqua sunt, in proximo fuerunt castra Herculis. Tabula itineraria Peutingeri collocat in eo aggere vel via, quae ex Britannia profectos Lugduno (nunc Loosduinen dicimus) per Rheni ripas Noviomagum ducebat. Convenit nomen *Kesteren*, sed spatium octo miliarium discrepat, quod tabula praefert. Convenit etiam nomen *Herveld*, sed is vicus Vahalis aggeri propior, propior etiam Noviomago. Remotior est locus, in quo Mahusenheim, sive Magusani Herculis templum stetisse diximus. Suspicor tamen, castra ea Herculis Magusani fuisse, si quidem is ἐπιχώριος Batavis fuit, ut ante ostendi. Ammianus Marcellinus lib. 18. pag. 115. Castra Herculis inter civitates memorat, quas in sinistra Rheni ripa sitas barbaris ereptas Imperio Romano restituit Julianus Caesar. Ita namque ille: *Quo fidenter ad haec patranda digresso, ipse anni tempore opportuno ad expeditionem undique milite convocato, profectus, id inter potissima mature duxit implendum, ut ante praeliorum fervorem civitates, multo ante excisas,*

introiret, receptasquè communiret: horrea quin etiam exstrueret pro incensis, ubi condi posset annona, a Britannis sueta transferri. Et utrumque perfectum est spe omnium citius. Nam & horrea veloci opere surrexerunt alimentorumque in iisdem satius condita, & civitates occupatae sunt septem; Castra Herculis, Quadriburgium, Tricesima, Novesium, Bonna, Autunnacum, Bingio. De Quadriburgi & Tricesimae situ disputavi in Dissertatione de Brittenburgo pag. 27. & 28. de Tricesima pag. 22. 24. Stephanus de Urbibus inter tres & viginti urbes, quae ab Herculis nomine Heracleae fuerunt dictae, septimo loco Celticam sive Gallicam ponit. Nonnulli auctores, teste Plinio lib. 3. cap 4. eam urbem ad Rhodani ostium quaesiverunt.



TRE-

TREBELLII POLLIONIS NEGLIGENTIA CASTIGATA,

A U C T O R E

HENRICO CANNEGIETERO.



HENRICI CANNEGIETERI

PRAEFATIO.

Expoſita, ex Nummorum Lapidumque vetuſtorum monumentis, Poſtumi Hiſtoria, viſum mihi fuit faciendum, ut de Trebellio Pollione diligentius inquirerem. Si quidem is unus eſt, qui Poſtumi non tantum, ſed & ſucceſſorum ejus in Gallia Tyrannorum, imo Tyrannorum omnium, quos dicit Gallieno imperante fuisſe, vitas ſcripſit, eaque tradidit, quae monumentis illis maxime adverſantur. Idque eo magis mihi fuit faciendum, quod Viri Docti Trebellii auctoritatem potiſſimum ſequuntur. Hoc certum, Doctiorum hominum nullum eſſe, quin diſſidentibus ſcriptoribus vetuſtis, de triginta Tyrannorum & Imperatoris Claudii Gothici rebus geſtis, ſemper Trebellio Pollioni ſit pronior, ob eas cauſſas, quae fidem ſcribentis praecipue firmant. Proxime enim attigit ſaeculum eorum, certe propius, quam Sextus Aurelius Victor, & Auctor Epitomes. Propius etiam, quam Eutropius, Oroſius, Zonaras, qui eorundem meminerunt. Huc accedit, quod ad eum ſcripſit, quem ab Hiſtoriae diligentia & prudentia laudat, in de XXX. *Tyrann. cap.* 31. *Scripſit porro Romae, id eſt, in ea urbe, in qua Bibliothecarum atque ornamentorum, quibus hiſtoriam inſtrueret, etiam doctorum hominum, ex quorum conſilio atque admonitione exarata emendaret, erat copia. Emendaſſe autem nonnulla ex eorum ſermonibus, qui in templo Pacis, in quo eruditorum virorum crebri fuerunt congreſſus, ſunt habiti, oſtendit ibidem. Bibliotheca Ulpia in Urbe quanta hiſtoriae ſubſidia habuerit, ex iis intel-*

tel-

telligimus, quae Vopiscus in Aurelian. cap. 1. *&* 8. *habet. Adde, quod haec opera Trebellii a Vopisco, egregio per id tempus Historico, fuit laudata, quem vide in Aurelian. cap.* 2. *& Firmo cap.* 1. *Ad extremum, solent illi, qui singulorum, aut paucorum vitas & acta tradunt, accuratius omnia investigare & perscrutari, dum per plurima euntibus, districtior est animus. Multa imprudentes fallunt, multa prudentibus praetereunda. Et tamen Trebellii diligentiam, si quam ille adhibuit, superari videas ab iis, qui Principum omnium res gestas sunt complexi. Quodsi autem cum nummis antiquis utrosque contuleris, innumera videbis, non a Trebellio Pollione duntaxat, sed & ab aliis scriptoribus, quos nominavi, praeterita. Quod ut manifestum fiat, ea, quae de Galliarum Tyrannis memoriae prodidit, perpetuis commentariis instruere decrevi; qui hoc ordine & numero Trebellio recensentur.* I. *Postumus Pater.* II. *Postumus Filius.* III. *Lollianus.* IV. *Victorinus Pater.* V. *Victorinus Filius.* VI. *Marius.* VII. *Tetricus Pater.* VIII. *Tetricus Filius.* IX. *Victoria.*

TRE-

TREBELLIUS POLLIO

DE XXX. TYRANNIS.

CAPUT III.

DE POSTUMO (1).

Hic vir in bello fortissimus, in pace constantissimus, in omni vita gravis, usque adeo, ut Saloninum filium (2) eidem Gallie-

HENR. CANNEGIETERI COMMENTARIUS.

(1) *De Postumo.* Scripturam sequor eam, non quam Editores praeferunt, ii enim deteriorem nonnunquam dederunt, sed quam libri vetusti probant. Non ergo Posthumium expressi, ut Editores solent, sed Postumum. Ita namque Palatinus Codex, quem Gruterus & Salmasius inspexerunt. Ita porro Nummi & vetusti Lapides. Eutropio & Zonarae, Ποσὄμος, dicitur. Neque aliter vetustioribus rerum Romanarum scriptoribus, Ποσὄμιος, (Fuit enim Gens Postumia clara Romae) est & apud Gruterum LXVI. 3. ΠΟCΤΟΥΜΙΛΛΗ, quod mirum, quum sit apud Virgilium Aeneid. lib. 6. v. 763.

Tua postuma proles.

Ab hoc nomine Adjectivo, non vero ab humo, Postumos & Postumios Romae dictos Eruditiores censent In Nummis Imperator hic POSTVMVS & C. POSTVMVS & C. M. CASS. LAT. POSTVMVS. Damna truncatorum nominum ex Epitome Aurelii Victoris, cap. 33. in hunc modum resarferunt Eruditi: CASSIVS LATIENVS POSTVMVS: verum hos redarguit lapis in Hispania inventus, in quo nomina ita exhibentur.

IMP. CAES.
M. CASSIANI
VS LATINIUS

vide supra in Postumo nostro, cap. 1.

(2) *Saloninum filium.* De hujus nomine, quos fluctus moverit noster, operae pretium est cognoscere, ut scias, quantus ei in tenui labor. De Salonino Gallieno, hoc modo. *De hujus* (Salonini) *nomine magna est ambiguitas; Nam multi eum Gallienum, multi Saloninum in historiis prodiderunt. Et qui Saloninum, idcirco, quod apud Salonas natus esset, cognominatum ferunt. Qui autem Gallienum, patris nomine cognominatum, & avi Gallieni, summi quondam reipublicae viri. Fuit denique hactenus status in pede montis Romulei, hoc est, ante Sacram Viam intra templum Faustinae advecta ad arcum Fabianum, quae haberet inscriptum GALLIENO IVNIORI SALONINO addito.* In eo aestuat Noster, cur ab aliis Historicis Gallienus, ab aliis Saloninus vocetur. Idem ergo aestuet, cur P. Cornelius ab aliis Scipio, ab aliis Africanus dicatur, & Asinii Pollionis filius, Pollio & Saloninus. Ea nominum multitudine unius hominis, quae sub Principibus fuit, saepissime factum est, ut quis alio nomine ab alio Scriptore appellaretur, de qua re disputavi in de

lienus in Gallia positum crederet, quasi custodi (3) vitae & morum, & actorum Imperialium institutori. Sed quantum plerique adserunt (quod ejus non convenit moribus (4)) postea fidem fregit, &,

de mutata Nominum ratione, cap. 7. Succurrit aestuanti Salmasius interpretatione aliena Facile autem haesitantem explicabunt Nummi, in quibus Q IVL SAL. GALLIENVS NOB. CAES Fuit ergo his nominibus dictus. *Quintus Julius Saloninus Gallienus Nobilissimus Caesar.* Duo ergo illi cognomina fuerunt, & Gallieni & Salonini, Zonaras cum patri ὁμώνυμον, dicit. Annal 13. cap. 24. Eadem addubitatio nostrum suspensum tenuit, Vitruviam an Victoriam nominaret, quam equidem duobus illis nominibus dictam censeo, vid. infr. cap 9. Dicas ex illo loco, Trebellium sequi opinionem eorum, qui Saloninum nominatum existimant ex eo, quod apud Salonas (oppidum hoc est Dalmatiae, Colonia popu'i Romani, quo expugnato Asinius Pol'io Salonini nomen filio dedit. Serv. ad Virgil Eclog 4.) est natus. Sed paullo post cap. 3. videtur secundum eos sentire, qui a matre Salonina, repetunt. *Tam variae*, inquit, *opiniones sunt de Salonini nomine, ut, qui se verius putent dicere, a matre sua Salonina appellatum esse dicant, quam is perdite dilexerit, Piparam nomine, barbaram regis filiam.* Vix dubito, eum a matris nomine dictum fuisse, de qua nominandi consuetudine dixi in libello de mutata Nominum Romanorum ratione, cap 7. Saloninam illam Trebellius eandem dicit Piparae, a qua manifeste disjungit Aurelius Victor, obscurius auctor Epitomes. Vide autem, quam praeter aequum dedit us Trebellio Salmasius, qui, ut eos in consensum adigeret, non dubitavit vim adferre Aurelio. In Nummis & Marmoribus Cornelia Salonina appellatur. Sciendum autem, Gallieni filios duos fuisse, Salonini nomine dictos, alterius nomina ante memoravimus, alterius autem haec in monumentis vetustis praeferuntur: P. LIC. COR. SALONINVS. VALERIAN. NOB. CAES. qui non Salonini tantum appellationem a matre tulit, sed & Cornelii. Salonianus est apud Gudium XCIV. 5.

P. LICINIO SALONIANO
VALERIANO NOBILISS. CAES.

Matrum nomina cum filiis communicata plerumque in anus mutabantur.

(3) *In Gallia positum crederet, quasi custodi.* Filius is Saloninus Gallienus fuit, non Saloninus Valerianus, vide epistolam Gallieni Patris ea de re ad Saloninum Cos. datam apud Vopisc. in Aurelian. cap. 8. Hunc Caesarem factum Galliae regioni maximae, atque in septendecim provincias descriptae, praefecit, ut ei majestatem conciliaret, secutus exemplum Augusti, qui Cajum filium Orienti praeposuit, addito tamen custode & juventae moderatore, Lollio. Hinc perspicimus, qui fuerit factum, ut Salonino hoc occiso, universa Gallia fuerit potitus Postumus. Errant Zosimus & Zonaras, quorum ille, lib 1. cap. 38. Silvanum nominat Caesaris rectorem, hic Albanum lib. 13. cap. 24. Testem do ipsum Gallienum patrem apud Vopisc. in Aurelian. cap 8. Nec credibile, praeter plura nomina, quae ex lapidum Nummorumque Inscriptionibus dedimus, Postumum quoque habuisse Albani & Silvani Nomina. Id fidem facillime capit, Albani & Silvani (Σιλβανὸν scribunt) Zonarae aut Zosimi librarios mutasse.

(4) *Quod ejus non convenit moribus.* Ecquis olim moribus tam sanctis fuit, ut regnandi gratia eos non mutarit, pietatem neglexerit, & Jus violarit. Quemadmodum ad imperium pervenerit, ita tradit Noster in Gallien. cap. 4. *Galli, quibus insitum est esse leves, ac degenerantes a virtute Romana, & luxuriosos Principes ferre non posse, Postumum ad imperium vocarunt, exercitibusque consentientibus, qui occupatum Imperatorem libidinibus sentiebant, querebanturque. Contra hunc Theodotus exercitum duxit.* Ec-

quis

&, occiso Salonino, sumsit imperium. Ut autem verius plerique tradiderunt, quum Galli vehementissime Gallienum odissent, puerum autem apud se imperare ferre non possent, eum, qui commissum regebat imperium, Imperatorem appellarunt, missisque militibus, adolescentem interfecerunt. Quo interfecto, ab omni exercitu, & ab omnibus Gallis (5) Postumus gratanter acceptus, talem se praebuit per annos septem (6), ut Gallias instaura-ve-

quis non miratur, ἀκυρολόγιαν Trebellii, scribentis, Theodotum duxisse exercitum, cui interfuit Gallienus Imperator, nec interfuit tantum, sed & strenue rem gessit. Colorem hic quaerunt Casaubonus & Salmasius, mihi socordia & properantia Trebellii incusanda videtur. Zosimus atque Eutropius Postumum non vocatum ad imperium fuisse a militibus, arguunt, sed id ab eo sumtum quod maxime constantem principem quaerit, crederetur imperium. Quae autem illa Gallia? quod illud Gallicanum imperium? Docet idem Vopiscus cap. 16. inque partes diducit, *Hic*, Carinus, *quum Caesar decretis sibi Galliis, atque Italia, Illyrico, Hispaniis ac Britanniis*, enumerat, *quas praefectus teneret Imperium.* Easdem illas provincias enumerat, quas Praefectus Praetorio Galliarum, a Constantino dein constitutus, administravit. Orosius, libro 7. cap. 25. *Galerius & Constantius Augusti primi Romanum imperium in duas partes determinaverunt, Gallias Maximianus, Illyricum, Asiam & Orientem, Constantinus, Italiam, Africam, Hispaniam & Gallias.* Galliarum nomine Britannias contineri, inde scimus, quod praeter illas provincias Britannias quoque Constantio attributas fuisse constat, quare mox subjungit Orosius, Constantium in ea diem supremum obiisse. Aurelius Victor de Caesar. cap. 39. Cuncta, quae trans Alpes sunt, Constantio commissa scribit. Zosimus, lib. 2. cap. 8. ea cuncta Asiae τὰ ὑπὲρ τὰς Ἄλπεις ἔθνη, dicit, in quarum gentium numero Hispania, & Britanni, eadem ex Zosimo verba repetit Suidas in Κωνσταντῖνος ὁ μέγας. adde, quae disserui vide de Postumo cap. 3. & 4.

(5) *Ab omni exercitu, & ab omnibus Gallis.* Gallos intellige Transalpinarum provinciarum gentes. Adde quae disputavi in Postumo, cap 2. Nam praeter Gallias tenuit etiam Hispanias & Britannias. Scivisse hoc Trebellium dubito. Nam si scierat, non, ut puto *cum exercitu*, sed omnibus exercitibus dicturus fuit. Quaeque enim illarum provinciarum suum exercitum, imo exercitus, habuit. Legerat credo apud alium, Postumum Galliae praefuisse, vocemque strictius accepit, cum latius debuerat. Aut, si & ipse latius eam accepit, anne semel id monendum fuit? Hoc certum, scriptoribus aequalibus Trebellio & proximis Galliae & Galliarum nominis ambitu Transalpinas provincias omnes complexos fuisse nonnunquam. Atque hoc modo Eutropius & Eusebius in Chron. scribunt, Probum Imperatorem Gallis vineas habere permisisse. Vopiscus in Probo cap. 18. ostendit, qui illorum Gallorum nomine censeantur. *Gallis omnibus*, inquit, *& Hispanis & Britannis hinc permisit, ut vites haberent vineasque conficerent.* Idem Vopiscus in Caro cap. 7. *Dicitur quidem saepe dixisse: se miserum, quod Carinum ad Gallias Principem mitteret, neque illa aetas esset Numeriani, ut illi Gallicanum,*

(6) *Per annos septem.* Non in hoc tantum loco septem imperii annos Postumo adsignat, sed & supra in Gallien. cap. 4. adde cap. 5. Verius Eutropius decem annos tribuit, lib. 9. cap. 9 & Orosius, lib. 7. cap. 22. quorum fidem firmant Nummi, atque in his unus, quem habuit Smetius, cujus evolve Antiquit. Neomag. pag. 240. num. 8. Titulus hic est.

verit, quum Gallienus luxuriae & popinis vacaret, & amore barbarae mulieris consenesceret. Gestum est tamen a Gallieno contra hunc bellum, tunc, cum sagitta Gallienus est vulneratus (7). Siquidem nimius amor erga Postumum omnium erat in Gallica gente populorum, quod submotis omnibus Germanicis gentibus, Romanum in pristinam securitatem revocasset imperium (8). Sed quum se gravissime regeret, more illo, quo Galli novarum rerum semper sunt cupidi, Lolliano (9) agente interemtus est. Si quis sane Postumi meritum requirit, judicium de eo Valeriani, ex epistola, quam ille ad Gallos misit, intelliget. Transrhenani militis Ducem, & Galliae Praesidem (10), Postumum fecimus, vi-

IMP. POSTVMVS P. F. AVG. P. M. TR. P. X. COS. V. P. P

In quo egregio Nummo Tribunicia potestas X non sinit nos dubitare de decimo imperii Postumiani anno. Idem arguit nota ejusdem Nummi. VO. XX. de qua Smetius Vir Doctissimus. *Victoria adest alata & seminuda, quae sinistro pede insistit globo & super genu clipeum votivum tenet, cui inscriptum est VO. XX.* Significat autem votum vicennale, quod impleto decennio nuncupavit, soluturus, si implesset.

(7) *Quum sagitta Gallienus est vulneratus.* In cujus oppidi obsidione id fuerit factum, ignorare nos voluit Trebellius, neque id nominat Zonaras, qui Galliae oppidum fuisse scribit, lib. 13. cap. 24. Gallienus inclinata re Aureolum sibi adjunxit, quem noster de xxx. Tyr cap. 10. virum fortem dicit, at vero in Claud. cap. 10. multis probris incessit, infensus etiam illis, qui eum laudarunt. Hiulcam & perplexam orationem in illo capite 10. si attendas, facile deprehendes.

(8) *Romanum in pristinam securitatem revocasset imperium.* Tanti fuit Germanos vincere, ut victor eorum diceretur restituisse terrarum orbem. Noster cap. 5. *Quum jam nutante Gallieni luxuria in veterem statum reformasset imperium.* Eutrop in Breviar. lib. 9 cap. 9. *Tum jam desperatis rebus & deleto paene Imperio Romano, Postumus in Gallia obscurissime natus purpuram sumsit, & per decem annos ita imperavit, ut consumtas paene provincias ingenti virtute & moderatione reparaverit.* Inde in nummis PACATOR ORBIS & REST Auctor orbis dictus Postumus. Adde Postumi mei, caput 9.

(9) *Lolliano agente.* Imo vero L. Aeliano. vid. infra ad cap. 3 Res ita est acta. Moguntiacenses rebellarant auctore L. Aeliano Venit ad oppugnandam eorum urbem Postumus, eamque fuso Aeliano expugnavit, milites victores petierunt a Postumo urbem diripiendam. Sed is negavit. Inde orta est seditio, in qua occisus Postumus.

(10) *Transrhenani militis ducem & Galliae Praesidem.* De limite Transrhenano nonnulla dixi in Postumo cap. 2. quibus cum maxime addo, Romanos perpetuis limitibus inclusisse imperium suum, qui aqua, muro, aggeribus, vallis, castellis, sive burgis ducebantur. Milites, qui tuebantur, limitaneos appellabant vid. Suidas in λιμιτανέοι. Rhenus vero ferocissimorum hostium receptator, duobus limitibus cinctus erat, per utramque ripam actis. Cisrhenanum, puto, Caesar est molitus, qui Gallos domuit, perfecit & consummavit opus Drusus, qui per Rheni ripam quinquaginta amplius castella direxit, Floro teste. lib. 4 cap. 12. n. 26. Idem Drusus forte Transrhenanum limitem instituit. Certe Trajani tempore fuisse videtur, quod Eutropius lib. 8. cap. 2. scribit, urbes trans Rhenum in Germania reparasse. Amplificavit eum Hadrianus,

virum dignissimum severitate Gallorum. Praesente quo (11) non miles in castris, non jura in foro, non in tribunalibus lites, non in curia dignitas pereat. Qui unicuique proprium & suum servet, virum, quem ego prae caeteris stupeo, & qui locum Principis mereatur jure, de quo spero, quod mihi gratias agetis. Quod si me fefellerit opinio, quam de illo habeo, sciatis, nusquam gentium reperiri, qui possit penitus probari. Hujus filio Postumo nomine (12) Tribunatum Vocontiorum dedi, adolescenti (13), qui se dignum patriis moribus reddit.

TRE-

nus, disjectumque a Barbaris refecit Postumus, ac dein Probus Augustus, qui & eum produxit & amplificavit. Iterum dirutum, ut per haec tempora crebrae fuerunt pugnae Romanorum Germanorumque de hoc limite, ultimus Romanorum instauravit Valentinianus. Post eum enim superato Rheno Franci ruptis limitibus utrisque atque extincto imperio Romano Gallias occuparunt. Limitum plurium duces enumerat Vopiscus, in Aurelian. cap. 13. ubi Avulnius Saturninus, Scythici limitis Dux, Julius Tryphon, Orientalis limitis, Ulpius Crinitus, Illyriciani & Thracii, Fulvius Boius Rhaetici. Postumus vero hoc praecipuum habuit & amplius, ut non limitis tantum Dux esset, sed & Galliae Praeses, ut ante docui in Postumo cap. 2.

(11) *Praesente quo*, id est, quo Praeside, vid. in Postumo meo cap. 2.

(12) *Hujus filio Postumo nomine* Existimes hinc, Postumo plures filios fuisse, eosque non Postumi nomine, sed aliis nominibus dictos. Sciendum namque, sub Imperatoribus fratres non tam praenominibus quam cognominibus distinctos fuisse. Plura dixi in de Nominibus, cap 3

(13) *Tribunatum Vocontiorum adolescenti.* Intellige Tribunatum cohortis Vocontiorum. Hujus modi tribunatus adolescentibus militiam auspicantibus dabantur. Cicero famil. lib. 7. epist. 5. *Huic* (Trebatio, qui eo anno militare coeperat) *neque Tribunatum, neque praefecturam, neque ullius beneficii certum nomen peto: benevolentiam tuam, & liberalitatem peto.* Sueton. in Caes. cap. 5. *Tribunatu militum, qui primus Romam reverso per suffragia populi honor obtigit.* Trebellius in Claud. cap. 16. *Tribunum vero Claudium, optimum juvenem, fortissimum militem, constantissimum civem.* Vopisc. in Probo cap. 4. ubi Epistola Imp. Valeriani ad Gallienum filium. *Et meum secutus judicium, quod semper de Probo adolescente* (mox eum *imberbem* nominat) *primo habui, & omnium bonorum, qui eundem sui nominis virum dicunt, Tribunatum in eum contuli.* Atque ut intelligas, Tribunatus nonnullos amplissimos fuisse, pergit Valerianus, *Tribunatum ei eum contuli, datis sex cohortibus Saracenis, & creditis etiam auxiliaribus Gallis, cum ea Persarum manu, quam nobis Artabanus Syrus mancipavit.* Ejus fidei idem Valerianus legionem tertiam Felicem tradidit. vid. ibid. cap 5. Forte tamen haec legio non ei tribuno militum, sed tribuno legionis (qui major militiae honos) data. Salarium Tribuni cognosce cum ex hoc capite, tum ex Trebellio in Claud. cap. 14 atque ex Epistola Imp. Valeriani ad Zosimionem, quam addo praecipue ad id, ut inde maculam eluam. Scripta dicitur Epistola ad Zosimionem Procuratorem Syriae, in qua de salario Claudii. Quid autem? Num Procurator Syriae salarium dedit Claudio Tribuno in Illyrico, ibi enim Tribunatum gessisse Claudium intelligimus ex cap. 15. cui hoc persuadeat Trebellius? sed vox Syriae corrupta, legendumque *Illyriae.* Titus fuit Tribunus Maurorum, vid. Trebellius in cap. 32. Tribunus Assyriorum memoratur in Claudio, cap. 13. Fuerunt nonnulli Tribuni honore, certe salario ducali, lege epistolam Valeriani ad Claudium in vita hujus cap. 14. & 15. Ipse Claudius e Tribuno Imperator est factus.

TREBELLIUS POLLIO

DE POSTUMO JUNIORE III.

CAPUT IV.

De hoc prope nihil eſt, quod dicatur, niſi quod a patre (1) appellatus eſt Caeſar, & deinceps in ejus honorem (2) Auguſtus. Cum Patre dicitur interemtus (3), quum Lollianus (4) in locum Poſtu-

(1) *A patre appellatus eſt Caeſar.* Incerta ſunt omnia, nonnulla etiam falſa, quae de Poſtumi filio dicuntur. Nam ſi is appellatus eſt Auguſtus, cur eo nomine in Nummis non proſcriptus? Maxime in illis Nummis, in quibus duo capita An ne, ſi duorum Auguſtorum capita ea eſſent, addi oportuit AVGG. geminata littera G, ut in aliis Auguſtorum duorum nummis. Geminatam autem eam litteram nusquam conſpicias, in tanta abundantia Poſtumi nummorum, ſi ab uno diſcedas, quam Mediobarbus a Triſtano accepit. Quare aut ſuppoſitum eum nummum arguo, aut litteram G male geminatam. Errori aut fraudi illi anſam praebuerunt jugata capita in nummo, quorum alterum Poſtumi Patris, alterum filii eſſe crediderunt. Ego autem alterum Herculis eſſe puto, quem Deum Imperator Poſtumus praecipue coluit. Filii nomen ex aliis nummis Julii, ex aliis Junii oſtentatur. Fictum utrumque eſt ex Julii Ateriani fragmento, quod Trebellius habet in de XXX. Tyran. cap 6. de quo infra. Et quo manifeſtior impoſtura, eadem nummorum varietas, quae librorum. Nam ut nummi alii Junium, alii Julium, ſic vetuſti Codices in eo loco utrumque id nomen praeferunt. Idem dolus cauſſam dedit huic nummo.

IVNIA DONATA AVG.
SALVS PROVINCIARVM

Quam Juniam Poſtumi uxorem finxerunt. Inter rariora maximi moduli numismata Cardinalis Carpegnii, pag. 61. hunc reperias.

C. IVL. P. CASSIVS LAT. POSTVMVS P. F. AVG.

Verum non Caſſius dictus Poſtumus, ſed Caſſianius. vid. in Poſtumo noſtro cap. 1. Alia νοθείας indicia nummi illius mitto.

(2) *In honore*, id eſt, in honorem, m. namque finale ſaepe abciſum reperias, maxime in ſaxis vetuſtis, vide quae dixi in Diſſertat. ad Avianum cap. 20. & quae Dukerus ad Florum lib. 3. cap. 20. Sed quaero, a quo Poſtumus Junior dictus Auguſtus? praecedit *a patre*, ſi a patre dictum placet, tum quaero, in cujus honorem fuerit dictus. Proximum eſt, ut a Senatu dictum, arguamus, ſi tamen ab illo is Auguſtus eſt appellatus. Senatum intellige, qui in Colonia Agrippinenſi fuit, inſtar Senatus Romani, de quo vid. in Poſtumo cap. 6.

(3) *Cum patre dicitur interemtus.* Si verum eſt, quod plerique exiſtimant, Poſtumum filium ſignificari, quem noſter ex Julio Ateriano mox cap. 6. Junium Poſtumum appellat, videtur filius, non cum patre interemtus, ſed ſuperſtes fuiſſe ei, ſi quidem huic Junio Poſtumo is dicit ſucceſſiſſe Victorinum, non Poſtumo patri. Sed tu vide, quae mihi dicta ſunt ad illum locum.

(4) *Lollianus.* Ita noſter ubique appellatur, qui L. Aelianus fuit dicendus.

stumi subrogatus delatum sibi a Gallis sumsisset imperium. Fuit autem, quod solum memoratu dignum (5) est, ita in declamationibus disertus, ut ejus controversiae Quintiliano dicantur insertae (6), quem declamatorem Romani generis acutissimum unius capitis lectio prima fronte demonstrat.

(5) *Quod solum memoratu dignum.* Segnis ergo fuerit necesse est, qui in tanta mole rerum, quibus pater fuit districtus, nihil aliud gessit.

(6) *Quintiliano dicantur insertae.* Nihil corruptius Grammaticorum & Rhetorum libris, maxime iis, qui exempla aut commentarios habebant. Promtum enim erat, & sine negotio inveniebatur, quod iis adjicerent Magistri. Discrimen Declamationum, quae Quintiliani & Senecae nominibus falsis circumferuntur, stili diversitas prodit, quanto magis Postumi aevi inter Quintiliani Orationes proditum fuisse opinabimur.

TREBELLIUS POLLIO

DE LOLLIANO IIII. (1)

CAPUT V.

Hujus rebellione in Gallia Postumus, Vir omnium fortissimus, interemtus est, quum jam nutante Gallieni luxuria in veterem

(1) Oscitantiae labem dicam, an properantiae, quod ter offendit in hoc capite Trebellius, neque ea offensio modica, sed admodum gravis. Primo namque in nomine hominis offendit, cujus acta exponenda suscepit. Secundo successionis ordinem eorum, quorum vitas tradit, conturbat. Tertio ipse sibi contrarius est. Lollianum dicit, quem L. Aelianum nominare oportuit. Et ne librarii hanc culpam dicas, ubique noster id nominis praefert, crebro enim ejus meminit, ut in duobus Gallienis cap. ult. in de XXX. Tyrann. cap. 3. 4. & saepe alias. In L. Aeliani vero nomine Scriptores omnes, omnesque Nummi consentiunt. Dubitarunt nonnulli, an Laelianum dicant, sed dubitationem tollit Paeanius interpres Eutropii, cui Λύκιος Αἰλιανὸς vocatur, & Auctor Epitomes, qui misso L. praenomine, Aelianum appellat; quare non est ambigendum, quin ex Trebelliano hoc errore nomina *Lolliani*, *Loliani* & *Jolliani* in nonnullos Eutropii Codices irrepserint. In Nummis est

IMP. C. L. AELIANVS P. F. AVG.
VICTORIA AVG.

Quo loco habendus hic Goltzii Nummus

IMP. C. A. POMPONIVS AELIANVS AVG.

Judicabo tum, cum eum oculis usurpavero. Orosius Aemilianum nominat lib. 7. cap. 22. Adscribam verba, quia aliis indeprensus error. *Postumus in Gallia invasit tyrannidem, multo quidem rei publicae commodo. Nam per decem annos ingenti vir-*

rem statum Romanum reformasset imperium (2). Fuit quidem etiam fortissimus, sed rebellionis intuitu minorem apud Gallos auctoritatem de suis viribus (3) tenuit. Interemtus autem est a Victorino, Victorinae vel Victoriae filio (4), quae postea mater Castrorum (5) appellata est, & Augustae nomine adfecta, quum ipsa

virtute ac moderatione usus, & dominantes hostes expulit, & perditas provincias in pristinam faciem reformavit, seditione tamen militum interfectus est. Aemilianus apud Moguntiacum, cum res novas moliretur, oppressus est. Post mortem Postumi Marius ibidem invasit imperium, sed continuo interfectus est. Aelianum significari illud arguit, quod nomen inter Galliae tyrannos numeratur, atque apud Moguntiacum res novas molitus dicitur. Auctor Epitomes cap. 32. *Pari modo Aelianus apud Moguntiacum dominatum invasere.* Idem innuit ipse Victor Aurelius, atque Eutropius lib. 9. cap. 9. Fuit, scio, per id tempus Aemilianus tyrannus, verum non is in Gallia res, sed in Aegypto turbavit, de quo in eadem Epitome: *Aelianus apud Moguntiacum, in Aegypto Aemilianus, apud Macedonas Valens, Mediolani Aureolus dominatum invasere*, de eodem Trebellius cap. 22. & Nummus

IMP. CAES. AEMILIANVS P. F. AVG. ADVENTVS AEGYPT.

Ordinem successorum turbavit Pollio, quod Marium Victorinis subjungit, quibus prior fuit, testibus Eutropio, Aurelio, nec non Orosio. In eo autem secum pugnat, quod cum in hoc capite, tum in ordinandis per caetera capita tyrannis, priorem Victorino ponit Lollianum, id est, L. Aelianum, at vero in aliis locis Victorinum non tantum Aeliano anteponit, sed & una cum Postumo imperium tenuisse scribit: In Gallien. cap. 7. *Et quum multis auxiliis Postumus juvaretur Celticis & Francicis, in bellum cum Victorino* (id est, comite ac socio belli) *processit, cum quo imperium participaverat.* Vides Victorinum in belli atque in imperii societatem vocatum a Postumo. Atque in. Tyrann. cap. 6. *Postumus senior cum videret, multis se Gallieni viribus peti, atque auxilium non modo militum, atque alterius principis necessarium, Victorinum militaris industriae virum, in participatum vocavit imperii, & cum eodem contra Gallienum conflixit.* Sed rursus animadverte ἀβλεψίαν, oblivionem, & inconsiderantiam nostri, qui ante Postumo Victorinum imperii consortem dederat in hoc capite, quo eum Aeliano successorem dederat, inter Tyrannos Galliae & Postumi successores a Victoria datos omittit. Ita namque: *quae* Victoria *primum in Marium, deinde in Tetricum atque ejus filium contulisset imperia.*

(2) *Quum jam nutante Gallieni luxuria in veterem statum Romanum reformasset imperium.* Ita codices omnes, & tamen ratio postulat *nutant*, quod dudum monitum Casaubono.

(3) *De suis viribus.* Miram hanc dicit lectionem Casaubonus, nec nego, sed similes ei complures, festinationis praeproperae & indiligentiae testes. Hoc significavit noster, Aelianum virium & potentiae suae auctoritatem minorem habuisse, id est, auctoritatem ejus minorem fuisse majestate imperii, quod habebat, & exercituum robore. Sic vires pro potentia, potestate, exercitu, in Tyrann. cap. 6. *Postumus senior cum videret multis se Gallieni viribus peti.* Locutio haec, *auctoritatem de viribus tenere*, facta ad imitationem hujus, *de suo habere.* Nisi mavis, *auctoritatem de viribus* idem esse, quod auctoritas virium. Ovid. ex Ponto lib. 4. ep. 13. 24. *laudes Caesare* & Medicam. fac. 84. *Adjice de flavis Attica mella favis.*

(4) *Victorinae vel Victoriae.* De hac ambiguitate, Victorinam an Victoriam nominet, deinceps dicemus cap. 31.

(5) *Mater Castrorum.* vid. cap. 31.

ipſa per ſe fugiens tanti ponderis molem (6), primum in Marium, deinde in Tetricum, atque ejus filium contuliſſet imperia. Et Lollianus quidem nonnihilum reip. profuit (7). Nam pleraſque Galliae civitates, nonnulla etiam caſtra, quae Poſtumus per ſeptem annos in ſolo Barbarico aedificaverat, quaeque interfecto Poſtumo ſubita irruptione Germanorum & direpta fuerant & incenſa, in ſtatum veterem reformavit. Deinde a ſuis militibus, quod in labore nimius eſſet, occiſus eſt. Ita Gallieno perdente rempublicam, in Gallia primum Poſtumus, deinde Lollianus, Victorinus deinceps, poſtremo Tetricus (nam de Mario nihil dicimus) adſertores Romani nominis exſtiterunt; quos omnes datos divinitus credo, ne, quum illa peſtis inaudita luxuria impediretur, in aliis (8) poſſidendi Romanum ſolum Germanis daretur facultas. Qui, ſi eo genere tunc evaſiſſent (9) quo Gotthi & Perſae, conſentientibus in Romano ſolo gentibus, venerabile hoc Romani nominis finitum eſſet imperium. Lolliani autem vita in multis obſcura eſt (10) ut ipſius

(6) *Tanti ponderis molem.* Quam molem, cujus ponderis dicit? An Auguſtae? At vero dignitatis hoc nomen eſt, non imperii, quo nomine honoratae ſunt cognatae Imperatoris, mater, ſoror, uxor, quae nullam imperii partem adminiſtrabant. Credo tamen, molem imperii ſignificari.

(7) *Nonnihilum reipublicae profuit.* Imo vero ſpatium ei defuit, quo minus prodeſſe poſſet. Nam in ipſo paene conatu oppreſſus eſt. Oroſius lib 7. cap. 22. *Aemilianus* (imo Aelianus) *apud Moguntiacum cum res novas moliretur, oppreſſus eſt.* Idem ſignificare videtur Victor cap. 33. Verum ais, in Nummo Aeliani eſt VICTORIA AVG. non nego. Sed & idem titulus in Nummo Marii, quem conſtat, non totum triduum imperaſſe. Victoriam intellige eam, qua imperium eſt adeptus.

(8) *Ne, quum illa peſtis inaudita luxuria impediretur, in aliis.* Conjungenda haec puto *impediretur in aliis.* Gallienus dicitur peſtis inaudita luxuria, eum dicit, cum Germani Galliam diriperent hoſtiliter, ſecurum fuiſſe, atque in rebus non Gallicis, ſed aliis, fuiſſe occupatum. Quid ſi *aleis* legas. Aleae enim conveniunt diſſolutis & nepotibus. Salmaſius, qui in codice Palatino invenit *malis*, hinc reſcribit *inauditae luxuriae impediretur malis*, quod non diſplicet.

(9) *Qui ſi eo genere tunc evaſiſſent.* Miſere balbutit Trebellius. Si quid video, hoc voluit. Periturum fuiſſe imperium Romanum, ſi Germani, Gothi, Perſae, qui ſub idem tempus Romanos invaſerunt, ſociaſſent arma, & junctis viribus Romanos oppugnaſſent. Illud certe ſignificat, ſi ita legatur. *Qui ſi eo* (id eſt, eouſque atque in eundem locum) *ſcelere* (editum eſt *genere. Scelus* appellat bellum a Germanis injuſte illatum) *evaſiſſent* (id eſt, perveniſſent) *quo* (id eſt, quo uſque) *Gothi & Perſae, conſentientibus in Romanos olim* (editum eſt *in Romano ſolo*) *gentibus* (*gentes* dicit more Romano Barbaros, id eſt, habitantes ultra limites imperii Romani) *venerabile hoc Romani nominis finitum eſſet imperium.* Gothos per id tempus repreſſit Claudius, Perſas Odenathus. Aliter locum hunc tentat Caſaubonus.

(10) *Lolliani autem vita in multis obſcura eſt*, &c Multa ad hunc locum Salmaſius, obſcuriſſimus enim eſt, lego & diſtinguo eum hoc modo. *Lolliani autem vita*

ipsius Postumi, sed privata virtute clari, non nobilitatis pondere vixerunt.

vita in multis obscura est, ut ipsius Postumi, sed privata. Virtute enim clari, non nobilitatis pondere, vixerunt. Addidi *enim* ex codice Palatino. Postumi & Aeliani vita privata obscura est, quod ignoratur quid illi ignobili genere nati ante gesserunt, quam Imperatores sunt facti.

TREBELLIUS POLLIO

DE VICTORINO V.

CAPUT VI.

Postumus senior cum videret multis se Gallieni viribus peti, atque auxilium non solum militum, verum etiam alterius Principis necessarium, Victorinum militaris industriae Virum in participatum vocavit imperii (1) & cum eodem contra Gallienum conflixit. Quumque adhibitis ingentibus Germanorum auxiliis, diu bella traxissent, victi sunt. Tunc interfecto etiam (2) Lolliano, solus Victorinus in imperio remansit (3) qui & ipse, quod matrimoniis militum & militarium (4) corrumpendis operam daret, a quodam actua-

(1) *In participatum vocavit imperii.* Hoc nullus praeter Trebellium, qui & ipse sibi adversus, ut ante ostendi. Nec cogitavit Trebellius, cum hoc scriberet, id quod mox ex Ateriano docet, Victorinum Postumo juniori successisse. Nam si Postumo filio demum successit, non imperium cum patre ejus participavit, si autem particeps imperii Postumiani fuit Victorinus, qui, quaeso, factum, ut nulli nummi, nec Postumi, nec Victorini participatus ejus (utor verbo Trebellii) meminerint? Cujus meminissent, si Imperatorum Romanorum more, in nummis, non AVG. sed AVGG. sculpsissent. De participatu eo Victorini Trebellius de Gallienis duobus cap. 7. Sed tam obscure, ut nescias, Gallieni an Postumi particeps fuerit. *Contra Postumum igitur Gallienus cum Aureolo & Clodio Duce, qui postea imperium obtinuit, Principe generis Constantini Caesaris nostri, bellum incepit & cum multis auxiliis Postumus juvaretur Celticis ac Francicis, in bellum cum Victorino processit, cum quo imperium participaverat.*

(2) *Etiam.* Qui ergo alii interfecti? Postumus pater & filius, de quorum nece supra dixerat cap. 4. memoria ergo egregie valeat, & e longinquo dicta repetere sciat, qui Trebellium legit, oportet.

(3) *In imperio remansit.* Cujus imperii particeps fuerat. Si Trebellio credimus hoc loco, alibi aliud docet.

(4) *Militum & militarium.* Militares sunt emeritis stipendiis milites. *Vid. Salmas.* Matrimonia pro uxoribus dixit, ut alii, ita & in hoc epitaphio in Maffeji Antiq. Gallic. pag. 76.

Debita conjugio Apelles pia carmina scribit,
Quam rapuit mors inimica viro.

actuario (5) cujus uxorem ſtupraverat, compoſita factione Agrippinae percuſſus, Victorino filio Caeſare (6), a matre Victorina, ſive

(5) *Actuario* Actuarii qui fuerint, docuerunt dudum Antiquitatum Romanarum concinnatores, qui & Paeanii ignorantiam notarunt, exiſtimantis, proprium illud ſervi nomen fuiſſe. Credo turbatum illum Paeanium diverſa lectione Codicum Eutropii, in quibus *Actarius*, *Acturius*, *Octuarius*, *Aucturius*, *Centerius*, *Attilius* Varietas haec orta ex proprio nomine hujus actuarii, quod Attitianus fuit. Quare ſcriptum fuiſſe ab Eutropio reor, *Attitiano actuario quodam*.

(6) *Filio Caeſare*. Non Caeſar tantum, ſed & Auguſtus dictus eſt filius Victorinus, ſi verus hic nummus eſt, quem Triſtanus edidit, in cujus altera parte eſt:

VICTORINVS AVG.

in altera:

IMP. C. L. A. VICTORINVS AVG.

Capita in nummo ibidem duo ſunt, quorum alterum patris, alterum filii eſſe creditur. Verum multa ſunt, quae perſuadent, confictum eſſe hunc Nummum. In quibus praecipuum illud, quod alius nummus nullus, in quo AVGG quod perpetuum ſignum duorum Imperatorum. Accedit, quod Trebellius hoc loco eum ſtatim, ut Caeſar eſt dictus, interfectum ſcribit. Idem repetit cap. 7. *& a patre & ab avia ſub eadem hora, qua Victorinus interemtus, Caeſar nuncupatus eſt, & ſtatim a militibus occiſus* Nullum ergo intervallum fuit, quo aut Caeſaris, aut Auguſti nomen Nummo aut formae Nummi inderetur. Nec eſt, quod a Victoria avia aut Tetrico nummum percuſſum poſt mortem dicemus. Nam nullum habent ejus rei indicium. Scio, eſſe tales, qui poſt mortem Victorinorum facti, ſed in iis aquila eſt, eſt etiam nomen CONSECRATIO; Nummum Goltzianum, in quo

L. AVREL. VICTORINVS CAES. PRINC. IVVENT.

ex Trebellio confictum puto, ex quo plures Tyrannorum nummi ſuppoſiti, ut Poſtumi utriusque, Juniae Donatiae Victorinae. Nummi, quos Fr. Mediobarbus atque alii ad Juniorem Victorinum referunt, Victorino patri debentur, ſi a paucis diſcedas, qui impoſtoribus debentur.

Nomina Victorini Patris omnia hic Nummus habet.

IMP. C. M. PIAVVONIVS VICTORINVS P. F. AVG.

In lapide vetuſto, quem in regione Armorica inventum miſerat Bimardus, edidit Murator. Inſcr. CDLXI. 1. Piavonius eſt.

IMP. CAES - - - -
AVONIO VICTORINO
PPPIS. - - - - - - -
LEVC. - - -

Pleraeque litterae perierant. Ad Victorinum Imperatorem refertur & aeneae tabulae fragmentum quod Smetius pater exhibet in Oppido Batavorum pag. 55.

\. ET. DEI - -
ORTVNA PERI
L. VI CTORINVS
EGIS. SVPRA . -
QVERI. EXHI
GI. VRBIS. SI
VIS. AC

Verum cum nullum Imperatorii nominis indicium praeferat haec tabula, dubito, eam Piavonii Victorini eſſe. Alios enim Victorinos in hac provincia fuiſſe certum eſt. Fuit certe Commodi Imp. tempore τῆς Γερμανίας ἄρχων, de quo Dion Caſſius lib. 72. pag. 822 Extat Bergendalae in agro Clivenſi hic arae titulus, quem ipſe deſcripſi

I. O. M.

five Victoria, quae mater Castrorum dicta est, appellato, qui & ipse puerulus, statim est interemtus, quum apud Agrippinam (7), pater ejus esset occisus. De hoc quod fortissimus fuerit, & praeter libidinem optimus Imperator, a multis multa sunt dicta. Sed satis credimus Julii Ateriani partem libri cujusdam ponere, in quo de Victorino sic loquitur. Victorino, qui Gallias post Junium Postumum (8) rexit, neminem existimo praeferendum. Non in virtute Trajanum, non Antoninum in clementia, non in gravitate Nervam, non in gubernando aerario Vespasianum, non in censura totius vitae ac severitate militari, Pertinacem vel Severum. Sed omnia haec libido & cupiditas mulierariae voluptatis sic perdidit, ut nemo audeat virtutes ejus in litteras mittere (9), quem constat om-

I. O. M
T. CRANIV
VICTORI
NVS
OPTIO VSL
M.

Inscriptionem hanc mutilatam dedit Muratorius MCMLXXVII. 10 pleniorem DCCCXIX. 1. & Cuper. in Harpocr. pag. 228. Reperiuntur opera dolcaria Victorini, in iis, quae Noviomagi invenit Smetius. vid. Antiq. Neomag. 167.

(7) *Apud Agrippinam*, id est, Agrippinae, quare Eutropius lib. 9. cap. 9. *Agrippinae occisus est*, atque ita Aurel. Victor cap. 33. Sic in Tyrann. cap 31. *apud Treveros.* Idem in Gallienis duob cap. 4. *Aemilianus apud Aegyptum sumsit imperium*, & cap. 11. *apud Athenas ἄρχων erat.* atque in Probo cap. 3. *apud Aegyptum vita functus est.* Joannes Vorstius Linguae Latinae scientissimus in Notis ad Sulpic. Histor. Sacram lib. 2. cap. 11. scribit, aequalibus Sulpicii Severi hanc propriam fuisse locutionem, verum communis ea fuit antiquioribus. Suetonio namque & Tacito ea familiaris fuit, imo & superioribus. Frequens est Comicis *apud forum.*

(8) *Junium Postumum.* Omnes censent, hunc Postumum filium fuisse, si quidem Pater, ut ex Nummis constat, Cassianius Latinius fuit dictus. Haec autem opinio locum fraudulentis hominibus dedit fingendi nummum, in quo *Junius Postumus*, & *Julius Postumus*, nam quae lectionis diversitas in membranis antiquis est, eadem in nummis deprenditur, id quod dolum facile prodit, ut ante docui. Si Postumum filium hic significari crederem, scriptum fuisse opinarer *Jun. Postumum*, contenderemque, cum Juniorem arguat, id per errorem in Junium transiisse, sic paullo ante Postumus pater senior est dictus a Trebellio. Ab Ateriano Postumus is designatur, post quem Victorinus Gallias rexit. Postumum hunc juniorem crederem, si patri is superstes fuisset; at vero, si Trebellio fides, eo tempore, quo pater occisus, filius quoque interiit. Quia autem pater filio longe nobilior fuit, cum cogitasse Aterianus censendus est. Aterianus autem in eo lapsus, quod Junium dixit, sed haec titubatio excusanda in tanta nominum multitudine, quorum nonnulla vix amicioribus nota fuerunt. Ariadnes, mehercle, filo opus est in retexendis tot erroribus. Qui optime conjectaverit, is vates optimus erit

(9) *Ut nemo audeat virtutes ejus in litteras mittere* Quia projectior in libidinem fuit Victorinus, non Aterianus, non Trebellius Pollio, non alii, ausi fuerunt praedicare virtutes ejus. Apage autem religionem hominum miseram, atque ineptam, si tamen praeter Aterianum & Pollionem unus tam ineptus fuit. Velim scire, quid de Hercule suo, de Jove, deque aliis Diis suis censuerint isti. Aut,

si

omnium judicio meruisse puniri. Ergo cum id judicii de Victorino scriptores habuerint, satis mihi videor de ejus dixisse moribus.

si fabulas nolunt, quid de Alcibiade & Julio Caesare? quos omnium mulierum viros, & omnium virorum mulieres dixit antiquitas. De Victorini Nummis in Brabantia repertis vide Burmanni Syllogen Epistolarum, Tom. I. pag. 649.

TREBELLIUS POLLIO

DE VICTORINO JUNIORE.

CAPUT VII.

De hoc nihil amplius in litteras est relatum, quam, quod nepos Victoriae, Victorini filius fuit, & a patre, vel ab avia (1) sub eadem hora (2), qua Victorinus interemtus, Caesar nuncupatus est, ac statim a militibus ira occisus (3). Exstant denique sepulchra apud Agrippinam, brevi marmore impressa, humilia, in quibus unus est inscriptus (4), HIC DVO TYRANNI VICTORINI SITI SVNT.

TRE-

(1) *Vel ab avia.* Ita in libris scriptis, editi vero *& ab avia.* *Vel* autem pro *&* usitatum satis Trebellii aevo. Capite superiore ab avia nominatum Caesarem scribit. Sed solet variare noster.

(2) *Sub eadem hora, qua interemtus est.* Si tum demum, cum moreretur, Caesar est dictus, quo quaeso tempore Augustus est appellatus, quo nomine in Nummis insignitur? Aut ergo Trebellius fallit, aut Nummi. Imo vero non Nummi, sed homines improbi, qui avaritia ducti Nummos falsos procuderunt.

(3) *Ira occisus.* Ita in Palatino; quem sequitur Gruterus. In aliis est *ita.* Equidem malo *una*, id est, simul.

(4) *Exstant denique sepulchra circa Agrippinam brevi marmore, impressa humilia, in quibus unus est inscriptus.* Multa accumulat Pollio, ut ostendat vilem & plebejam sepulturam Victorinorum. Sepulchra nominat, utrique ergo Victorino sepulchrum suum fuit, sed parvum, impulsum (ita legendum) humile, uno titulo. Nobiliorum sepulchra multa columbaria habuerunt, id est, ollarum receptacula, imposito aedificio, quaeque olla suum titulum, sive suam inscriptionem. De columbariis vide Fabret. Syntagm. Inscript. cap. 1. qui & pag. 10. 12. eorum formas exhibet. Fuerunt Victorinorum brevi marmore. Breve exiguum notat, dixi ad Avian. fab. 38 pag. 212. & in Dissertat. cap. 21. Sed num plebeja haec sepulchra ex marmore? Non conveniciis marmor, nisi dicas pro quovis lapide positum. In Italia & Graecia, ubi nativum marmor, non nisi ditiorum fuerunt ex marmore sepulchra. Vidi lapides multos ad Rhenum erutos prisci aevi, sed nullum marmor. Impulsa dicit, quae impluebantur, & sine tecto aut aedificio erant. Verbum pluere cum compositis suis active, passiveque dici, dudum osten-

dit

dit Sanctius in Minerva, lib. 3. cap. 1. & cap. 3. unde compluia, impluta, Nonius *implaviatus color, quasi fumato stillicidio impluttus.* Notat Salmasius, in Codice Palatino repertum fuisse *implessa* pro *impressa*, sed alia manu adscriptum fuisse *implussa*, sed quid id sit, fatetur se ignorare. Mihi autem implussum idem videtur quod implutum. Nam ut est a luo, lutum, lusum & luxum, a fluo, flusum, flussum & fluxum, a caveo cautum, causum, & caussum, unde caussa, cui cavent jurisconsulti, sic ab impluo, implutum & implussum, ut autem nautae compluti apud Solin. cap. 10. in quos compluebatur, sic loca implussa, in quae impluebatur. Addit *humilia*, id est, non aedificio exstructo, aut tumulo ad gesto educta, quibus surgebant beatiorum hominum sepulchra. Sequitur, *in quibus unus est inscriptus*. Vox *titulus* aut a Trebellio festinante, aut a librario est in his omissa. Casaubonus utique eam vocem requirit. Quid? si *inscriptus* substantive a Trebellio positum dicamus pro inscriptione? Mihi id verius videtur, nam & similiter ante cap. 6. *participatus* substantive. Cuique sepulchro suus cippus ponebatur, in quo cippo haud raro plurium nomina, qui eodem sepulchro erant conditi, insculpta. Duobus autem sepulchris unum lapidem aut cippum consecrare, pauperculorum erat, atque extremae caveae hominum. Idem Casaubonus id significari putat, duobus sepulchris unum eundemque fuisse titulum. Sed anne sic dicendum fuerat: Hic Victorinus situs. Quod ad ipsum titulum attinet, qui ita habet: HIC DVO VICTORINI TYRANNI SITI SVNT: admodum is insuetus, nam ut nomina mittam, quae in lapidibus adjici solent, anne & is desideratur, a quo lapis positus. Sed desino in singula inquirere. Unum illud quaero, qui factum, ut tam exile, tam despectum monumentum fuerit positum. Qui factum, ut in eo tyranni appellentur? Illis occisis superstes fuit mater Victoria, opibus & gratia apud Senatum, apud exercitum pollens. Superstes fuit Tetricus, Victoriae auxilio Imperator factus. Quis credat, iis neglectos fuisse Victorinorum manes, ut indigna sepultura contemerarint. Quaero deinde, quis eos Tyrannos dixerit in sepulchro? Scio, hoc nomine designasse eos Gallienum. Sed sepulchrum in Gallia fuit ad Agrippinam, in qua Gallia nullum jus Gallieno In Gallia autem optimo jure Imperator fuit habitus & dictus. Leve est, quod Casaubonus ad hunc locum annotat, Victorinos sepulchro humiliore donatos, quod ita soleant Tyranni, adlato Aureoli exemplo, de quo noster de XXX. Tyran. cap. 11. Quis autem humile illud sepulchrum dedit Aureolo? Nempe Claudius hostis & victor. Quis autem Victorino? aut mater, aut amicissimus Tetricus, atque is, qui Victorinum inter Deos retulit. Eum autem inter Deos relatum, hic nummus docet:

DIVO VICTORINO
CONSECRATIO

Cognosce immensos consecrationis sumtus & divinos honores, quos narrat Herodianus lib. 4. cap. 2. & crede Trebellio narranti, si potes, Victorinum consecratum humili atque implusso sepulchro fuisse abditum. Vides, quam absona, quam absurda narraverit Trebellius, quae fidem inveniant (ut fidem invenerunt, quod haud postremo loco inter Historiae Augustae Scriptores est repositus) nisi monumentorum certissimorum auctoritate refellantur. Verum quo dilucidius appareat, quid de inscriptionibus censendum, quas noster profert, intueamur eam, quam Valeriani Junioris sepulchro insculptam dicit. De illa ita Pollio noster in ejus vita. Et quoniam scio, errare plerosque, qui Valeriani Imperatoris titulum in sepulchro legentes, illius Valeriani redditum putant corpus, qui a Persis est captus: ne ullus error obrepat, mittendum in litteras censui, hunc Valerianum circa Mediolanum sepultum, *addito titulo Claudii jussu, Valerianus Imperator.* An haec sola duo nomina lapidi insculpta sunt? An eo, quo proponit ordine? Sed quis simile sepulchrum hominis plebeji vidit, nedum Augusti? Non persequor omnia, quae plerumque addi solent in sepulchris, ut D. M. Defuncti nomina omnia, honores gesti, anni vitae, nomen ejus, qui lapi-

lapidem posuit, atque alia pro loco & conditione mortui diversa. Deinde quis hoc ordine Imperatorem in cippo, aut alio marmore vidit *Valerianus Imperator*. Anne in iis omnibus vox IMP. praemittitur? Historici nonnunquam, atque Oratores subjiciunt, at vero monumenta honori exstructa, nusquam. Idque observatum ex instituto Julii Caesaris, de quo Sueton. in ejus vita cap. 76. *Non enim honores modo nimios recepit, ut continuum Consulatum, perpetuam Dictaturam praefecturamque morum, insuper praenomen Imperatoris.* Scio, postponi nonnunquam in titulis Imperatorum, sed eo significatu, qui huc nihil pertinet. Verba haec, *addito titulo Claudii jussu*, id, credo, volunt, Claudii, qui, occiso Gallieno, Imperator est factus, jussu, hunc lapidem Valeriano positum. Quod item nescio quid insueti habet. Multa sunt monumenta jussu posita, sed omnia jussu defuncti. Miror, non meminisse hujus tituli Nostrum, in Gallienis duobus cap. 14. ubi id agit, ut doceat, Valerianum priorem, id est, Valeriani filium, Gallieni fratrem, Imperatorem sive Augustum fuisse. Quid enim ad eum honorem Valeriano huic adserendum, manifestius sepulchrali illo monumento? maluit tamen hic ex Fastis eum ostendere, sed ita, ut satis appareat, eum nusquam fere pedem, sine titubatione aut lapsu protulisse. Quaerit namque ibi, *quis enim alius potuit esse Valerianus, nisi Gallieni frater?* Verum quem quaeris Trebelli Valerianum, alium dabit tibi hoc marmor a Grutero publicatum pag. CCLXXV. 5.

P. LICINIO. SALONIN. VALE
RIANO. NOB. CAES. PRIN IVVEN
VALERIANI. AVG. NEPOTI
GALLIENI ET SALONINAE AVG
FILIO
MATER PIENTISSIMA

Fuerunt ergo non duo, sed tres Valeriani. Pater, Filius, Nepos. Ab usu vulgari recedit quoque illa statuae inscriptio in Gallieno Salonino cap. 1.

GALLIENO MINORI SALONINO

Multa enim desunt justo titulo. Fuerunt Gallieni filii duo Salonini, alter Saloninus Valerianus, alter Saloninus Gallienus dictus, quorum pleniora nomina ex Nummis petenda.

TREBELLIUS POLLIO

DE MARIO VII.

CAPUT VIII.

Victorino, Lolliano, & Postumo (1) interemtis, Marius ex fabro, ut dicitur (2), ferrario (3), triduo tantum (4) impera-

(1) *Victorino, Lolliano, & Postumo.* Inverso successionis ordine haec nomina posuit. De vero ordine dixi supra ad cap. 5. ubi de Lolliano, sive Aeliano.

(2) *Ut dicitur.* Solent alii ita, dubitantes. Sed auctor noster dubitare non potuit ex oratione ipsius fabri ferrarii.

(3) *Ex fabro ferrario imperavit.* Id est, ex sermone Nostri, ex fabro ferrario factus est Imperator.

(4) *Triduo tantum.* Aurelius Victor *post biduum.* Eutropius lib. 9. cap. 9. eum alte-

ravit. De hoc quid amplius requiratur (5) ignoro, nisi quod eum insigniorem brevissimum fecit imperium. Nam ut Consul ille, qui sex pomeridianis horis consulatum suffectus tenuit, a M. Tullio tali adspersus est joco: Consulem habuimus, tam severum (6) tamque

altero die interfectum scribit, unde Paeanius, *καὶ μίαν κρατήσας ἡμέραν τῆς ὑστεραίας ἀνῃρέθη.* Id quod propterea addo, quia Tristano, Patino, Havercampo diutius regnasse videtur, quod multi ac diversa nota Nummi ejus circumferuntur, in quibus ita:

IMP. C. MARIUS P. F. AVG
CONCORDIA MILITVM

&

IMP. C AVR. MARIVS AVG
VICTORIA AVG

ut &

IMP. C. M. AVR MARIVS P. F. AVG
SAEC. FELICITAS.

nec non

IMP. C. M. AVR. MARIVS P. F. AVG
VIRTVS AVG.

Sed soliti Imperatores novi primam curam monetae habere, missisque nunciis confestim nummos per provincias vultu suo insignitos cudi jubebant. De Procopio, qui Valentiniani & Valentis tempore tyrannidem invasit, Ammianus Marcell. lib. 26. Adjungit *his aliud veloci diligentia maturandum & electi quidam stoliditate praecipites ad capessendum Illyricum missi sunt, nullo praeter petulantiam adjumento confisi, aureos scilicet nummos effigiatos in vultum novi principis, aliaque ad illecebras aptantes: quos correptos Aequitius per eas regiones militum rector exstinxit, genere diverso poenarum.* De Rufino Claudianus in Rufinum lib. 2. v. 336.

Tandem Rufini visurus funera Titan,
Prosiluit stratis, densaeque capacia turbae
Atria regifico jussit splendere paratu,
Exceptura dapes & ,quod post vota daretur,
Inscribi propriis aurum fatale figuris.

Quae & caussa est, cur omnium tyrannorum, nec tantum eorum, qui gesserunt imperium, sed & qui moliti sunt, forte & qui cogitarunt, circumferantur Nummi. Imo plures Augustos ex Nummis novimus, quam ex Annalibus, in quorum numero Do. Phonanus & Nivianus p. f. Aug. de quibus Jo. Georg. Eccardus in Epistola de Nummis quibusdam explicatu difficilioribus, sed inter contorniatos Nummos, quos dixi, haud difficulter tribues ambitioni hominis, si de eo Mario acceperis, quod Aurel. Victor cap. 39. Hinc *Marius patrum memoria, hinc iste nostra communem habitum supergressi, dum animus potentiae expers, tanquam inedia refecti, insatiabilis est.* In Nummis autem, quos dedi, nihil est, quod non imperii ejus auspiciis recte accommodes. Eam militum concordiam, saeculi felicitatem, Augusti virtutem & Victoriam intellige, non qua gessit, sed qua confecutus est imperium, adde quae supra de L. Aeliani Victoria Nummo prodita.

(5) *Quid amplius requiratur?* Anne convenientius *referatur*? ita sentio. Sed scripsisse id nostrum, non ausim affirmare.

(6) *Consulem habuimus tam severum.* Ex hoc loco de veritate Trebellii in tradendis scriptorum verbis statuere licebit. Quis non existimet, dictum se, & verba Ciceronis legere? At vide, quam longe ab iis deflectat noster, & alienissima referat. Verba Ciceronis sunt, Famil. 7. ep. 30. *Caninio*, inquit, *consule, scito, neminem prandisse. Nihil tamen eo Consule mali factum est. Fuit enim mirifica vigilantia, qui suo toto consulatu somnum non viderit.* Macrobius Saturnal. 2. cap. 3. joci partem proponit ita; *vigilantem habemus Consulem Caninium* Animadverte autem, quibus cincinnis, & si dicere licet, quod ipsa res flagitat, quam mirifice ineptis, ea insuerit Pollio Noster. *Consulem habuimus tam severum tamque censorium, ut in ejus Magistratu nemo pranderit, nemo cae-*

que censorium, ut in ejus magistratu, nemo pranderit, nemo coenaverit, nemo dormierit. De hoc etiam dici posse videtur: qui una die factus est Imperator, alia die visus est imperare, tertia interemtus est. Et vir quidem strenuus, ac militaribus usque ad imperium gradibus evectus est. Quem plerique Mamurium, nonnulli Vecturium (7), opificem utpote ferrarium, nuncuparunt. Sed de hoc nimis multa: de quo illud addidisse satis est, nullius manus vel ad feriendum, vel ad impellendum fortiores fuisse, quum in digitis nervos videretur habuisse, non venas. Nam & carra venientia digito salutari repulisse dicitur, & fortissimos quosque uno digito sic adflixisse, ut quasi ligni, vel ferri obtusioris

caenaverit, nemo dormierit. Tuam fidem Trebelli, an nemo coenavit, nemo dormiit Caninio Consule? Hora septima, ut Cicero in eadem epistola testatur, renunciatus est consul Caninius, caenabatur hora nona. Martialis est hoc lib. 4. epigramm. 8.

Imperat exstructos frangere nona toros.

Mansitque Consulatus ejus ad mediam noctem. Quacirca dicendum est, Romanos omnes, qui quidem hora sueta caenam sumserunt, coenasse. At vero cui verisimile fiet, neminem eorum ante mediam noctem dormiisse? Ipsum Caninium non dormiisse, ex Ciceronis dicto intelligimus, quod & quisque per se intelligit, quod vacabat ille officiis amicorum & clientum, quibus festinandum fuit, ne ante adventum consulatu abiret, ut in eadem caussa jocatus est Cicero. Utrum autem inde ab hora VII sex horae diem civilem impleverint, investigare non libet, dudum enim poenitet ineptiarum.

(7) *Quem plerique Mamurium, nonnulli Vecturium.* Mamurius Veturius dictus fuit fabricator anciliorum Romae, quae a Saliis sacerdotibus Martis portabantur, vide Festi Schedas Farnesianas. *Formae caelatorem ahenae* nominat Propertius lib. 4. el. 2. v. 61. Adde Ovid. Fastor. lib. 3 v. 383 atque alios. Utrum *Veturius*, id quod apud Festum est, an Vecturius, quod Trebellio placuit, scribatur rectius, dubitari queat, nisi Varro. . . . . Veturium a vetere dictum putaret, is enim Veturium Mamurium veterem memoriam significare scribit. Forte tamen milites, lepidum genus, joci suavitatem augeri crediderunt, si a vecte (fuerunt autem vectes etiam e ferro) Vecturium dicerent. Hoc tamen dicendum fuisse Romae Veturios & Vecturios, ejusdem ut arbitros gentis, nam & sic Atii, Attii, & Antii sunt appellati. Illud praeterea observandum, Mamurium Fabrum ferrarium dici, unde intelligimus, ex ferro fuisse ancilia Romae. Aeneas arguit Propertius, versu, quem ante protulimus, sed aes pro quovis metallo usurparunt Poetae, praecipue pro ferro. Circa nomina Mamurii & Marii titubatum fuisse ab Aurelii Victoris librariis putem. Ita namque is de hoc Mario. *Hinc denique jocularier dictum, nequaquam mirum videri, si rem Romanam Marius reficere contenderet, quam Marius ejusdem artis auctor stirpisque ac nominis solidavisset.* Marium Jugurthae & Cimbrorum victorem, opificem ferrarium fuisse, nemo veterum prodidit. Mamurium fuisse, certum est. Nihil ultra desiderem, si quis ita verba Aurelii legat: *quam Mamurius ejusdem artis, Marius auctor stirpisque ac nominis solidavisset.* Ab eodem Mamurio Mamurrae nomen militari joco inditum puto illi fabrorum praefecto, cui mirifice favit Julius Caesar, notatus inde mordacissimo Catulli carmine, forte & ab eodem opificio nomen habuit Mamurianus iste, quem acri sale defricuit Martialis lib. 1. epigr. 93.

ris (8) ictu percussi dolerent. Multa duorum digitorum allisione contrivit. Occisus est a quodam milite, qui quum ejus quondam operarius in fabrili officina fuisset, contemtus est ab eodem, vel quum duxisset (9), vel quum imperium cepisset. Addidisse haec verba dicitur interemtor. Hic est gladius, quem ipse fecisti. Hujus concio prima talis fuisse dicitur. Scio, commilitones, posse mihi objici artem pristinam, cujus mihi omnes testes estis. Sed dicat quisque quod vult, utinam semper ferrum exerceam. Non vino, non floribus, non mulierculis, non popinis, ut facit Gallienus, indignus patre suo & sui generis nobilitate, depeream. Ars mihi objiciatur ferraria, dum me & exterae gentes ferrum (10) tractasse (11) suis cladibus recognoscant in Italia (12). Denique ut omnis Alemannia, omnisque Germania cum caeteris, quae adjacent, gentibus Romanum populum ferratam putent gentem, ut specialiter in nobis ferrum timeant. Vos tamen cogitetis velim, fecisse vos Principem, qui nunquam quicquam scierit tractare, nisi ferrum. Quod idcirco dico, quia scio, mihi a luxuriosissima illa peste (13) ni-

(8) *Ferri obtusioris.* Obtusioris addit, quia, si obtusum non sit ferrum, ictus secat, non pulsat.

(9) *Vel quum duxisset. Vel* pro *&* frequens est cadentis Latinitatis scriptoribus: sic ante, *Duxisset*, id est, ducatum gessisset. Non autem ex officina ferraria mox ad imperium evectus est Marius, sed militaribus gradibus, ut modo docuit Noster, productus est. Casaubonus & Salmasius legere malunt, *Dux esset.*

(10) *Nisi ferrum.* Digna vox haec majestate Imperantis. Imo vero digna homine ferrato, & ferrario.

(11) *Tractasse.* Haec vox est Codicis Palatini, in aliis fuit *attrectasse.*

(12) *In Italia.* In quam per hoc tempus Alemanni irruperant. Aurel. Victor cap. 33 Eutropius lib. 9. cap. 8.

(13) *Luxuriosissima illa peste.* Gallieno, Laurentius Begerus in Thesaur. Brandenburg. Tom. 2. pag. 752. Marii illius fuisse putat hoc marmor Gruteri DXXXVI. 6.

M. MARIVS C. F. AVG
VIVVS SIBI ET C. MARIO
FRATRI

Sed ejus nihil convenit nisi nomen. Qui enim Marius Augustus Vilaci (quod Carinthiae oppidum est, in quo inventus lapis) lapidem ponat, qui tertio Imperii die ad Rhenum percussus est. Equidem Marium in lapide non Augustum, sed aut Augurem aut Augustalem significari puto. Dubitat Camdenus in Britannia pag. 638. ubi de Brigantibus, an ad Imperatorem Marium referat hoc MARII VICTORIAE, quod in triclinio Romani operis inventum Vix ambiguum mihi, quin ad eum pertineat gemma, quam Jacobus de Wilde exhibet in Select. Gemm. antiq. num. 123. in qua FIN. MARIVS. IMP. XXX. In medio fuscina est ex malleo, gladio, lituo composita. Verba rupta ita reficio. Finivit Marius Imperium, vel Imperator, vel finitus Marius Imperator. Finivit & finitus est, pro mortuus, exstinctus. Illud est apud Tacitum Annal. lib. 6. cap. 50. *Sic Tiberius finivit octavo & septuagesimo aetatis anno.* Justin. lib. 27. cap. ult. *Seleucus equo praecipitatus finitur.* ubi vid Graev. & Vorst. Trebell. de xxx. Tyrann. cap. 5. *Venerabile hoc Romani nominis finitum esset imperium.* Malleus

nihil opponi posse, nisi hoc, quod gladiorum, armorumque artifex fuerim.

leus & gladius apta fabro ferrario instrumenta, ca Marius lituo junxit, Imperator factus & Pontifex Maximus, lituus namque pontificatus fuit insigne. xxx. legionem trigesimam arguit, cujus insigne fuscina sive tridens, quod ipsa Neptunia cognominata per hoc tempus, unde Nummus Gallieni, in quo

GALLIENVS AVG
LEG. XXX. NEP. VI. F.

Adest in Nummo Neptunus, fuscinam dextra, laeva Delphinum praefert. Gemma Wildii 121. est, in qua FINIS OLINP. CLEOPA. in columna an ara, in qua anguis attollitur, & gladius, & gemma 128. FIN. POMP. VIII. AEGIP. VIC. CAES. in ara gladius. In illa caedes Olympiae & Cleopatrae designatur, in hac Pompeji; Cleopatrae finem anguis attulit, Olympiae & Pompejo, in Aegypto victore Caesare, gladius. Finis pro morte. Tacitus lib. 1. Annal. cap. 31. *Audito fine Augusti.* Plinius lib. 3. ep. 5. *A fine Aufidii Bassi. Dies finitionis* est apud Murator. Thesaur. Inscr. CIƆICXV. Suspicor, percussorem Marii militem fuisse legionis xxx. quae ad castra vetera, vel ad Trecensimam Coloniam in praesidiis fuit, non longe ergo remota ab Agrippinensi Colonia, in qua fuit domicilium imperii, ut ante monui.

TREBELLIUS POLLIO

DE TETRICO SENIORE XXIII.

CAPUT XXIV.

Interfecto Victorino & ejus filio, mater ejus Victoria sive Vitruvia (1) Tetricum Senatorem populi Romani (2), praesidatum in Gallia regentem (3), ad imperium hortata, quod ejus erat, ut ple-

(1) *Vitruvia* Ita dedi ex Codice Palatino. Alii habent *Victorina*. Cur Vitruviam maluerim, caussam deinceps aperiam.

(2) *Senatorem populi Romani.* Fuit Senator curiae Romanae, non Agrippinensis. De Senatu Agrippinensi dicam deinceps. Colligo id ex eo, quod Senatus Romanus Romae hunc Senatorem in triumphum duci conspicatus doluit. vid. Vopisc. in Aurelian. cap. 34. Fuit ergo ante Senator Romae Tetricus, quam in Galliam veniret.

(3) *Praesidatum in Gallia regentem.* Qualem regentem praesidatum, aut qualem praesidem intelligat, mox declarat, cum dicit eum *consularem, qui jure praesidiali omnes Gallias rexerat.* Non ignoro, fuisse consulares universae Galliae praepositos, sed extremum ordine fuisse Tetricum, non puto. Et quanto minora sunt, quae de ejus praesidatu alii. Omnes uno ore, praesidem Aquitaniae, quae tertia Galliae pars erat, fuisse scribunt. Eutropius lib. 9 cap. 10. *Huic* (Victorino, fallit Trebellius, qui Tetricum Mario suc-

cess

plerique loquuntur, affinis, Augustum appellari fecit, filiumque ejus Caesarem nuncupavit (4). Et quum multa Tetricus feliciter egis-

cessorem dat, successit enim Victorino) *successit Tetricus Senator, qui Aquitaniam honore praesidis administrans, a militibus Imperator electus est.* Aurelius Victor cap. 33. *Tetricum Imperatorem facit* (Victoria) *qui familia nobili praesidatu Aquitanos tuebatur.* Orosius lib. 7. cap. 22. *Huic* (Victorino) *successit Tetricus, qui tunc Aquitaniae praesidatus administrabat officium.* Praesidatum hunc a Postumo ei datum puto, qui Imperatorum Romanorum jure & more magistratus & provincias dedit.

(4) *Filiumque ejus Caesarem nuncupavit.* Ita quoque in cap. seq. puerulus a Victoria Caesar est appellatus. At vero in Nummis modo Caesar & Princeps juventutis, saepius tamen Augustus nominatur. Vopiscus quoque in Aurelian. cap. 34. a patre Imperatorem nuncupatum scribit. Tetricorum alter Pesuvius, alter Pivesius appellatus. Utrumque nomen in hoc Nummo.

IMP. PESV. TETRICVS AVG
PIVESIVS AVG

Ex Nummis illud dicas quoque, Pesuvium Patrem, Pevisium filium fuisse, quod illius os barbatum, hujus nudum. Sed intercedit hic lapis, Rothomagi repertus, qui in l'Histoire de l'Academie Royale. Tom. I. pag. 255.

C. P. . . . . ESVBIO TETRICO
NOBILISSIMO CAES.
. . . . .
P. F. . . A. AVG
L. I.

Verum cum ille admodum mutilatus sit, non est, cur iste nos moveat. Vide autem, in quem errorem induxerit viros doctos Sponius, qui in Miscell. Erudit. pag. 274. quasi expletis lacunis, litteras omnes commisit, tanquam si titulum integrum edat, in quo quis ferat illud *Ev-cato* NOBLISS. CAES. P. F. AUG. Id etiam prave, quod L. I. lapidem vel milliarium primum interpretatur, quum Leugam significet, qua in illa Galli parte viarum spatia metiebantur. Contra Tristanus, referente Reinesio, Syntagm. Inscr. Cl. 3. n. 45. pag. 320. aliter lacunas complanavit, sed nullis bonis avibus. Alii nummi sunt hac scriptura.

IMP. C. TETRICVS P. F. AVG

ut &

IMP. C. C. PESVVIVS TETRICVS AVG

ut &

PIVESIVS AVG

nec non

PIVESV TETRICVS SC

Sunt & C. PIVESVS TETRICVS CAES. Item C. PAC TETRICVS A. & C VIVESV TIPICVS CAES. nec non CIVES AVG. ut & C DIVIS TETRICVS & TRTRICVS ICAR. aliique illis corruptiores. Vitia autem illa edentium sint, an monetariorum, ii verius existimabunt, quibus eos Nummos manu versare contigit. Hoc mihi exploratum est, nonnullorum nummorum difficiliorem esse scripturam. Est & hic Nummus apud Bandurium.

IMP. TETRICVS P. F. AVG
IMP. CLAVD. AVG.

Qui arguit, Imperii consortium inter Tetricum & Claudium fuisse. De quo tamen nihil scriptores, credo, cusum esse eum Nummum a Tetrico, ut velificaretur gratiae Claudii. Th. Reinesius Syntagm. Inscr. Class. 3. n. 15. pag. 320 Tetrici nomen Germanicum dicit, atque ob id eum ex Germania ortum censet, sed caus-

egiſſet (5), diuque imperaſſet, ab Aureliano Principe victus. Quum militum ſuorum impudentiam & procacitatem ferre non poſſet, volens ſe graviſſimo Principi & ſeveriſſimo dedit. Verſus denique illius fertur, quem ſtatim ad Aurelianum ſcripſerat (6).

Eripe me his invicte malis.

Quare cum Aurelianus nihil ſimplex, neque mite aut tranquillum facile cogitaret, Senatorem populi Romani eundemque conſularem, qui jure praeſidiali omnes Gallias rexerat, per triumphum duxit (7) eodem tempore, quo & Zenobiam Odenathi uxorem, cum

cauſſam non addit, neque ullam eſſet pu to. Tetrici qui Latinis dicantur, notum eſt. Nonius *Tetrica*, *Severa*, Apponitque hoc Varronis. *An, etiamſi audiſſet, red dere potuiſſet mulieri tetricae, horrenti, ſed ducat ad Appiam* Ita vitiatae ſcripturae medendum reor. Eſt & Tetrici cognomen apud Murator. Theſaur. Inſcr. CLXVII. 4 Aurelius Tetricum familia nobili ortum ſcribit, haud dubie Romana. Fuit & in urbe eorum domus, atque ut conjcio, antiqua.

(5) *Feliciter egiſſet.* Forte Praeſes Aquitaniae feliciter egit, at vero quominus in imperio quidquam aut feliciter aut fortiter ageret, impeditum fuiſſe puto adſiduis ſeditionibus militum, unde acclamatio in Claud. cap. 3. *Tetricus nihil fecit*, ignavus fuit, atque ob id indignus imperio; quam lectionem non movendam arbitror, quam movit Caſaubonus, alio vertit Samaſius. *Diuque imperaſſet.* Nummus eſt Tetrici.

IMP. TETRICVS PIVS AVG
P. M. TR. P. III. COS. P. P

Nec puto, eum diutius regnaſſe, quam tres annos.

(6) *Quem ſtatim ad Aurelianum ſcripſerat.* Suſpicatur Caſaubonus, ſcripſiſſe noſtrum, *quem in eo ſtatu.* Sed *ſtatim* intellige, ut milites tumultuoſius agere coeperunt. Solet noſter ſentire plus quam ſcribere. Saepiusque ſententia ex re ipſa magis colligitur, quam ex verbis. Tumultuatos autem milites puto, cognito Aureliani, atrociſſimi hominis, conſilio, de quo Vopiſc. in ejus vita cap. 32. *atque ut erat ferox animi, cogitatione multus vehementer iraſcens, quod adhuc Tetricus Gallias obtineret. occidentem petiit.* Monet praeterea Caſaub. in Reg. cod. legi *ad Aurelianum cos: ſcripſerat.* Quae ſi vera eſt ſcriptura, Tetricum conſulem accipio, epiſtolamque, quam ad Aurelianum, Tetricus conſul ſcripſerat. Hoc ex Nummo, quem modo dedi, apparet, conſulem fuiſſe Tetricum, conſulatus autem ille non Romanus fuit, ſed Agrippinenſis, forte autem ad minuendam invidiam conſulem ſe profiteri maluit, quam Auguſtum, in epiſtola ad Aurelianum Auguſtum data. Eo autem anno, quo tribuniciam poteſtatem III. & tertium conſulatum geſſit Tetricus, ſeſe dedidiſſe Aureliano puto.

(7) *Conſularem, qui jure praeſidiali omnes Gallias rexerat, per triumphum duxit.* Triumphum hunc expreſſit Vopiſc. in Aurelian cap 33. & 34. ubi dicit, Tetricum fuiſſe chlamide coccinea, tunica galbana, braccis gallicis ornatum. Arcum triumphalem, a Veſontinis Aureliano exſtructum, ob oculos ponit Jo. Jacob. Chiffletius, in Veſontione part. 1. cap. 8. Is in eo ſibi viſus eſt deprehendiſſe Tetricum, vid. lib. 1. cap. 42. ubi arcus triumphalis partes explicat. Equidem autem in eo Tetricum non cognoſco. Quem ille Tetricum exiſtimat, adoleſcens eſt in chlamide defluente, fugam meditans, quod de ornatus ludibrio adfert, a Caſaubono accepit, quem refellit Salmaſius. Credo autem, eum ſolennem

cum filiis minoribus Odenathi Herenniano & Timolao (8). Pudore tamen victus (9) vir nimium severus, eum, quem triumphaverat, correctorem totius Italiae (10) fecit, id est, Campaniae, Samnii, Lucaniae, Brutiorum, Apuliae, Calabriae, Hetruriae atque Umbriae, Piceni & Flaminiae, omnisque annonariae regionis (11). Ac Tetricum non solum vivere, sed etiam in summa dignitate manere passus est, quum illum saepe collegam, nonnunquam commilitonem, aliquando etiam Imperatorem appellaret.

nem fuisse regum ornatum in Gallia, quem sumsit Tetricus, ut gentis gratiae velificaretur, sumsit eundem Caecina, de quo Tacitus. Et sane Tetrici fortunam reverentius habuit Aurelianus, quam ut illudere vellet. Spectabatur olim Aquis Grani statua equestris Tetrici, quam Walafridus Strabus carmine exposuit, in quo Tetricum nominat insanum leonem, aeternisque tenebris damnat, credo, quod eum Tyrannum fuisse audierat, id est, ut ipse vocem interpretatus est, impium & sceleratum. Rogat in eo carmine,

Cur dextra de parte nolam gestare videtur?

Scio, equos tintinnabulis, quas inferior aetas nolas dixit, referente eodem Walafrido de Reb. Eccles. cap. 2. ac praecipue Joanne de Genua, ornatos fuisse, verum non nolam illi in dextra parte, sed in phaleris ex collo gestabant. Non etiam novi nolam, gestamen imperatoris. Manum dextram Imperatores, aut elatam aut promissam in equis tenebant, & plerumque vacuam. Puto, deceptum Strabum imagine veri, quae qualis fuerit imago, equidem non divino. Hoc scio, antiquitatis eum imperitum fuisse. Nam de Tetrico dicit:

Tetricus Italicis quondam regnator in oris.

Tetricum in Italia regnasse, nemo antiquiorum scripsit, neque id verum est.

Odenathi. In Nummis ΟΔΗΝΑΘΟϹ, in saxis vetustis ΟΔΗΝΑΙΘΟϹ, appellatur, de his vid. Murator. DCCXLIII. 2. 3.

(8) *Cum filiis minoribus Odenathi Herenniano & Timolao.* Horum filiorum nomine regnasse dicitur Zenobia cap. 30. sed verius Vopiscus, in Aurelian. cap. 38. ubi nominatim errorem Trebellii redarguit, filium ibi Zenobiae Balbatum nominat, qui in nummis VABALATVS & VHABALAT. nec non VHABALLATHVS scribitur. Fuit & Odenathi filius Herodes, qui & Herodianus in Nummis appellatur. Et quanquam manifestus error sit Trebellii, non defuerunt, tamen, qui auctoritate ejus abrepti Herennianum & Timolaum moneta falsa procuderunt. Ipse Trebellius verum potuit discere, si veri cura fuerat Trebellio, ex posteris Zenobiae, qui Trebellii tempore Romae fuerunt, ut ipse testatur de xxx. Tyr. cap. 27.

(9) *Pudore tamen victus.* Pudor erat, quod Senatorem Romanum in triumphum duxerat, id enim incivile erat. Nam dum moribus antiquis stetit res Romana, nullus fuit de victo cive triumphus. Mutavit id Julius Caesar, qui rempublicam exstinxit, dissimulat id Florus, lib. 4. cap. 2 §. 89. ubi Caesaris illius triumphos quatuor enumerat, additque *Pharsalia*, & *Thapsos*, & *Munda nusquam.* Tu vero consule Dukerum, erudite ea explanantem.

(10) *Correctorem totius Italiae.* Partes Italiae enumerat Noster, loco satis alieno. Et tamen alienius, quod omnibus iis partibus unum hunc Tetricum Correctorem praepositum scribit. Verius Vopiscus, in Aureliano cap. 39. Lucaniae Correctorem factum tradit.

(11) *Annonariae regionis.* Ea quae fuerit, erudite, ut solet, Salmasius docet.

TRE-

TREBELLIUS POLLIO

DE TETRICO JUNIORE XXIV.

CAPUT XXV.

Hic puerulus a Victoria Caesar est appellatus (1), quum illa mater castrorum (2) ab exercitu nuncupata esset. Qui & ipse cum patre per triumphum ductus, postea omnibus senatoriis honoribus functus est, illibato patrimonio, quod quidem ad suos posteros misit, ut Gellius Fuscus (3) dicit, semper insignis. Narrabat avus meus, hunc sibi familiarem fuisse, neque quenquam illi ab Aureliano, aut postea ab aliis Principibus esse praelatum. Tetricorum domus hodieque exstat, in monte Caelio inter duos lucos contra Iseum Metellinum (4), pulcherrima, in qua Aurelianus pictus est, utrique praetextam tribuens, & Senatoriam digni-ta-

(1) *Caesar est appellatus.* Non Caesar tantum, sed & Augustus fuit Tetricus Filius, nummos testes capite superiori dedi. Forte is annitente Victoria, nunc Caesar, deinceps a patre Augustus est appellatus. Aurelius Victor cap. 33. *Interim Victoria amisso Victorino filio, legionibus grandi pecunia comprobantibus, Tetricum Imperatorem facit, qui familia nobili praesidatu Aquitanos tuebatur, filioque ejus Tetrico Caesarea insignia partiuntur.*

(2) *Quum illa mater castrorum.* Nunc demum illa, an dudum ante hoc nomine decorata est Victoria? Si Trebellio credimus, Imperatores omnes inde ab exitu Postumi illius opera fuerunt facti, si ab Aeliano discedas, de xxx. Tyrann. cap. 5. *Interemtus autem est* (L. Aelianus) *a Victorino, Victorinae vel Victoriae filio, quae postea mater Castrorum appellata est, & Augustae nomine adsecta, quum ipsa per se fugiens tanti ponderis molem, primum in Marium, deinde in Tetricum atque ejus filium contulisset imperia.* Quia peracta hac caede, filio Victorino ab exercitu imperium conciliavit, videtur eo tempore hoc nomine honorata, ita namque de Tyrann. cap. 6. *Composita factione Agrippinae percussus* (L. Aelianus) *Victorino filio Caesare a matre Victorina, sive Victoria, quae mater Castrorum dicta est, appellato.* De nomine matris castrorum deinceps a nobis dicetur.

(3) *Ut Gellius Fuscus.* Non negligenda est Palatini Codicis scriptura, quae saepe adjumento est ad eruendam lectionem veram, Dagellius Fuscus, unde reformo D. Agellius Fuscus Nomina Romana sunt, hominem ignoro, ut plerique illius aevi Historici in obscuro latent, forte non digni habiti, qui a posteris cognoscerentur.

(4) *Iseum Metellinum.* Onuphrius Panvinius in suam urbis descriptionem regione secunda retulit *Isaeum Metellianum.* C. Victor in regione xi. *Iseum, Serapeum Minervum.* Unde scimus, plura fuisse Isea, sive templa Isidis: Metellinumque vel Metellianum hoc dictum, quod aedificatum a Metello. Scribitur Isium, Iseum & Isaeum, haud aliter ac Musium, Museum & Musaeum. vid. Dausq. Orthograph.

tatem (5), accipiens ab his sceptrum, coronam civicam (6), picturatam de museo. Quam quum dedicasset, Aurelianum ipsum dicuntur duo Tetrici adhibuisse convivio.

(5) *Praetextam tribuens & Senatoriam dignitatem.* A nonnullis libris antiquis abest &c. Si Trebellius is esset, qui verborum curam habebat, contenderem & non illius esse, vocesque Senatoriam dignitatem ex glossa irrepsisse. Praetexta namque in imagine Senatoriam dignitatem significabat. Et quia non addit, quid sceptrum in eadem imagine, quid corona civica designarit, non videtur etiam praetextae signum addidisse. Verum ais, uterque Tetricus jam ante fuit Senator, vid. Vopisc. in Aurelian. cap. 34. cur ergo demum Aurelianus tribuisse dicatur pingaturve. Non nego, Tetricum patrem habuisse ante, sed & hoc addo, triumpho ei ereptam videri, aut sponte, ut sese in fidem dedit Aureliano Tetricus, cessisse, idque in eadem pictura ostendi, in qua sceptrum Tetricus Aureliano reddit. Sceptrum gestabant Consules hoc tempore, quod iis tribui solebat a Senatu: Vopisc. in Aurelian. *Te consulem hodie designo, scripturus ad Senatum, ut tibi deputet Scipionem, deputet etiam Fasces.* Haec enim non solet dare, *sed a Senatu, quando fit consul, accipere.* Aliquando etiam viri consulares gestarunt sceptrum, de qua re Servius ad Virgil. Aeneid. lib. 11. v. 238. De consulatu Tetrici dixi paulo ante. Fallitur Vopiscus, narrans, *Senatores* in triumphum ductos ab Aureliano, utrumque Tetricum Senatorem fuisse ratus. Certe fallitur, si verum est, quod Trebellius adfirmat, puerulum fuisse Tetricum filium, cum Caesar fieret. Neque enim aut ante Caesaream dignitatem, aut post eam Senator Romae fieri potuit. Necesse ergo est, alterutrum labi, aut Vopiscum, aut Trebellium. Quae de Sceptro Tetrici patris dixi, eorum haec summa est: Reddidit id atque adeo Consulatum, quem hoc anno gerebat, ut capite superiori docui, Aureliano, a quo praetextam, id est, Senatoriam dignitatem, recepit.

(6) *Sceptrum coronamque civicam.* Delet Casaubonus *sceptrum*, Salmasius *civicam*. Mihi vox utraque placet. De sceptro exposui. Multa cumulat Salmasius, ut coronam civicam ab hoc loco removeat. Verum nihil simplicius est, nihilque verius, coronam civicam dedisse Tetricum Aureliano, ut testaretur, sese in atrocissima seditione, & bellico periculo ereptum, civemque sese servatum ab Aureliano, cum ad eum scriberet: *Eripe me his invicte malis*, confestim enim advolans Aurelianus eripuit. In Palatino codice, qui optimae notae, scriptum fuit *coronam cycli picturiae de museo* Hinc multa miscet Salmasius, mihi vero τὸ *cycli* pro *civica* repositum videtur ab errante librario. Quod si quis tamen utramque vocem Trebellii putet, *civicam* & *cycli*, alteramque ab altera ob litterarum adfinitatem extritam fuisse, per me licet legatur *coronam civicam cyclo picturato*, cyclo, id est, in cyclum picturata dicit, quae sunt figuris orbiculatis, cujusmodi Musivum opus, sive λιθόστρωτον, exhibet Velserus in Monumentis August. Vindelic. pag. 298. in quo Museo & orbiculatas & quadratas figuras adspicies. Similes adspicies in Petri Sancti Bartolii Veteribus sepulchris. *Picturatam* an *picturata* legas, parvi refert, nec displicet, quod in libro vetusto est, *picta omnia.*

Dedicasset, id est, dedicaret, vid. Casaubon. hoc loco, & quae scripsi in Dissertat. ad Avian. cap. 21.

TREBELLIUS POLLIO

DE VICTORIA XXX.

CAPUT XXXI.

Non tam digna res erat, ut etiam Victoria, sive Vitruvia (1) in litteras mitteretur, nisi Gallieni mores hoc facerent, ut memoria dignae etiam mulieres censerentur. Victoria enim, ubi filium ac nepotem a militibus vidit occisos, Postumum, deinde Lollianum (2) Marium etiam, quem Principem milites nuncuparunt (3) interemtos, Tetricum (de quo superius dictum est) ad imperium hortata est,

(1) *Vitruvia, sive Victoria.* Lectionem hanc dedi ex libro Palatino, qui & alibi, ubi hujus foeminae mentio, eandem lectionem servat, in libris editis est Victorina, sive Victoria. Eadem addubitatio, quae ante suspenderat Trebellii animum, utrum Gallienum diceret Gallieni filium, an Saloninum (cum utroque nomine Gallienus Saloninus dicendus fuit) hoc loco iterum eum incertum reddit, Victoriam nominet an Vitruviam, quae duobus nominibus Vitruvia Victoria fuerat nominanda: haud aliter atque Caesia Victoria apud Gruter. CIOC. 74. 4. Claudia Victoria DCX 3. Alibi quoque noster haesitat in nominibus, in Gallien. duob. cap. 24. *Fuit ejusdem socius in appetendo imperio quidam Censorius, sive Cecropius.* & de XXX. Tyrann. cap. 21. *Denique Alexander, vel Alexandrinus, nam incertum id quoque habetur*, quae tamen discrepantia diversae forte codicum, in quos incidit Noster, lectioni tribuenda. Delectum autem codicum habuisse Nostrum, non puto. Subacta a Caesaribus republica duobus pluribusve nominibus appellatas foeminas certum est. Victoriam appellatam etiam inde arguimus, quod filius Victorinus (inflexo namque in hunc modum matris nomine, filii dicebantur, ut Domitianus a matre Domitia, Vespasianus a matre Vespasia, id quod & ante ostendi in de Nominibus cap.) Filium Victorinum matris Victoriae etiam ex hoc lapide cognosces Gruteri DCCCLXXXIV. 8.

D. M
Q. POMPEIVS METROBIVS
ET HELVIDIA VICTORIA ET
Q. POMPEIVS VICTORINVS
FILI.

Quod si recordatus fuisset Scaliger in animadvers. ad Eusebium Chron. ad annum MMCCLXXXIX non negasset, jus fuisse Romae familiam a matre denominari. Augustam hanc Victoriam nominat Aurelius Victor cap 33

(2) *Ubi filium ac nepotem a militibus vidit occisos, Postumum, deinde Lollianum.* Quis haec legens non existimet, filium & Nepotem Victoriae, Victorinos patrem & filium, ante Postumum fuisse occisos? id quod tamen verum non est.

(3) *Marium etiam, quem Principem milites nuncuparunt.* An ergo caeteri, quos nominat, Postumus, Aelianus, Victorinus, a militibus non nominati sunt Principes? Hoc dicas, si hunc locum solum cogitas. Sed veriora in eorum vitis docuit. Obscurus, dubius, lubricus ergo hic Trebellius, ut saepe alias. Atque ita mox *Tetricum (de quo superius dictum est.)* Num de solo Tetrico dictum? anne praeterea de singulis?

est, ut virile semper facinus auderet (4). Insignita est praeterea hoc titulo, ut castrorum se diceret (5) matrem. Cusi sunt ejus nummi aerei, aurei, & argentei (6), quorum hodieque forma exstat apud:

(4) *Virile semper facinus auderet.* Haec caussa est, cur Zenobia virili animo atque audacia Victoriam sibi similem dixerit Aureliano, optaveritque, ut in consortium regni veniret. vid. in de xxx. Tyrann. cap. 30.

(5) *Insignita est praeterea hoc titulo, ut castrorum se diceret matrem.* Anne melius *propterea*, & *se dicerent* nempe legiones, milites? nemo credo negat, *Se* pro *eam* non ignotum cadentis Latinitatis aureae. Sed vidisse nostrum meliora, ecquis adfirmet? *Mater castrorum*, hoc titulo in nummis ornantur Faustina M. Aurelii uxor & Julia Septimii Severi, in marmoribus vero plures Augustae. Ex illis Julia Septimii praeterea mater Senatus est dicta. Gruter. CLXIV. 5. CLXV. 2. Contra Filius Castrorum Caligula. Sueton. in Cal. cap. 22. Mater & parens patriae Livia Augusti. Tacitus Annal. lib. 1. cap. 14. Non tempero, quin exprimam hoc loco nummum rarissimum & usque adhuc ineditum ex auro, quem conspexi inter nummos, ab Everardo ab Hekeren, antiquitate generis & legationibus ad potentissimos Europae Reges & Principes conspicuo olim, collectos,

A. VITELLIVS GERMANICVS IMP. TR. P.

Conspicitur caput Augusti radiatum, in altera parte Mater Vitellii sedens, dextra ramum, sinistra hastam transversam tenet, hac Epigraphe.

MAT. AVG. MAT. SEN MAT. PATR.

Mater Augusta, vel Augusti (Sextilia nempe Vitellii, mater, ab Imperatore filio Augusta nominata. vid Tacit. Histor. lib. 2. cap 90. in fin.) mater Senatus, mater patriae. Ea Vitellii mater in alio nummo exstat, apud Spanhem de Usu & Praestant. Numism. in 4to pag. 831. In quo Imperator Vitellius & Mater accipiunt Fortunam Imperii a Roma Dea sibi delatam. Non extricabat hunc nummum Illustris Spanhemius.

(6) *Cusi sunt ejus nummi aurei & argentei.* Nummum unum Strada protulit, in quo

IMP. VICTORIA AVG.
⅃ L

Stradam non moror, qui solitus fingere nummos, ut Augustorum omnium vultus ostentaret. Fallaciam nummi arguit IMP. nulla enim Augustarum IMP. praenomine est dicta: non etiam hoc tempore Zenobia. Major est auctoritas Casauboni, qui cap. 30. veteres nummos esse dicit hac scriptura.

VICTORIA MATER CASTRORVM
F. M. P. A.

Mirum autem, nullum eorum visum fuisse antiquorum Nummorum Editoribus. Quid illud sit F. M. P. A. fateor me ignorare, neque enim illae suetae nummorum notae. Celeberrimus Auctor Catalogi Nummorum Cronenbergianorum, qui distractus auctione Amstelaedami anno 1745. pag. 94. n. 399. eo in loco, ubi Imperatorum Romanorum nummi recensentur, Imperatori Victorino subjicit hac nota nummum

D. NS. VICTORIA

additque, *Victoriae caput margaritis ornatum ad pectus cum stola a fronte, & cruce ad humerum, alterius partis lectio difficilis; crux quatuor gradibus imposita, a dextris in area A. Nummus ineditus magnae raritatis & indubitatae fidei ex auro pallido.* Sed duo sunt, quae eum a Victoria Victorini matre revocant, primo D N Nota, quae serior aetate Victoriae, suscepta demum

apud Treviros (7). Quae quidem non diutius vixit; nam Tetrico imperante, ut plerique loquuntur, occisa; ut alii adferunt, fatali necessitate consumta. Haec sunt (8), quae de triginta Tyrannis dicenda videbantur. Quos ego in unum volumen idcirco contuli, ne, si de singulis singula quaeque narrarem (9), nascerentur indigna fastidia (10) & ea, quae ferre lector non posset. Studiose in medio faeminas posui ad ludibrium Gallieni, quo nihil prodigiosius passa est respublica Romana. Duos etiam nunc Tyrannos, quasi extra numerum (quod alieni essent temporis) additurus: unum, qui fuit Maximini temporibus, alterum, qui Claudii (11): ut Tyrannorum triginta viri (12) hoc volumine tenerentur.

Quae-

mum ab Aureliano in nummis Secundo, crux in humero, Christianis Augustis propria.

(7) *Forma exstat apud Treviros.* Recte Salmasius *formam* interpretatur τύπον. Anne autem monstri simile in tanta nummorum, a Tyrannis percussorum, copia & mirifica abundantia, de qua deinceps dicemus, qui per regiones nostras, universamque, qua patet, Galliam, eruta semper sunt, atque etiam nunc crebro eruuntur ex terra, nummum nullum, aut aeneum, aut argenteum, aut aureum, quos olim fuisse dicit Trebellius, esse inventum. Notum omnibus, quanto studio & quibus impensis inde a reparatis litteris, opulentissimi homines, Principes etiam ac Reges, conquisierint nummos antiquos, librisque editis publicarint, & tamen inter eos Victoriae nullus est, quem verum adfirmemus, atque a suspicione remotum. Fuisse Treviris monetam, cum ex Notitia Imperii, tum ex nummis in ea civitate cusis constat. Quanquam autem nullus nummus in quo Victoriae nomen, puto tamen ad eam honorandam factum fuisse hunc nummum a filio ejus Victorino, in quo

IMP. VICTORINVS. P. F. AVG
ADIVTRIX AVG.

Adjutrix Augusti dicitur, quod eum consilio & auxilio adjuvabat. Seminuda conspicitur, laeva arcum tenens, ut Dianae habitu Victoriam cognoscas. Sed & hoc verum, Dianam in Gallia praecipue fuisse cultam.

(8) *Haec sunt.* Vere Casaubonus, ea, quae sequuntur, deinceps adnexa fuisse huic volumini, existimat, ad redarguendos eos, qui in templo Apollinis illuserunt rostrum, quod Tyrannorum numero Tyrannas duas adnumeraret, Zenobiam & Victoriam.

(9) *Ne de singulis singula quaeque narrarem.* Vix video, quid voluerit noster, dixisse autem eum, quod voluit, non puto. Quae autem de singulis narravit, istiusmodi sunt, ut commode perpetuae historiae inseri potuerint. De Gallieni luxuria ubique noster multa, plura etiam quam satis est. De Tyrannorum incrementis, moribus, rebus gestis, fortuna, exitu admodum pauca.

(10) *Indigna fastidia.* Non ea, quae semel narravit, fastidia creare & stomachum lectori movere puto, sed haec, quae ad nauseam repetit, luxuriam Gallieni, Vitruviam sive Victoriam, matrem castrorum, atque alia inficeta, insulsa, ἀπροσδιόνυσα.

(11) *Unum, qui fuit Maximini temporibus, alterum, qui Claudii.* Ille Titus fuit, hic Censorinus.

(12) *Ut Tyrannorum triginta viri.* Triginta Tyrannos viros voluit, non foeminas. Nam cum primum, ut numerum expleret, addiderat foeminas, nunc foeminis detractis, adjecit mares. Hoc apparet, omnia miscuisse, ut numerum tricenarium absolveret. Illud autem dum nimis cupide agit, parum sibi loco cavisse videtur. Primo namque, si omnes Tyrannos voluit, qui inde a constituto

Quaeso, qui expletum jam librum (13) acceperas, boni consulas, atque hos volumini tuo volens addas: quos ego, quemadmodum Valentem (14) superiorem huic volumini, sic, post Claudium & Aurelianum, his, qui inter Tacitum & Diocletianum fuerunt, addere destinaveram. Sed errorem meum major historiae diligentia tuae eruditionis avertit (15). Habeo igitur gratiam, quod titulum meum

Principum imperio fuerunt, numerum illum superari videas, nam & iis accensendi Galba, Otho, Vitellius, multique alii, quorum nonnullos nominat Vopiscus in Firmo cap. 1. quos enumerare longum. Sin eos voluit, qui Gallieno imperante dominationem invaserunt, dicas ex hoc loco, eo numero pauciores fuisse, quod tres extraordinarios (hoc nomine Valentem, Titum & Censorinum appellat, quorum duo ante Gallienum, unus post eum, rapuerunt imperium) adjecit. Rursus exceditur numerus ille, si eos, computari voluit, qui a Gallieno & proximis Principibus defecerunt, initio numerum eorum, qui post Gordianum Principes fuerunt ad Valerianum usque, quos accurate recensuit Casaubonus, subjunxitque Julii Capitolini libello de Maximo & Balbino, inseruitque commentariis suis in Historiae Augustae Scriptores pag. 166. vol. 2. Unde Tyrannorum plurium, qui per id tempus vixerunt, nomina cognosces. Fuisse autem paullo post Gallienum. Tyrannos complures, ex eo intelligimus, quod ipse Trebellius illos peculiari volumine exposuit. Illud enim haec ejus verba docent. Quos ego.... huic volumini, sic post Claudium & Aurelianum his, qui inter Tacitum & Diocletianum fuerunt, addere destinaveram. Sed & aliud praeterea est, in quo imprudentiam Trebellii & socordiam deprendas, Censorinum extraordinarium inter suos triginta Tyrannos dicit, quia fuit Claudii temporibus. Anne autem eodem modo extraordinarius dicendus Tetricus, qui sub eodem Claudio fuit, in triumphum demum ab Aureliano, successore Claudii, ductus, cui sese dederat. Et ne dubites, accipe hunc nummum, quem & supra dedi cap. 7.

IMP. TETRICVS P. F. AVG
IMP. CLAVD. AVG

Sub eodem Claudio etiam Zenobia fuit, ab eodem Aureliano demum triumphata, adde in Claud. cap. 5. Quod si autem quaeres, quae res tanta fuerit, quae illum adduxerit, ut tam sollicite numerum triconarium quaereret, causam aliam nullam exputes, nisi quod Graecorum Tyrannorum numerum aequare voluit. Quae sane, si dicendum quod res est, vana & futilis est caussa. Accedit, quod illi Graecorum, & hi Romanorum Tyranni diverso genere sunt, nec quidquam nisi nomen commune habent. Illi Magistratus fuerunt collegio conjuncti a victore populo victis impositi. Anne autem hoc alienissimum ab his, qui a Gallieno Imperatore defecerunt, ut sibi quisque imperium raperet?

(13) *Quaeso qui expletum jam librum.* Forte melius, *Quos quaeso*, forte & usitatius *explicitum* scripsit Trebellius, Martial. lib. 11. Epigr. 107.

Explicitum nobis usque ad sua cornua librum.

Nemini non notum est, τὸ *Explicit.* in fine librorum scriptorum.

(14) *Quos ego, quemadmodum Valentem superiorem* Hoc significat Noster, sed balbutiens, ut xxx. Tyrannorum, qui sub Gallieno fuerunt, volumini addiderat Valentem aetate superiorem, sic volumini illi, quod meditabatur de Imperatoribus an Tyrannis, qui inter Tacitum & Diocletianum regnarunt, se additurum Titum & Censorinum Tyrannos. De Valente superiore in de xxx. Tyrann. cap 20.

(15) *Sed errorem meum major historiae dili-*

meum prudentiae tuae benignitas implevit (16). Nemo in templo Pacis (17) dicturus est, me foeminas inter Tyrannos cum risu & joco (18) Tyrannas videlicet & Tyrannides, ut ipsi de me solent

diligentia tuae eruditionis avertit. Avertit est in Palatino, atque id probo. Construe hoc modo, major diligentia tuae eruditionis historiae, id est, eruditio tua historiae, quae diligentia tibi est comparata, errarem, meum avertit, id est, cavit errorem meum, fecitque, quominus errorem suppeditando mihi exempla duo Tyrannorum, loco Tyrannarum.

(16) *Habeo igitur gratiam, quod titulum meum prudentiae tuae benignitas implevit.* Titulum libro suo fecerat Trebellius de xxx. Tyrannis. Redarguerunt insectando errorem nonnulli homines urbani, quod, cum Tyrannos promiserat, duas Tyrannas dederat. Succurrit nostro is, ad quem clausulam libri misit, subministrando duos Tyrannos. Huic ergo gratias agit, quod prudentiae, id est, scientiae, atque eruditionis benignitas fidem ac promissum tituli implevit. Ecquis neget, magnam gratiam deberi diligentiae atque eruditioni illius, qui praeter eos Tyrannos, quos Trebellius enumerarat, duos nominavit.

(17) *In templo Pacis* In quo erat bibliotheca, cujus meminit A. Gellius Noct. Attic. lib. 5. cap. 21. & lib. 16. cap. 8. nec non Galen. lib. 1. de Compos. Medic.

(18) *Cum risu & joco.* Non sine caussa. Quis enim Romae Reginas aut Augustas, Regum atque Imperatorum numero accensuit? lisque inter Reges, atque Imperatores proprium numerum dedit? Scio, Semiramidi, Tomyri, Cleopatrae aliisque Reginis suum locum, & suum numerum fuisse datum. Sed illae exterae fuerunt, & suis auspiciis rem gesserunt. Verum alia ratio fuit Reginarum & Augustarum Romae, ubi haec dignitatis nomina fuerunt, non imperii. Quae unquam mulier, nupta, innupta, quidquam per se fecit, & non auctore marito, aut tutore? In perpetua tutela, (ut est. ...) mulieres esse voluerunt Romani. Ipsa Zenobia in ipso Oriente, qui adsuetus foeminarum imperiis, hoc tamen Romanum servavit, ut imperium rapiens non suo nomine, sed filii id auspicaretur & regeret. Hoc enim vere noster cap. 30. *Nomine filiorum Herenniani & Timolai diutius, quam foemineus sexus patiebatur, imperavit.* Neque tamen id soli Trebelliano crederem adfirmanti, nisi idem, Vopiscus adseveraret in Aurel. cap. 38. ubi & illum rursus errorem nostri animadvertas, quod filios, quorum nomine ista regnavit, Timolaum & Herennianum dixit, cum *Babalati* (ita rescribendum hoc nomen ex codice Palatino, quod in nummis Latinis est VABALATVS & VHABALLATVS, in nummis Graecis ΟΥΑΒΑΛΛΑΘΟϹ) nomine imperium tenuerit. Aurelianus in epistola ad Senatum Romanum, vid. de xxx. Tyrann cap. 30 *Nec ego illi* (Zenobiae) *vitam conservassem, nisi eam scissem multum Romanae reipublicae profuisse; quum sibi vel liberis suis Orientis servaret imperium.* Sed dicet aliquis, Zenobia Augusta fuit, atque inde ZEBACTH in nummis Graecis appellata. Non nego. Sed contra dico, Augustae nomen non imperium significare, sed honoris caussa tributum fuisse. vid. supra de Nominibus. Ipsa se Reginam Orientis nominat in epistola ad Aurelianum data, vid. Vopisc. in Aureliano cap. 27 Sed ais, virili atque Imperatorio animo fuit Zenobia. Verum ajo, plures foeminas eodem animo fuisse Romae. Tanaquilem Tarquinii Prisci, Fulviam Antonii, Liviam Augusti, Juliam Mammaeam. Num autem ullus Tanaquilem Regibus, Fulviam Triumviris, aut has aliasve Augustas Imperatoribus inferuit? Facessant ergo & Zenobia & Victoria ab Imperatorum & Tyrannorum (qui suis optimo jure Imperatores fuerunt habiti) numero, atque ab ordine Imperatorum. Facessat a vera Romanorum moneta falsus hic nummus, imperite a Strada aut ab alio factus, IMP. VICTORIA. Judicium Trebellii tuetur Casaubonus in notis ad hunc librum, & Joan.

lent jactare, posuisse. Habent integrum numerum ex arcanis Historiae (19) in meas litteras datum. Titus enim & Censorinus, quorum unus, ut dixi, sub Maximino, alter sub Claudio fuit, ambo ab iisdem militibus, a quibus purpura velati fuerant, interemti sunt.

Joan. Gerard. Vossius in Historic. Latin. lib. quos sequatur, qui volet.

(19) *Ex arcanis historiae.* Quae arcana dicat nescio. Malo *archivis* Historiae. Archiva dicit loca bibliothecarum, in quibus ea, quae ad historias pertinebant, adservabantur. Creditur Noster *archivi* voce etiam usus cap. 10. *quam* (epistolam) *ego repertam in archivis inserendam putavi.* Lapsus librariorum proclivior, quod aliquando *archanum* scribebant, non *arcanum.* Idem error contaminavit hunc Tertulliani locum Apologet. cap. 21. *Et tamen eum mundi casum in* arcanis *vestris habetis.* Ubi nonnulli codices *archivis* habent. Id quod est in cap. 19. *Referenda antiquissimarum etiam gentium archiva.* Latini etiam *archivum* dixerunt, ut Paullus Sentent. Recept. lib. 4. tit. 6. pr. ubi de custodia testamentorum, *ac deinde signo publico obsignatum in archivum redigatur.* ubi vid. Anton. Schulting. Graeci ἀρχεῖον, Suidas ἀρχεῖα ἔνθα οἱ δημόσιοι χάρται ἀπόκεινται.

TREBELLIUS POLLIO

DE CENSORINO

CAPUT XXXIII.

Habes integrum numerum triginta Tyrannorum, qui cum malevolis quidem, sed bono animo caussabaris. Da nunc cui-

Verissimum hoc Graecorum fuit verbum, προπέτεια πολλοῖς ἐστὶν αἰτία κακῶν. Quod si autem ulli festinatio & celeritas errorum caussa fuit, praecipitem ea Trebellium dedit. Ante vero, quam de ea dicere incipio, pauca differemus de instituto ejus ac ratione, quam in scribendo tenuit. Sed quid eum tenuisse dico; nihil enim instituit, quod non mox deseruerit? Nullam rationem suscipit, quam non confestim rursus abjicit, in multis obscurus, ambiguus, varius, nonnunquam etiam secum pugnax, securus verborum & rerum. Verborum ac stili nullam sibi curam fuisse, ipse confitetur. Res autem & rerum caussas, quemadmodum neglexerit, ex iis apparet, quae ante disputavimus, & quae deinceps proferentur. Verborum, ac stili nullam sibi curam fuisse confitetur ipse. Ipsum ergo Trebellium audi de xxx. Tyrann. cap. 10. *Hos ego versus a quodam Grammatico translatos ita posui, ut fidem servarem: Non, quo melius non potuerint transferri, sed, ut fidelitas historiae servaretur, quam ego prae caeteris custodiendam putavi, qui id quod ad eloquentiam pertinet, nil curo.* Nihil sese odio, nihil gratiae dedisse scribit in Claud. cap. 3. *In gratiam me quispiam putet Constantii Caesaris loqui: Sed testis est & tua conscientia & vita mea, me nihil unquam cogitasse, dixisse gratio.*

cuivis libellum, non tam diserte, quam fideliter scriptum. Neque ego eloquentiam videor pollicitus esse, sed rem. Qui hos libellos, quos de vita Principum edidi, non scribo, sed dicto, & dicto cum ea

tiosum. Sed & testis tua conscientia, Trebelli, multa te in gratiam hominum potentium, quae ut dicerentur, fides & lex historiae postulabat, praetermisisse. En tuum testimonium in Gallieno Salonino cap. 1. in fin. *Huc accedit, quod quaedam etiam studiose praetermisi, ne ejus posteri multis rebus editis laederentur. Scis enim ipse, quales homines cum iis, qui aliqua de majoribus eorum scripserint, quantum gerant bellum.* Quare haud immerito adulationis suspectus fuit nonnullis, de quibus in Claud. cap. 11. *Vera dici fides cogit, simul ut sciant hi, qui adulatores nos existimari cupiunt, id quod historia dici postulat, non tacere.* Nullius Imperatoris res gestas accuratius aut copiosius tradidit, quam Claudii, credo ut hunc palpum Constantio Caesari, sub quo vixit, & qui genus a Claudio ducebat, obtruderet, videsis in Claud. cap. 9. & 10. Diligentiam libris suis adhibitam ipse praedicat Trebellius in Claud. cap. 9. sed ita, ut vix quisquam intelligat, quae obscuritas ansam praebuit librariis contaminandi ea verba. Ita autem ille: *Si quidem nunc verba naufragii publici colligit nostra diligentia ad Romanae reipublicae decus.* Sed obscuritatem removet verbis quodam modo, si *verba* mutes in *vela*. Nam quod hi dicunt tabulas naufragii colligere, hoc ille dicit colligere *vela naufragii*. Haec autem vela naufragiorum publicorum se colligere scribit, significaturus, sese historiam naufragiorum, id est, cladium, quas Romani intulerunt barbaris, memorare breviter. Hic verborum intellectus est, quem non viderunt viri docti & perspicaces. Sed quae diligentia censenda Trebellii, qui non scripsit historiam cogitate & meditatus, sed dictavit, & quidem ita properanter, ut respirandi non habuerit facultatem. Si ergo nec respirandi, quanto minus copia fuit agitandi in animo, ac deligendi potiora? Videtur Trebellius, cum in eo esset, ut dictaret historiam, multorum libros prae manibus atque ante oculos habuisse, & ut quaeque occurrebant, arripuisse, nulloque delectu aut rerum, aut ordinis, aut denique verborum habito, confestim ac nulla mora interposita, excipientibus praeivisse. Hinc factum ut gravia praeterita, levia memorata reperias, pauca suo loco, multa repetita. Non rerum caussas, non hominum consilia, non mores, & quae praeterea ab Historicis adspici solent & diligenter explorari, examinavit; sed quodcunque scriptum invenit, aut quod sese invenisse putavit, dum oculi simul & mens per plurima volitarent, paene dixerim, quicquid in buccam venit, effutivit. Si quid diverse traditum accipiebat, non tradentium auctoritatem, non verborum ac sententiae pondus exigit, sed plerumque satis habet, hoc unum monuisse, *ut plures loquuntur*, aut quidpiam ejusmodi. Imo ne illud quidem pensi habuit, ut aut emendatis libris uteretur, aut si quid diverse exaratum invenisset, ex melioribus codicibus scripturam veram, verumque nomen daret. Unde enim illa haesitantia atque incertitudo de nominibus, qua de passim dixi, nisi ex contaminatis codicibus, aut ex fuga laboris & taedio correctionis, cum ex monumentis publicis, ambiguitas tolli posset. Si monumenta publica, quae olim plurima fuerunt, nunc nonnulla supersunt, consulere voluisset, anne illa profligassent omnem sollicitudinem de varietate nominum Gallieni filii, de qua dixi.... Si nummorum formas, quas suo tempore Treviris exstare scribit Victoriae, consuluerat, anne scrupulum omnem exemissent, Victoria illa, an Vitruvia dicenda foret? Mitto alia praecipitis properantiae indicia, quae passim detexi, dum plura quaerentibus obvia. Nam & hoc vide, an praeproperae festinationis manifestum argumentum, nec festinationis tantum, sed & imperitiae? Admonitus ab amico, ut a Tyrannorum XXX. numero foeminas excluderet, in earum locum viros ab eodem suppeditatos, quantumvis alienos a tempore Gallieni, recepit, ignarus atque immemor ejus tem-

 po-

ea festinatione, quam, si quid vel ipse promisero, vel tu petieris, sic perurges, ut respirandi non habeam facultatem.

poris alios fuisse. Fuit namque Vabalathus filius Odenathi, de quo Vopiscus in Aurelian. cap. 38. adde supra.... Fuit praeterea Valerianus, cujus meminit Claudius in epistola ad Senatum, & quo magis mirere oscitantiam Trebellii, ipse Trebellius eam epistolam edidit, nec tamen eum Valerianum animadvertit, cum maxime illius indigeret. Ita namque in Claud. cap. 7. ubi epistolam Claudii inserit. *Fatigata est res publica. Pugnabimus post Valerianum, post Ingenuum, post Regillianum, post Lollianum, post Postumum, post Celsum, post mille alios, qui contemtu Gallieni Principis a re publica defecerunt.* Vides, Valerianum inter eos referri, qui contemtu Gallieni Principis a re publica defecerunt, quod probe observandum, ne quis hic Valerianum, patrem Gallieni, designari existimet Neque tantum Valeriani Tyranni nomen fefellit Trebellium, sed & illud, quod additur in eadem epistola, *post mille alios*, qui a re publica defecerunt. Mille ergo Tyranni fuerunt, si epistolam hanc sequimur, atque auctorem ejus Claudium. Dat equidem καθ' ὑπερβολὴν & jactanter Claudium, verum tamen septem & *viginti* tantum fuisse Gallieni tempore, quos solos Trebellius nominat, cum mille Claudius arguat, parum mihi fit verisimile. Imo vero ipse Trebellius, inmemor eorum, quae in de xxx. Tyrannis dixerat, numerum tricenarium impleri non posse, sexcentos tyrannos fuisse scribit in Claud. cap. 9. *Et utinam Gallienum non esset passa res publica, utinam sexcentos Tyrannos non pertulisset.* Feras istius modi jactantiam in Oratore, at vero a fide Historici aliena est. Omnia illa me haud difficulter impellunt, ut verum arbitrer Junii Tiberiani, praefecti urbis, judicium, de quo Vopisc. in Aurelian. cap. 2. *Pollionem multa incuriose, multa breviter prodidisse.* Quod breviter eum scripsisse dicit, non id significat, paucis verbis eum multas res esse complexum, quae brevitas, si concinna sit, primis laudibus fertur, sed multa, quae dicenda erant, praetermissa. Praetermisisse Pollionem multa ejusmodi, quae ab aliis sunt narrata, ex iis constat, quae ante & praecipue in Postumo nostro ex antiquis monumentis disputavimus, de illa Claudii ad Senatum epistola nonnihil dicendum arbitror, quod ambigunt de ea Summi viri & rei litterariae principes, Casaubonus & Salmasius, quorum hic Imperatoris Claudii ingenio scriptam ait, ille dubitat, atque in suam sententiam verba refingit. *Exstat*, inquit Trebellius, *ipsius epistola missa ad Senatum, legenda ad populum, qua indicat de numero barbarorum, quae talis est.* Senatui populoque Romano Claudius princeps (*hanc autem ipse dictasse perhibetur, ego verba magistri memoriae non requiro.*) *P. C. militantes audite quod verum est.* Hoc significare videtur Trebellius, se non ex adnotationibus magistri memoriae desumsisse eam epistolam, (quod supervacuum erat, verba magistri memoriae requirere, qui imperiales epistolas a se formare solebat) sed se ipsius Imperatoris verba dare. Et tamen, ut dicam quod sentio, exemplum illud epistolae ad populum recitatae atque ab actuario aliquo, male subsecuto verba, non epistola αὐτόγραφος mihi esse videtur. Nam ut alia mittam, P. C. id est, patres conscriptos, solos appellari in epistola, quae ad Senatum populumque Romanum fuit missa: an Claudius Lollianum nominaverit, quem nullus hoc nomine dixit, nisi solus Trebellius, sed manifesto errore deceptus? Servo illud *militantes audite*, quod mutant Casaubonus & Gruterus, *militantes*, id est, nos militantes, me nempe Imperatorem cum exercitu meo.

I N

MONUMENTUM
DODENWERDENSE
EXPOSITUM AB
HENRICO CANNEGIETERO.

CAPUT I.

Nobilitas Monumenti Dodenwerdensis. A quibus illud descriptum. Laus Cuperi, Muratorii & Jo. Gasp. Hagenbuchii, item Wilb. van der Souw. Forma Monumenti exponitur, nec non litterarum ejus. Literam I. *puncto superposito distinguere recentius inventum est. Jucgumattius nomen ex Latino & Romano mistum. Trajanus Imperator praenomine Marcus fuit dictus. Lapis Bergendalensis expositus. Milites nomina Imperatorum adsumserunt, a quibus civitate fuerunt donati. Quare multi Julii & Claudii in Gallia. Claudius Civilis Batavorum dux unde nomina accepit. Paullus Apostolus unde dictus. Quando primum usus Romano nomine Paullus. Flavii, Aurelii Batavi.*

Vix quidquam notius in his oris monumento Dodenwerdensi. Nam quia turri insertum, qua viam celeberrimam spectat, crebris commeantium sermonibus usurpatur: augentibus famam veredariis & aurigis, quo hominum genere nihil nugacius. Monumentum illud ex lapide est, cujus imaginem exhibemus. Titulum sive inscriptionem lapidis exhibuit primus Gisbertus Cuperus, cum de universa antiquitate, tum de priscis Romanorum per Bataviam monumentis egregie meritus, in Monumentis antiquis, quae Harpocrati subjecit pag. 239. Acceptum inde repetiit Ludovicus Antonius Muratorius, ediditque in Thesauro novo Inscriptionum DCCCLXI. n. 5. Nuper totius lapidis imaginem in lucem edidit Jo. Gasp. Hagenbuchius, proditamque in Miscellaneis Observationibus criticis novis, quas vir Clarissimus Jacobus Philippus D'Orville curavit, Tom. X. XI. XII. pag. 349. Cum autem nonnulla reperirem in ea imagine, quae abhorrebant a descriptione Cuperi, decrevi contemplari lapidem, viamque sum ingressus, sed difficultate itineris ob quotidianas aestatis istius pluvias, quae fuerunt tertio abhinc anno, prohibitus, datis litteris rogavi Pastorem Ecclesiae Dodenwerdensis, Wilhelmum van der Souw, humanitate & doctrina cultissimum virum, ut, quod cogitaram, ipse perficeret. Ille autem missam a me picturam, ut ab Hagenbuchio edita est, cum lapide composuit, nec ipse tantum, sed alius de pago, quem a solertia & cura commendat. Hi trochlea ad lapidem evecti, oculis fidelibus studiosisque singula rimati perlustrarunt, cumque Hagenbuchiana pictura composuerunt. Animadversa quaeque diligentissime ad me perscripsit vir Reverendus van der

 Souw,

Souw, ex quibus Hagenbuchianam imaginem refero, eo quem hic intueris modo. Quae discrepant me inter & prioris lapidis monumenti illius editores, Cuperum, Muratorium, Hagenbuchium, cum de forma & cultu imaginum, tum de litterarum & tituli interpretatione, in medio relicta esse volo, lentus alienorum insectator, satis habiturus, si quae mihi de hoc cippo in mentem venerunt, dilucide exposuero. Veterum neminem fore existimo, quin, si ab inferis redeat, felicem praedicet Marcum hunc Trajanum, cujus Manibus praecones contigerunt, saeculi quisque sui decora memoranda, Cuperum dico, Muratorium & Hagenbuchium, qui unus paene hodie illorum eruditionem aequat, ingenium Muratorii & judicium nonnunquam vincit, nisi forte properantiae culpa ea magis, quam judicii inopia censenda. His ego ducibus nunc succenturiatus venio; quantumvis arte inferior, industria tamen & fide par. Tres sunt Monumenti partes. Ima titulum habet, sive inscriptionem, media hominem discumbentem, cui factus titulus. Suprema tutelam monumenti. Titulus, partim integris, partim decurtatis vocibus scriptus, quae tamen ex vulgatissimis grammaticorum aliorumque hominum praeceptis facile supplentur, hic est. *Marcus Trajanus Jucgumattius Gaisionis filius veteranus alae Afrorum titulum* (vel *testamento*) *poni jussit*. Litterae, non ut nunc quasi columnae capitulo supra atque infra impositae, recisae erant, sed aequali tenore in porrectum, anfractum transversumque ducebantur, atque ea forma, quam exhibui, ex ipso lapide desumta. Adfirmavit praeterea testis oculatus, quem supra nominavi, I. litteram semel atque iterum, imo & saepius adjecto superne puncto notatam fuisse. Id quod (nisi quis temere accidisse putet) a recentiore importuni hominis manu profectum est. Invenerunt illud proximorum saeculorum scribae, qui, cum minute scriberent, ea nota litterarum u & i. apices distinxerunt ab m. & n. Varie tentantur nomina veterum illius, cui cippus positus est, ab iis, qui ad rationem Romanorum nominum fingere sunt conati. Mihi ea nomina mixta videntur, ex Romanis barbarisque conflata. Romana sunt M. TRAIAN. Barbarum est IVCGVM vel IVCGV. Romanum rursus ATTIVS vel MATTIVS. Barbarum, sed terminatione Latina, Gaisionis, caetera sunt Latinissima. Mixta haec nomina arguunt, veteranum eum ex Romano & barbaro mixtum fuisse: domo & natione barbarum, sed civitate donatum. Donatum autem ea ab Imperatore Trajano fuisse auguror, qui & Marci prae-

praenomine dictus. Praenomen quantumvis insuetum monumentis Imperatoris illius, quae plura nunc exstant, cognoscimus id tamen ex Dione Cassio, lib. 68. pag. 770. Iis adjice, quae infra disserui cap. 9. Hoc constare arbitror, homines multos per has vicinasque terras, & praecipue milites adsumsisse Imperatorum eorum nomina, quorum indulgentia civitatem erant consecuti. Exemplo sit unus lapis, qui hodie in agro Clivensi spectatur, editus a Cupero in Monum. antiq. quae Harpocrati suo adjecit, pag. 234. in quo tres Septimii Mucatrae & praeterea Septimius Gallus, & Septimius Diosporus, nec non Septimius Sammus. Vides sex Septimios, cognominibus barbaris sive peregrinis distinctos, si a Septimio Gallo discedas, qui gentis suae nomine dictus est. Illi omnes peregrini natione erant, sed cives a Septimio Severo facti, quem novimus in his oris fuisse versatum, & quo magis id dicas, positus hic lapis, Maximo iterum, & Aeliano Cos. qui annus est Chr. 223. atque adeo duodecimus ab exitu Septimii Severi. En ipsum lapidem, quem ob id potissimum damus, quod perperam ante editus fuit, primum ab Hermanno Fley, qui & Stangefol in Annalibus Circuli Westphalici Edit. 1640. pag. 221. deinde ab Illust. Cupero in Monumentis, quae dixi, & tandem a Muratorio in Thesauro novo Inscriptionum pag. 335.

IN H D D PRO
SALVTE IMP SEVERI
SIC
ALEXANDIRI AVG DEO
APOLLINI DYSEROLVS
OLODE MILITES LEG
XXXVV PF SVB CVRA
AGENT TF APRI COM
MODIAN LEG AVG PPЯ
CANNV+ MODES+LEG
LEG SEPT MVCATRA
IMAG ET SEPT CALLVS
ET SEPT MVCATRA ET
SEPT DEOS POR ET SEPT
SAMMVS Ǝ SEPT MVCATRA
CANDIDATI V S L M
MAXIMO II Ǝ AELIANO
COS

La-

Lapis nunc ſpectatur in agro ſuburbano oppidi Cliviae, ubi ipſe eum deſcripſi, quo deportatus olim eſt a Mauritio Naſſovio, erutus, teſte Stangefolio, ad Coloniam, quae fuit Legionis Triceſimae in ipſo lapide memoratae. Atque eandem cauſſam arbitror, quare in nulla gente plures Julios reperias libris aut ſaxis memoratos, quam in gente Gallica, ex ea autem gente multos Julius Caeſar Dictator civitate donavit, legionem etiam V. totam ex Tranſalpinis conſcriptam, vid. Sueton. in Caeſ. cap. 24. invenias praeterea Claudios multos, forte ab Imperatore Claudio cives factos, qui, ut eſt in Apocolocyntoſi, impiiſſimo Senecae libello, conſtituerat Graecos omnes, Gallos, Hiſpanos togatos videre. Quanquam & credibile eſt, a Druſo & fratre ejus Tiberio Claudiis, nec non a Nerone Imp. Claudii adoptivo filio, multos hoc beneficio ornatos fuiſſe. Illud propterea addo, ut deſinant annalium noſtratium ſcriptores majorum, id eſt, Batavorum, Gallorum, Germanorum, nomina, Romanis Scriptoribus memorata, a priſca Gallorum Germanorumque lingua repetere, more illorum, qui inficetam & inſulſam originationem ex antiqua Batavorum lingua Claudio Civili, patriae libertatis egregio adſertori, dederunt. Miratus ſum ſaepe indoctam doctorum hominum contentionem de nomine Paulli Apoſtoli, quum peritioribus dubium eſſe nequeat, quin ei civi Romano hoc Romanum nomen ſit datum, imo vero acceptum forte a patre, nam & is civis Romanus fuit. Illud obſervatu dignum, ex quo is extra Judaeam & Syriam inter Romanos verſari coepit, eum Romano nomine dici coeptum. Primum enim tum eo dictus, certe tum primum a divino Luca, Actorum Paulli ſcriptore, eſt appellatus, vid. Act. 13. cum Cyprum ingreſſus, & legationem ad Gentes eſt auſpicatus. Qua de re plura diſputavi in de Nominibus cap. 6. pag. 27. Sumſit autem id eo tempore, quo commendatior eſſet Gentibus, inter quas quanta ſanctitas Romani nominis, praeſertim tempore Claudii Imperatoris, quo res illa acta, rerum Romanarum peritioribus eſt cognitum. Claudios Batavos, ob operam militiae navatam, ab uno Claudiorum, quos ante dixi, civitatis nominisque honore ornatos, antiqui lapides loquuntur, Flavios praeterea & T. Aurelios. Dabo Claudios duos ex hoc lapide Reineſii Syntagm. Inſcr. Cl. IX. 74.

TI

TI. CLAVDIVS
CHLOREVS
NERONIS CLAVDI
CAESARIS AVG
CORPORIS CVSTOS
DEC. SPICVLI
NATIONE BATAVS
VIXIT ANN XL H S POSVERVNT
TI. CLAVDIVS DIADVMENVS ET
CENSOR DEC SPICVLI
HEREDES EIVS EX COL
LEGIO GERMANORVM

CAPUT II.

Imp. Trajanus res ad Rhenum & Wabalim gessit. Trajanus Jucgumattius natione Barbarus fuit. Unde Jucgumattii nomen. Attii, Actii & Accii Romana nomina. Barbarorum nomina cum Romano Attii nomine mista, lapides antiqui expositi. Attinii ab Attiis orti. Marcelli & Marcellini ejusdem generis. Lapides vetusti Bruxellenses descripti. Mos Romanorum nomina Barbara, quae os Romanum non capiebat, implicandi. Inter ea nomina, Livi. De lapide Noviomagensi. Quot modis olim Ludovici nomen scriptum. Nertomarius mixtum ex Romano & Germanico nomen. Inscriptio emendata. Jucgo vox barbara. Verjugodumnus & Regis & Dei nomen. Galli Reges pro Diis coluerunt. Ver nobilitatis nomen. Vercingentorix, Vergobretus &c. Ver foeminam nobilem significat. Jou, Jouk nomen Frisicum. Vertager Regis & canis nomen.

Sed ad M. Trajanum Jucgumattium revertor. Dixi, eum priora nomina ab Imperatore M. Trajano, simul cum civitate adeptum esse, postumum nomen ex barbaro & Romano miscuisse. Addo cum maxime, Imperatorem Trajanum in his oris versatum fuisse, quod Germaniam inferiorem administravit. Fuisse Trajanum illum Veteranum genere barbarum, cum ex Jucgumattii nomine, ut ante coepi exponere, auguror, tum ex Patris Gaisionis. Jucgu,

vel Jugum peregrinum: Mattius, Attius, Romana civium nomina sunt. Attii, qui & Actii, & Accii forte, & Atii dicti. Antiquissimi fuerunt Romae, a prisco praenomine Acco & Atto. Acca Laurentia Romuli nutrix fuit: Atta vel Attius Claudius, Tito Tatio auctore, Curibus Sabinorum relictis, Romam recens conditam commigravit. Sueton. in Tib. cap. 1. Coepit autem ad extremum usque adeo Romae vulgare esse Attii nomen, ut, si cui cogitanti verum nomen non succurreret, is mox Attium nominaret, haud aliter ac Titii, Maevii, Seji Juris consultis vetustis in ore fuerunt, vid. Augustin. de Nominib. pandect. pag. 389. Quare & hoc Attii nomen valde opportunum fuit, quod cum suo nomine Barbari conjungerent. Certe haud raro ita junctum reperi. Sic Exattius apud Sponium Miscell. Erud. Antiq. pag. 203.

EXATTIVS
SEX FIL. VOLT
. . ETICVS. VIENN
OMNIBVS HONORIB
IN PATRIA SVA FVNCT.
FLAM. PROV. NARB

Lapidem descripsi, ut intelligas, Exattium illum Gallum fuisse, domo namque Vienna Mitattius est in marmoribus Felsineis pag. 315. sed locus reperti lapidis non additur, neque etiam domus, aut natio Mitattii. Lapis Deae Nehalenniae (ut ego quidem existimo) consecratus in agro Divitensi (oppidum Duits hodie nominant) in opposita Coloniae Agrippinensi ripa, ab Eriattio Jucundino est apud Gelenium de Magnitud. Colon. Agr. pag. 385. & Grut. 89. 1. Fuit & alius lapis Nehalenniae sacer, servatusque olim a Celeberrimo viro Hadr. Relando, cujus inscriptionem, quia rarior in his terris, subjiciam. Edita est a Keyslero in Select. Antiq. Septentr. pag. 250.

DEAE
NEHALENNIAE
ASCATTINIVS
RASVCO
V. S. L. M.

At-

Attinios ab Attiis ortos nullus, credo, dubitabit, haud aliter ac Marcellini a Marcellis orti feruntur, quos generis ejusdem dicit Cicero famil. 15. ep. 10. nec non Secundinii a Secundis, Candidinii a Candidis, quos testantur Batavorum lapides. Lapis ex Walacria insula ad Cl. Relandum fuerat asportatus, in qua olim Nehalenniae cultus caluit. Primo Dea, secundo loca inventorum lapidum suspicionem praebent, Eriattium & Ascattinium Germanos fuisse, aut Gallos. De Ascattinio confirmat conjecturam alterum nomen Rasuco, quod prorsus alienum a Latio. Liceat hoc loco addere lapidem, qui Bruxellis mihi missus est, in qua urbe visitur adscendentibus in Bibliothecam Collegii Societatis Jesu, ubi in ingressu muro est insertus. Addo autem primo, quod ex eo ratio mutandi conjungendique nomina barbara, quam veteres sunt secuti, apparet; secundo, quia vitiatum eum edidit acceptum a Donio Muratorius in Thesaur. nov. Inscript. CCCXXVIII. 13. Titulus hic est:

D M
TI. CLAVDIO
NICEROTI
QVI ET ASIATI
CVS LIVIQVIN
TILIA CONIVGI
PIISSIMO ET DVL
CISSIMO FECIT
V. A. XXX.

Barbarum est *Livi*, Romanum *Quintilia*. Barbarum illud in alio lapide, quem eadem Quintilia in eodem loco (nam & is exstat in ingressu Bibliothecae Jesuitarum Bruxellensium) patrono suo posuit, sese nomine Romano, aut certe eo, quod Romano accommodatius est, Laeam appellat.

D. M
M. QVINTILLIO
EPAPHRODITO
PATRONO BENEMERENTI
QVINTILLIA LAEA LIB
FECIT ET SIBI
POSTERISQUE SVIS

Quodsi eo sono erat nomen barbarum, quem os Romanum litteraeque Romanae non capiebant (de qua sermonis & oris barbari duritie saepe queruntur Historici & Geographi Romani) soni & nominis difficultatem implicitarum litterarum connexione significabant, quale est loci sive patriae nomen in cippo C. Julii Pudentis, qui Noviomagi spectatur, editus olim a Grutero, DXLVII. I. repetitus nuper in Epistola Celeberrimi Hagenbuchii, quam vide in Observat. Miscell. Nov. Crit. Tom. X. XI. XII. pag. 251. Gruterus nomen Luidonia exhibet, at vero Hagenbuchius, litterarum apices secutus, nominis aenigma proponit, quod nullus nisi Oedipus explicet, & os nullum, nisi Germanorum vetustorum, sonet. Id nominis Germanici, quod Romani Livi & Laeam dixere, Germanos puto extulisse sono Romanis non imitando. Frequens illud nomen fuit in magna gente, frequentatum etiam majoribus nostris in hominum locorumque appellationibus designandis, quae res caussam dedit vetustioribus Leonum insignibus. Generis, sive familiarum insignia dico, seculi undecimi aut proximi commentum. Nullus autem ferus leone honestior visus viris fortissimis & generosis. En aliud monumentum ex Muratorio MXXXV. n. 2. quod Callonius Lei filius Decurio Alae Casanatium (Muratorius Caninefates indicari putat, gentem Batavis olim vicinam, atque, ut ego arbitror, Batavorum reip. dein junctam) Brixiae posuit.

IOVI
L. CALLONIVS
LEI F FAB. PRIMVS

Griphum nominis similem illi, qui est in Monumento Noviomagensi, notabis etiam in hoc lapide Bruxellensi:

DIS MAN
L. VOLVSI SEVERI
VIX ANN V M VIII
D XVIIII FECER
LVFIL EIVS
CARPVS ET
VOLVSIA PAVLI
NA FIL DVLCISSI

Co-

Cogita quaeſo unum illud Ludovici nomen, quot modis ſcriptum, formatum, reformatumque fuerit. Luduin eſt apud Caſſiodorum Variar. lib. I. cap. 41. Clodius, Clodio, atque alia, apud alios, Hludovicus eſt in nummo argenteo, in quo *Doroſtat*, qui nummus penes me eſt. Verum ad nomina Barbarorum mixta redeo. Nertomarius eſt in Monumento Domburgenſi, vid. Smallegang Chron. Zelandiae pag. 82. In quo Nerto Tranſalpina vox, Marius Latina. Ab illa eſt Nertobriga, Celtiberorum civitas, & altera Hiſpaniae Baeticae. Non tamen deerunt, qui Marii nomen Germanis vindicent. Reſtat pars altera nominis Jucgomattii, nempe Gallica, quae Jucgum aut Jucgo eſt, eadem advertitur in Jugodumni nomine, Jucgo enim, ſive Juggo & Jugo ejusdem ſignificatus vocabula eſſe arbitror. Galli namque, ut hodie Germani, geminarunt in media voce nonnunquam litteram G. ut in nomine Eſuggi. Utrumque Jugodumni & Eſuggi nomen eſt in ara ad Ambianorum oppidum in Gallia inventa, quam exhibet Cangius in Gloſſario mediae & infimae Latinit. in voc. *Duo*, atque inde repetiit Sponius Miſcellan. Erud. Antiq. pag. 109.

PRO SALVTE ET
VICTORIA EXXG
APOLLINI ET VER
IVGODVMNO
TRIBVNALIA DVA
SEPTVBOGIA ESVGGI
F. D. S. D

At, Dei Verjugodumni, non hominis, dicis, hoc nomen eſt, nec equidem nego, ſed plerique iſtiusmodi Gallorum Dii Reges fuerunt; Verum & hoc ajo, poſt mortem in Deorum numerum, ex conſuetudine plerarumque gentium, fuiſſe relatos. Cujus moris plura ſunt exempla apud Gallos, cum maxime unum dabo ex iisdem Sponii Miſcellaneis eademque illa pagina 109. n. 87. Exemplum nempe Mortasgi, quem ex Caeſaris commentariis cognoſcimus virum, in Senonum gente, magna auctoritate praeditum: In illo vero Monumento, quod erutum eſt ruderibus Aleſiae in Aeduis, Deum, cui Ti. Claudius Profeſſus Niger omnibus honoribus apud Aeduos & Lingones functus, porticum teſtamento poni juſſit. Nondum mitto illam Ambianorum aram, ſed hoc addo, Cangii in-

interpretationem, qua litteras EXXG explicat hoc modo: *Exercitus Gallicani*, vel *Exercitum Galliae*: abhorrere ab antiquitate. Mihi scriptum fuisse videtur L.XX. G. id est, legionis vigesimae Geminae, quam legionem cognitam habemus ex Dionis Cassii lib. 55. pag. 564. Illud praeterea adjicio, Ver in Verjugodumni nomine nobilitatis indicium esse, atque ejusmodi, quod excellentium genere, honore & virtute virorum nominibus praemittebatur, quale est nostrum *Heer*, & Germanorum *Her*, quod nunc frequens, etiam in vulgo, olim non nisi paucis nobilioribus sanctioribusque viris datum. Hinc Vergobretus summus eorundem Aeduorum magistratus, vid. Caesar. Bell. Gall. lib. 1. cap. 16. Vertico Nerrius lib. 5. cap. 45. Vercingentorix Arvernorum Rex, Idem Belli Gall. lib. 7. cap. 4. Strabo lib. 4. pag. 191. Flor. lib. 3. cap. 10. Cingetorix, detracto *Ver* dignitatis nomine, fuit ex Principibus Trevirorum. Caesar Belli Gall. lib. 5. cap. 4. Adde iis Vergasilaunum, Verodoctium, nec non Vertiscum, quaeque alia sunt Gallorum nomina. Quibus praeterea adjungo Verocasses, Veromanduos, Versionenses, Galliarum gentes Historicis Romanis dictas. Dicendus etiam Vercomaridutius, Sacerdos Aeduus, de quo Livii Epitome 138. Virdiomarus, Rex Gallorum, de quo Plutarchus in Marcello cap. 7. Verteger, Britannorum Rex, qui Saxones in Insulam accivit, Beda Histor. Eccles. lib. 10. cap. 1. Pertinet huc Vertecantius in lapide Gallico apud Murator. Thesaur. Inscr. L. 6. qui male id nomen in partes distrahit, & Virdunarius Trarontis filius, DCCCLXX. 3. Appellatio illa honorifica duravit diutissime in his terris, sed in sequiore sexu, vid. Matth. de Nobilit pag. 24. In litteris feudalibus apud Smallegang in Chron. Zeland. pag. 569. anni 1282. *Vrouwe Ver Beatrice der Grafnede van Holland.* Sunt & penes me istiusmodi litterae anni 1339. *Ver Mechteld Quadepapen.* Juc, Jucg, vel Jugg (cujus vocis terminatio in um & o a Romanis est orta) etiam nunc Frisiis notum, in quorum annalibus celebrantur Jou Hottinga, Jou Debama, Jouk Martena & Joucke Harliga. Si a *Jagen* derives nomen, dignum erit moribus gentis, strenuae in feros, hostesque fugandos, unde & Vertagri Regis & canis Britannici nomen. De Rege dixi ante, de cane vid. Martial. lib. 14. epigram. 200. a *Jagen* est nostrum imperfectum *Joeg*, Germanicum *Jug*, unde *Jugum*, & *Jugumattius*, nec non *Verjugodomnus*. Pars altera Jucgodumni nominis est in nomine Dumnorigis, is frater fuit Divitiaci, qui principatum in Aeduorum civitate tenuit. Caesar

tur in Bell. Gall. lib. 1. cap. 3. est & in nomine Dumnaci Andium ducis, Idem Bell. Gall. lib. 8. cap. 26.

CAPUT III.

Jucgumattius Gallus fuit, aut Germanus, Gaiso, Gaisio, Gaisus eadem nomina. Nomina Gallorum & Germanorum in o & us terminata. Becco unde. Gaisones, Gaisi, Radagaisus &c. unde dicti. Gaesa hasta dicta Transalpinis. Viri fortes Gaisones dicti Gallis. Batavi aliique Transalpini cives Romani facti patris nomen barbarum in Monumentis scribebant. Inscriptiones nonnullae declaratae. Marsacius natione cur mucro dictus. Van der Hoeven jocularis sententia. Gesatae qui Gallorum milites. Germani procero corpore fuerunt. Praestanti corpore milites in praesidiis limitum.

Ex iis, quae ante disputavimus, apparet, M. Trajanum Jucgumattium hominem Germanum fuisse aut Gallum, idem manifestum est ex nomine patris. Gaisionis enim filius appellatur. Gais nomen Germanorum Gallorumque fuit, Romano more loquentibus Gaiso, (ita *Beck*, id est, avis rostrum, quod & hodie frequentatur nostratibus, a Romanis in cognomen mutatum, *Becco* dicebatur. Suetonius in Vitell. cap. ult. *Siquidem ab Antonio Primo adversarum partium duce oppressus est. Cui Tolosae nato cognomen in pueritia Becco fuerat, id valet gallinacei rostrum*) Gaisio, Gaesus, Gesus, & Gisus dicebatur, etenim in o. io. aut us. barbarorum nomina terminabantur. Dixi aliquid in de Brittenburgo cap. 1. pag. 7. Soliti majores nostri ultimam nominum syllabam exiliter pronunciare, ut vix cognoscas, utrum e, an alia sit vocalis. Galame scribitur Hollandis, qui Galama Frisiis. Latinis ea o visa, quod haec littera terminalis sermoni suo aptior & virorum nominibus. Quod ad diphthongum ai attinet, in eadem hac voce (vulgare enim id nomen & commune viris foeminisque in Gelris, atque aliis Germaniae inferioris gentibus est) varie nunc mutatur. Gaisonem percussorem Imperatoris Constantis nominat Zonaras & Aurelius Victor. Epit. cap. 41. Gaisionis comitis meminit Gregorius Turonensis Historiar. lib. 9. cap. 30. sic & Bato & Batilo, vid.

vid. Torrent. ad Sueton. in Tib. cap. 20. Compofita inde nomina admodum frequentantur in Annalibus, Gisbertus, Gaifelbertus, Radagaifo, Adalgifo, Aragifo, Wiligifus fuit pater Willebrordi, primi Trajectinorum ad Rhenum Epifcopi, Beka in Epifc. Traject. pag. 8. Lanigaifus eft apud Ammian. Marcell. pag. 41. Ariogaifus, Dion. Caff. lib. 17. pag. 808. Illuftris eft Gaifericus, Wandalorum Rex, de quo in Eufeb. Chron. ad annum mundi 2453. & 2455. Cum autem hi omnes Germani fuerint, certe Transalpini, ambigendum non eft, ex eadem natione, quae pluribus gentibus cenfebatur, ortum fuiffe Gaifionem. Et quo minus dubites, facile nominis illius etymon in earum gentium lingua reperias. Gaefa namque Tranfalpini haftas aut pila vocabant. Quare Virgilius, doctiffimus Poeta, Gaefa Alpina nominat, & Gallis Senonibus, qui Romam igne delerunt, ea tela dat, Aeneid. lib. 8. v. 661.

Duo quifque Alpina corufcant
Gaefa manu, fcutis protecti corpora longis.

Illud non negligendum hoc loco, quod addit in commentariis Servius, ab his Gaefis viros fortes a Gallis Gaefones fuiffe vocatos. Unde arguas, non promifcue, ut nunc, infantibus id nomen fuiffe impofitum a parentibus, fed robufta demum aetate viris ob rem praeclare geftam a duce exercitus aut Rege fuiffe delatum, haud aliter atque Romani milites hafta pura donati fuerunt. Quae & cauffa forte fuerit, cur M. Trajanus hoc patris nomine unice fuerit delectatus, idque unum in hoc monumento oftentarit, (fi tamen plura habuit Trajani veterani pater, civisque Romanus fuit) cum plura habuerint nomina Romanam civitatem adepti. Quanquam & hoc mihi obfervatum, confueviffe Romanos, Gallica aut Germanica origine cives, non Romanum, fed barbarum patris nomen in monumentis fibi apponere. Sic Albanus Batavus in monumento apud Grut. DXIX. 5. Balvi filius Flaus, five Flavus, & Flavius Vihtirmatis filius fummus magiftratus civitatis Batavorum in Monumento Cuperi in Harpocr. pag. 218. In Monumentis Domburgenfibus funt Dacinus Liffionis filius, Flettius Gennalonis, vid. Smallegang Cronyk van Zeland. lib. 1. cap. 4. In Monumentis Bergendalenfibus prope Cliviam Marcinus Surconis filius Breucus. Atque ita Palmyreni Barbarum patris nomen in cippis fuis ponebant, vid. Edwardi Bernardi & Thomae Smithi Infcriptiones Palmyren. Num 11. pag.

pag. 7. ΙΟΥΛΙΟΝ ΑΥΡΗΛΙΟΝ ΖΗΝΟΒΙΟΝ ΤΟΝ ΚΑΙ ΖΑΒΔΙΛΑΝ. ΔΙϹΜΑΛΧΟΥ ΤΟΥ ΝΑϹϹΟΥΜΟΥ *Julium Aurelium*, *Zenobium qui & Zabdila filium Dismalchi filii Nassumi*, & mox pag. 8. *Odaenathus filius Aeranae filii Vaballathi filii Nassori.* Aptum autem militi a gaesa sive pilo nomen, quod sagittae in modum in hostem ferebatur. Ti. Claudius Chloreus Neronis Claudii Caesaris Augusti corporis custos, natione Batavus, fuit ex decuria spiculi, Inscriptio est apud Reines. Cl. 9. n. 74. Gudium CLXI. n. 2. Fabrett. Inscr. pag. 687. Octavius Sagitta est apud Tacit. Annal. 13. cap. 44. pertinet huc Hortensius Mucro natione Marsus, vel Marsacius, varie namque lapis ille editur: vid. Grut. DXVIII. 5. Donius CCXXXVII. 45. CCXL. 28. De caussa & origine nominis Mucro lepide van der Hoeve in Handvest Cronyk pag. 43. quem si leges, ridebis, sat scio. De Gesatis Gallorum militibus longa est disputatio, de quibus Plutarchus in vita Marcelli sub initio, & Polybius Histor. lib. 2. cap. 22. atque alibi. Germanis porro M. Trajanum vindicat corporis proceritas, qua inter ceteras gentes Germani pollebant, nulli non scriptorum veterum celebrata. Florus lib. 3. cap. 10. corpora eorum immania dicit. Tacitus Historiar. lib. 5. c. 14. *Germanos fluminibus suetos levitas armorum & proceritas corporum attollit.* Ostendit autem ea corporis dignitas, quae in Trajano hoc conspicua, verum esse, quod Aristides in Oratione de Roma, ad tuendos imperii limites delectos fuisse juvenes praestanti natura & corporis habitu, dicit.

CAPUT IV.

Veteranorum ratio omnibus non perinde explicita. Scriptor Anonymus de Rebus Bellicis emendatus. Terrae ad imperii limites Veteranis colendae datae. Maxime ad Rhenum. In alis & cohortibus non eae solum gentes, a quibus nomina habent, sed & aliae militarunt. Truncatus Gruteri lapis refectus. Batavi in multis terris stipendia meruerunt. Muratoriani lapidis Inscriptio enodata.

Expositis nominibus, ad conditionem, quam sustinuit M. Trajanus Jugumattius, demonstrandam progredior. Fuit autem is VET. ALAE AFROR. id est, Veteranus alae Afrorum. Putidum

dum fortasse videbitur nonnullis, in tanta luce declarare velle, quis Veteranus fuerit, quae ala. Et tamen nonnulla, quae ad Veteranos pertinent, obscura esse intelliges, si cogitabis, Lipsium in iis esse lapsum, id quod deinceps demonstrabo. Veteranum hic militia missum accipio, ut in pr. Inst. Quibus non est perm. fac. testam. atque ita in Monumentis, in quibus Veteranorum mentio, conditionem eorum, & caussam, cur Trajanus hic, consummata militia, ad suos lares non redierit (si forte peregrinus in Batavis fuit) & ad limitem imperii, qui Rhenus erat, constiterit, cognosce ex scriptore de Rebus Bellicis, qui Notitiae Utriusque Imperii addi solet, pag. 203. Adscribo verba, cum, quia opportuna huic loco, tum, ut inde mendum exigam. *Hujusmodi igitur provisionis utilitas*, inquit, *in augmentum provincialium habet veteranos regiis donis opulentos, & ad colendos agros adhuc praevalentes agricolas. Habebunt limites Arabum* (rescribe *arvatum*) *quae dudum defenderant, & laborum desiderio potiti, erunt ex militia collatores.* Factum id fuisse aliquando, quod homo iste suasit, certe ab Imperatore Alexandro Severo fuisse factum, docet Lampridius in Alexandro cap. 58. *Sola, quae de hostibus capta sunt, limitaneis ducibus & militibus donavit, ita ut eorum ita essent, si heredes illorum militarent: nec unquam ad privatos pertinerent, dicens, attentius eos militaturos, si etiam sua rura defenderent.* Sola ad Rhenum significari, inde arguo, quod Alexander Imperator ultra amnem eum praeclare res gessit. Nec dubitavit de eo Casaubonus in commentariis ad illum locum, quod ab hoc Alexandri instituto feudorum, quae plurima per Germaniam, originem repetit. Caetera, quae ad Veteranos, ex quorum genere Trajanus ille fuit, pertinent, ex utriusque Codicis titulis, qui scripti sunt de Veteranis, cognosci malo, quam ex Antiquariorum hodiernorum libris, quod hi potissimum ea persequuntur, quae libera republica veteranis competebant, a quibus in nonnullis caussis illa discrepant, quae ab Imperatoribus sunt constituta. Hoc forte obscurum videbitur nonnullis, eum Germanum aut Gallum a me existimari, qui in ala Afrorum meruit. Verum facillime tolletur obscuritas, si putemus, alas & cohortes ex nationibus & populis, ex quibus nomina induerunt, conscriptas fuisse, sed suppletas ex aliis gentibus, maxime ex iis, in quarum terris eae alae atque cohortes praesidia egerunt. Albanus Balvi filius Decurio Alae Augustae Ituraeorum (natio haec proxima Judaeis habitavit) domo Batavus, est apud Gruterum DXIX. 5. qui in Transil-

silvania lapidem inventum scribit. Utor hoc exemplo potissimum, quia est domesticum. Ejusdem alae fuit Barcathes, sed domo Ityraeus: Cippus ejus fuit Ebertorffi inventus, quod est Austriae oppidum. Eum habet Gruter. DXXXIII. 9. Inscriptum ita:

BARCATHES
DECEBALI F
EQ. ALAE. AVG.
ITYRAEORVM DO
MO ITYRAEVS AN
XXV. STIP. V. H. S. E
ZANIS. DECE. F BAR
AMNA BELLABI F
ET BRICBELVS FRATR
HEREDES POSVERVNT

Titulum lapidis descriptum adposui, ut copiam darem peritioribus existimandi, an Barcathem hominem Ityraeum Decebali filium ferant. Rex is fuit Dacorum, cujus nobile ad Danubium nomen fecit, ut id alieno hoc loco substitueretur homini Ityraeo in Monumento ad Danubium invento: in versu septimo DECE F. Est & exemplum civis Treveri, qui stipendia fecit Eques Alae Indianae. Pars exigua monumenti tradita est Grutero pag. 519. 7. integrum dedit Jacobus Campius in epistola ad Lipsium, quae inserta est Burmanni epistolarum Syllogae Tom. I. pag. 555 ubi ita:

ALBANO VITALI
EQ. ALAE INDIANAE
TVR. BARBI CIVI
TREVERO AN. XXX. S+P. XX
H. EX. T. E. C.

Adde Gelenum in Admirandis Coloniae lib. 2. Syntagm. 34. pag. 198. & Muratorium DCCLXXIII. 6. Hoc unum ipse addo, Alam secundam Ulpiam Afrorum Thaubasteos memorari in Notitia Imperii Orientalis pag. 86. quae fuit sub dispositione Comitis rei militaris, & Thaubastin urbem praesidio tenebat. Thaubaston significari, cujus meminit Antonini Itiner. docuit egregie, ut omnia, Wesselingius meus in notis ad Antonini Itinerar. pag. 171. A quo Imperatore aut quo tempore Afrorum ala ad Rheni limitem traducta sit, ignoro,

ro, nec refert scire, certum namque, in quascunque terras raptata fuisse Romanorum auxilia, & milites ex provinciis populi Romani conscriptos. Africa vero in provinciae formam redacta, bona fide Romanis serviit inde a Carthagine deleta. Batavorum Auxilia in Britannia, Gallia, Italia, ad Danubium atque in aliis terris meruerunt. Deflet Claudius Civilis in concione, *Instare delectum, quo liberi a parentibus, fratres a fratribus, velut supremum dividuntur.* Tacit. Histor. lib. 4. cap. 14. Alam x Arabum ex lapide in Pannonia invento commemoro hoc loco, non quia admodum opportunus, sed ut titulum ejus integritati restituam, quem pro deposito habuit Muratorius, qui eum ita exhibuit, XVIII. 2.

AESCVLAPIO ET
HYGIAE
DOMITIVS
MAGNVS
PRAEF. ALAE
XAIABVM SE
VERIANAE ET
I. PHRAE VET

Evolvo ita: Aesculapio & Hygiae Domitius Magnus Praefectus Alae decimae Arabum Severianae & Euphrates Veteranus.

CAPUT V.

Coena M. Trajani Jucgumattii describitur. Omnia in illa Romana. Batavi secuti Romanorum mores, vestitum, & ornatum. Epulationes aliorum ex lapidibus memorantur. Germanorum persuasio de conviviis Inferorum. Lapis antiquus expositus. Breucorum sedes. Castra eorum Breucomago ad Rhenum originem dederunt. Gruteri marmor illustratum. Anguis quid in Monumento Marsacii.

Missa inscriptione, ad medium supremumque lapidem oculos mentemque convertamus. In medio M. Trajanus discumbit ad mensam instructam. Adstat ad pedes puer. In tympano

sive

five fastigio lapidis Victoria alata. Hinc atque hinc leo rugientis habitu. Omnia haec Romana, neque quidquam in iis barbarum. Quae quidem res arguit, M. Trajanum rejecto more patrio in Romanam disciplinam concessisse. Ad id enim Scholae in Provinciis apertae, atque in foederatis regionibus, quarum unam fuisse in Batavis, docui alibi. Hinc togae communicatio, quam caeterus Romanus habitus cultusque sequebatur. Hinc obsidum regiorum & principalium adolescentium ex provinciis in urbe educatio, ut exuta feritate, depositoque vestitu horrido, animi, mores & corpora mitescerent. Atque haec est caussa, quare non Jucgumattii tantum nostri, sed Batavorum, omniumque Gallorum, Germanorumque, qui in Monumentis antiquis ostentatur, cultior & Romanus sermo, capillorum comtus, corporis totius ornatior habitus, quae quantum differant ab horrore eo, quem patrii scriptores crepant, quisque intelligit: Quanquam certum est, Batavos, amicos & fratres imperii Romani cultum imo & munditiem, lautitiamque Romanam prae caeteris gentibus aemulatos esse, ac praecipue proceres Batavorum, virosque honoribus, opibus conspicuos, quos omnes cives Romanos fuisse puto. Epulatio, quam hic vides, Romana est, quam & multi Romanorum lapides testificantur. Tu vide formas, quas Guilielmus Philander ex Lateranensi & Mutinensibus marmoribus in conspectum dedit, in notis ad Vitruvium de Architectura lib. 6. cap. 5. Vellem monuisset Philander, viventium eae, an mortuorum coenae essent, id est, an ex cippis & monumentis sepulchrorum descriptae. Quam in Trajani Jucgumattii lapide intueris, est illa epulatio, quae fiebat in campis Elysiis, de qua Virgil. Aen. 6. vs. 656. ubi de Aenea illos campos ingresso:

Conspicit ecce alios dextra laevaque per herbas
Vescentes.

addit Poeta:

Laetumque choro Paeana canentes.

Unde intelligimus, ea, quae vivis cordi fuerunt, placere quoque apud inferos, servos, equos, canes, puellas, quae ob id, in lapidibus sepulchralibus sculpta videmus, ut imaginem vero-

 rum

rum referant. Placuit is mos Germanis, Romanae militiae adsuetis, idque eo magis, ut puto, quod non abhorrebat a Septentrionalium populorum persuasione, de qua Thomas Bartholinus in Antiquitat. Dan. lib. 2. cap. 12. Ubi docet, Odinum, qui Heroum maximus erat, in Walhalla, is fortium virorum & beatorum hominum ad inferos locus, vinum, caeteros cerevisiam aut medonem sive mulsum bibisse. In praesenti de iis Germanorum Monumentis dicam, quae aut ipse lustravi, aut ab aliis lustrata accepi. In Bergendalensi agro duo militum Breucorum, alterum ita habet:

MARCINVS. SVR
CONIS. F. BREVCV
MIL. EX. COH. VIII
BREVC. ANN. XXXV
STIP. XII. H. S. E

Supra aut equus aut lupus jacet, forma enim obscurior est, infra crotalistria saltat, sublatis in altum manibus cum crotalis. Intuenti mihi lapidem succurrebat hoc Propertii lib. 4. El. 7. v. 61. ubi de Elysio

Qua numerosa fides, quaque aera rotunda Cybeles,
Mitratisque sonant Lydia plectra choris.

Alterum vero est lapidis admodum scabri & pereuntis literae, quae cognosci potuerunt, hae sunt E... PREV... A... CON. NX A. I.. IL+A...... SCRI... V.. MS... TAT. FRAT. Vestigia nominis Breuci, nec non conjugis, me in iis deprendisse videor, ut & vocem *militare.* Supra titulum homines duo discumbunt, Breucum militem veteranum & conjugem esse auguror. Apposita est mensa tripes, in qua duo pocula. Infra puer equum ducit. Breucos Plinius Histor. Natur. lib 3. cap. 25. in Pannonia collocat, ad Savum amnem, additque Colapianos & Breucos populorum capita esse. Dicas, ex castris eorum, dum Romanis militarunt, coaluisse Breucomagum, oppidum non ignobile olim ad Rhenum, Breucomagi namque nomine appellat Ptolemaeus, & Antiqua Tabula Brocomagum, nec non Ammianus Marcellinus, cujus adjicio verba de eo oppido, ut situm ejus perspicias, ex lib.

16.

16. cap. 3. *Audiens itaque Argentoratum, Brocomagum, Tabernas, Salisonem, Nemetas & Vangiones & Mogontiacum civitates barbaros possidentes, territoria eorum occupare, nam ipsa oppida, ut circumdata retiis busta declinant, primam omnium Brocomagum occupavit.* Brotomagum in nonnullis antiquioribus codicibus est, de quibus plura Henricus atque Hadrianus Valesii, ille in notis ad Ammianum, hic in Notitia Galliae. Spectavi praeterea alium lapidem in eodem suburbano Clivensium agro, in quo umbra imaginis superest, ex qua cognovi hominem recubantem, mensamque appositam ei, in ea duo pocula, ad pedes puerum, pone mensam gutturnium, ventre non dissimili illius, quod in Monumento Jucgumattii est, verum os deerat. Vidi etiam in villa Velsena Amplissimi viri Gerardi Papenbroekii Monumentum Valentis Biticralis veterani ex ala prima Thracum, quod nunc Leidae visitur, in quo, referente Reinesio Classe VIII. 58. & Oudendorpio in Descriptione legati Papenbroekiani pag. 5. vir lecto tricliniari incubans, servi duo adstantes, & ante eum tripus cum ferculo, sinistra manu trullam tenet. Lapis ille ad Rhenum prope Trajectum est erutus. His adde Monumentum Albani Vitalis, de quo dixi supra cap. 4. Haec de eo Gelenus in Admirandis Coloniae lib. 2. Syntagm. 34. pag. 198. Cippus, inquit, tres habet areas, in quarum suprema exhibebatur nudus adolescens, innixus sinistro brachio, quasi in stragula & pulvinari accumbens mensae tripedi, in qua duo vasa cum cibis & scyphis, ad pedes puer adstat manibus decussatim compositis. In infima area equus generosus, stragula & phaleris ornatus, ex cujus ephippio scutum oblongum dependet, famulo fasces ferente, loroque equum a tergo regente. De Monumento T. Aurelii T. F. Ulp. Noviomag. Equitis Singularis Imperatoris, Gruterus DXXXII. 9. ubi haec monet. Miles, inquit, in lecto est, adstat tripus, puer ad pedes lecti anguem manibus torquet. Talem quoque coenam fuisse puto, quam feralem dicit idem Gruterus DXVIII. 5. Marsacii, an Marti, certe Germani, si quid veri conjecto. Anguis in Monumento Batavi (Noviomagum namque in lapide urbem eam accipio, quae ad Vahalim est) aut Genius Aurelii est, aut vivo in deliciis fuit.

CAPUT VI.

Quae communia, quae propria sunt, in coena Trajani. Grabatus, mensa. Orbes mensarum pretiosi. Lecti pulvini. Terentius emendatus. Insulae cujusmodi aedificia in urbe. Epulationes Elysiae lautiores. Poculorum varia genera & nomina. Frequenter obvia in Monumentis sepulchralibus. Pomponii Melae lectio defensa, & exposita. Locantes & Modimperatores in conviviis. Coenae in Monumentis militum exterorum more Romano instructae. Peregrini in militiam conscripti, facti sunt cives Romani, & more Romano vixerunt. Salini usus facer & multiplex, inde in Cippis sepulchralibus. Deorum simulacra multa ad Rhenum inventa. Cui usui. Salinum cur dictum concha, & echinus Horatio. Horatius illustratus. Sal purum quid. Salinum an semper ex argento. Festus an vere Salinum dixerit aqualem. Idem illustratus. Cuperi & Fabretti sententiae rejectae. Manus decussatae indicium hominis otiosi, non vero lugentis. Omnia laeta ad Inferos. Pocillatores stare dicebantur. Pocillator servus in penula. Homines in publico versantes penula induti. Penula vestis crassior, ad arcenda frigora. Creber earum usus in his terris. Mercurius penulatus. Ill. Wassenarii Comitis Gazophylacium. l. 1. C. Th. de Habitu quo. exposita. Byrrhus & cucullus servorum vestimenta. Senatores nonnunquam penulati, praecipue Officiales. Vestium usus saepe mutatus. Nummus Maximiani expositus in quo manus decussatae. Maximianus Imperator cur Herculis specie in nummis. Herculius dictus. Claudii Mamertini locus expositus. Propria coenae Trajani traduntur. Synthesis vestis coenantium. Matth. 22. v. 11. lux. Milites etiam in conviviis chlamydati & cincti accubabant. Cur Jucgumattius in Synthesi. Lapis antiquus Donii & Muratorii illustratus. Lampadem tradere quid. Ferculum quid. Singulare in Monumento Trajani. Pluribus ferculis coenare quid? Fulgentius expositus. Ferculum saepe fericulum appellatur. Mappa rarior in Monumentis. Mappae & Mantilis differentia. Nonnunquam miscentur. Λάσσια & λάσια quae. Mappae & Mantilia villosa. Mappae fimbriatae. Mappae clavatae. Mittere in mensam, id est, mensam insternere. Male negat Guil. Philander, Romanis mensas fuisse instratas. Mantilia & Mappae ex lino. Gutturnium rarum in sepulchralibus saxis. Gutturnii usus. Ejus forma. Vestium,

stium, poculorum, vasorumque usus saepe mutatus. Horatius expositus, Coena Horatii qualis. Pocula alia usus humani, alia usus divini. Scholiastes Horatii laudatus. S. Martinus in sella coenavit. Ejus humilitatis caussa. Cujusmodi illa sella. Trapetia vox Gallica, id est, tripes. Martino Augusta ministravit in coena. Miscere, id est, bibituro infundere. Inscriptiones poculorum. Pocula in sepulcbris condita.

Multa communia sunt hujus coenae, nonnulla propria. Communia sunt, Accubitus, Lectus cum Pulvino, Mensa tripes, Cibus, Poculum, Servus decussatis manibus adstans, quae in plerisque coenantium monumentis reperias. Propria, certe vulgata minus sunt, Synthesis, Ferculum in mensa, Mantile, sive Mappa, Gutturnium, Servus in penula. Ibo per singula, sed strictim. De more veterum accumbendi in lecto & pulvinis nihil dico, pleni enim omnes libri, maxime eorum, qui de ritibus veterum scripserunt. Ex genere lectorum est grabatus, utriusque imagines multae & variae in marmoribus aliisque monumentis antiquis, quibus adde Menologium Graecorum part. 1. pag. 17. 24. Mensa tripes lautiorum & tenuiorum est, quos orbis tripodi impositus distinguebat. Plinius Natur. Histor. 13. cap. 15. ubi de mensarum luxu. *Exstat bodie M. Ciceronis in illa paupertate, & quod magis mirum est, illo aevo emta HS X. memoratur & Galli Asinii HS XI. venundatae sunt duae, Juba rege vendente, quarum alteri pretium fuit HS XV. alteri paullo minus.* Orbem eum fuisse, qui tanto pretio sit emtus, Tertullianus docet de Pallio pag. 55. *Adigo cauterem ambitioni, qua M. Tullius quingentis millibus nummum orbem citri emit, qua bis tantum Asinius Gallus pro mensa ejusdem Mauritaniae numerat.* Eadem ratio & ambitus fuit lecti, & pulvini. De lecto addo hunc Terentii versum ex Adelph. Act. 4. Sc. 2. v. 46. non, ut lucem inde foenerer, sed ut mendam ei eluam, quae mirifice exercuit commentatores.

Lectulos in sole ilignis pedibus faciundos dedit.

Committe voces *in sole*, & rescribe *insulae*. Fuit, cum *insole* exarabatur. Accipe autem insulas, in urbe aedificia, de quibus Festus. Enumerant eas Sext. Rufus, & P. Victor, qui urbem Romam descripserunt. Habitationes earum insularum tenuioribus lo-

cabant ii, quos Suetonius in Caes. cap. 41. & Tiber. cap. 48. Insularum dominos nominat. Qui cibus Trajano appositus sit, ex imagine non dignoscas. Lautissimos fuisse, aut simulacrum lautissimorum in imagine tali praetulisse, cujus spatium varietatem & splendorem epularum non capiebat, ex eo intelligas, quod Fabia Pyralis in marmore Reinesii tales optat a Dis epulas marito, quales ipsa in imagine exhibuerat. vid. Reines. Syntagm. Inscr. Class. x. 195. ubi *Di talesque dabunt epulas meritis pro talibus.* Coenasse milites opipare & opimius apud inferos inde colligo, quod iis amoenior & sanctior locus ad manes datus. Virgil. Aeneid. lib. 6. v. 656.

Conspicit, ecce, alios dextra laevaque per herbam
Vescentes, laetumque choro Paeana canentes,
Inter odoratum lauri nemus: unde superne
Plurimus Eridani per silvam volvitur amnis,
Hic manus ob patriam pugnando vulnera passi.

Poculum Trajani nostri striatum videtur. Innumerae poculorum olim fuerunt species & sexcenta nomina. Graecorum nonnulla Julius Pollux lib. 6. & 10. Athenaeus lib. 11. Romanorum Varro de Ling. Lat. lib. 4. pag. 30. 31. Macrobius Saturnal. lib. 5. cap. 21. Isidorus Origin. lib. 20. cap. 4. 5. & seq. recenset, plura alii. Ipse nonnulla servo Romanorum, atque eorum, qui Romano more olim in his terris vivebant, reliquias. In duabus Bergendalensium monumentorum coenis animadverti duo pocula, duo quoque vidit Gelenus in Cippo Albani Vitalis, ad Coloniam Agrippinensem invento, de quo vide supra cap. 4. & 5. De Scythis Europaeis Pomponius lib. 2. cap. 1. tradit, fortissimis quibusque, & qui plurimos neci dederant, in conviviis duo pocula apposita. Adscribo locum, quia varie tentatus est a viris eruditissimis, tametsi pisce sit sanior, modo ita verba disjungas. *Inter epulas, quot quisque interfecerit, referre, laetissima & frequentissima mentio, binisque poculis, qui plurimos retulere, perpotant. Is inter locantes bonos praecipuus est.* Locantes, (quae vox in vetustis codicibus invenitur) dicit arbitros & moderatores convivii, quos, teste Nonio, Varro Modimperatores dixit, eos nempe, qui cuique locum in convivio adsignabant. Quanquam autem non nego, Germanos Scytharum fuisse progeniem, non tamen existimo, quidquam Germanici aut Scythici eorum Germanorum Monumenta habere, qui in

in Romanam militiam & nomina transierunt. Illos enim cives Romanos fuisse puto, exutaque barbarie Romanorum vitam, mores atque instituta secutos. Quare poculum alterum Salinum fuisse auguror, animadverti etiam in Monumentis Bergendalensibus, in quibus duo pocula, alterum fuisse brevius. Accessit Salinum omnium mensis, non tantum ob id, quod Sal inter praecipua ciborum condimenta erat, sed & quia Salino apposito sacra habebatur mensa. Arnobius adversus Gentes lib. 2. pag. 91. *Sacras facitis mensas, Salinorum appositu & simulacris Deorum.* Ut Salina in Monumentis ad Rhenum adservata, ita Deorum illa simulacra in ejus ripis plurima eruuntur, quorum nonnulla servo, eo modulo facta, ut facile portarentur, erant autem illi Dii & itinerum & mensarum comites. Salinum Concham dixit Horatius lib. 1. Serm. 3. v. 13.

Modo sit mihi mensa tripes, &
Concha salis puri.

Ob formam conchae, quam imitabatur salinum, cui & striae poculi Trajani conveniunt. Torrentius ex argento fuisse in omnium etiam plebejorum mensis existimat ob id, quod splendere dicitur eidem Horatio lib. 2. Od. 16. v. 13.

Vivitur parvo bene, cui paternum
Splendet in mensa tenui Salinum,
Nec leves somnos timor aut cupido
sordidus aufert.

Equidem malo splendorem non ab argento, sed a sale arcessere, neque enim Horatianae coenae vasa ex auro fuerunt, sed fictilia, quare Campanam Supellectilem nominat, 1. Serm. 6. v. 118. Quanto enim Sal candidior, & magis pellucidus, tanto praestantior, vid. Plinius Nat. Histor. lib. 31. cap. 7. ἀλλὰ λευκὸν Lucianus in Merced. Conduct. Unde Persius Sat. 3. v. 25.

Purum & sine labe Salinum.

nec non Horatius *concham salis puri* probat. Concham marinam hic significari putant commentariorum auctores, certe Scholia-

 stes

ſtes vetus & Cruquius, quod verum non arbitror, forte pullatorum, id eſt, de infima plebe hominum, ſalinum ex concha marina fuit, non vero Horatii, aut Perſii. Non illi ſeſe ſordidos voluerunt, nec etiam lautos, ſed munditiem honeſtatemque amarunt, Horatius certe aureae mediocritatis laudator fuit, quam concham hic lib. 1. Serm. 6. v. 117. echinum nominat, ob ſimilitudinem echini marini, id quod mox docebimus. Salinum in menſa pro aquali ſolitum eſſe poni cum patella, quia nihil aliud ſit ſal, quam aqua, ex Verrio refert Feſtus, vere, an ut rideat, non diſtinguo. Sane ſolet is Verrium mordaciter inſectari. Sal ex aqua fit, non nego, ſed ex aqua Marina. Num &c. ea in aquali appoſita? non puto. Aqualis apponebatur, cum ad lotionem, tum ad miſcendum vinum, cui inutilis aqua marina. Dicit, cum patella appoſitum fuiſſe olim, ſed Scholiaſtes Horatii ad lib. 2. Od. 16. Salinum ipſam patellam ſcribit fuiſſe, in qua Diis primitiae cum ſale offerebantur, additque, ſalinum vas fictile fuiſſe. Idem Feſtus, ſed alio loco, ſcribit, Salinum cum ſale in fornacem conjectum incendium excitaſſe, quo incendio figulus cum convivis vino ſopitis ſunt conſumti. Excitatum autem incendium puto ſcintillis a ſale crepitante, ut ſolet in igne, disjectis. Stat ſervus in penula manibus decuſſatim junctis. Illam manuum compoſitionem Ill. Cuperus in Monumentis antiquis Harpocrati adjectis pag. 240. indicium luctus eſſe ſcribit. Figura adſtans, inquit, luget Marcum defunctum, & eam ob cauſſam, manum unam alteri impoſitam habet. Idem olim exiſtimavit Fabrettus in expoſitione Tabulae Iliacae. Verum exulabant ab Elyſio triſtitia & luctus, imo vero

Hic choreae cantusque vigent, paſſimque vagantes
Dulce ſonant tenui gutture carmen aves.

Tibullus lib. 1. El. 3. v. 59. & Propertius lib. 4. El. 7. v. 61.

Qua numeroſa fides, quaque aera rotunda Cybeles,
Mitratisque ſonant Lydia plectra choris.

Otioſorum hominum ille manuum geſtus eſt. Stabat autem ille ad cyathos, & ad capeſſenda domini juſſa. Seneca de Beneficiis lib. 3. cap. 27. *Servus, qui coenanti ad pedes ſteterat.* Suetonius in Caeſar. cap. 49. *ad cyathum & vinum Nicomedi ſtetiſſe.* Idem in Calig.

cap.

cap. 26. *Coenanti modo ad pluteum, modo ad pedes stare succinctos linteo.* Ea cinctura, quam Suetonius dicit, erant delicatiores lautiorum dominorum servi, pueri Iliaci, aut ex nobilissima Asiaticorum Regum aula, quales certe noluit miles veteranus, qui penulatum maluit, negotiosum nempe, paratumque & instructum non tantum ad officia domestica, sed & ad alia extra domum tectumque gerenda, cujusmodi negotia qui obibant, penula amiciebantur, quae vestis erat crassior, togae tunicaeve super injecta ad arcenda frigora, atque alias aeris injurias. Quare eorum omnium communis fuit, liberorum, servorum, qui sub dio, & jove frigido, pluviove versabantur, atque crebrior eorum usus in his terris, quam quae remotiores a sole erant. Lecticarios militesque in penula fuisse, innuit Seneca de Beneficiis lib. 3. cap. 28. *Quo tandem ab istis gerulis raperis, cubile istud tuum circumferentibus? quo te penulati isti in militum & quidem non vulgarium cultum subornati?* Vidi Mercurium, credo adversus coeli inclementiam, ut in itinere, penulatum, in ornatissimo Illustrissimi Wassenarii Comitis Gazophylacio. Jucgumattii servus tunicae penulam superinjecit. Theodosius in l. 1. C. Th. de Habitu, quo uti oportet, intra urbem lib. 14. tit. 10. byrrhum & cucullum tribuit servis, quorum forma non longe abit a penula. In eadem lege Senatores etiam in penula fuisse dicuntur, sed praecipue Officialium, quibus ob negotia creber fuit in publico & sub divo usus, unde intelligimus, non eundem semper usum vestium fuisse. De compositis otiosorum manibus id cognovi ex nummo Maximiani Augusti aureo, quem olim mihi Comes Thomsius ostendit, emtum in regione urbis proxima, Ducatu nempe Clivensi, ubi eum repertum dicebat. Sedet Hercules, imo vero Maximianus Augustus, Herculis specie (nam illius Dei nomine dictus fuit, si Panegyristae incerto credimus, cap. 8. quod se progeniem esse Herculis, non a dictionibus fabulosis, sed aequatis virtutibus comprobavit) sedet is, inquam, in scopulo, manu dextra sinistrae decussatim imposita, rejectis aut depositis armis telisque nudus. Hinc arcus, hinc pharetra inanis, illinc clava ad scopulum reposita, abstracta leonis pelle. Quae quid, nisi defunctum laboribus Herculem, aut quiescentem atque otiosum, pacato terrarum orbe, Maximianum demonstrant? Claudius Mamertinus in Panegyrico 1. ad Maximianum cap. 7. *Tu autem Imperator invicte, feras illas indomitasque gentes vastatione, proeliis, caedibus, ferro, ignique* do-

domuisti. Herculei generis hoc fatum est, virtuti debere, quod vindicat. Exinde enim soluto animo ac libero sumus. Licet Rhenus arescat, tenuique lapsu vix leves calculos perspicuo vado pellat, nullus inde metus est. Quicquid ultra Rhenum prospicio, Romanum est. En nummi, & geminum gemmae ectypon, quod mecum communicavit Consul Noviomagensis de Beyer, qui cum honoris amplitudine insignem doctrinam, ex priscis monumentis & peregrinatione quaesitam, singularemque humanitatem conjungit. Manum dexteram caputque Herculis scipio sustentat. Conspicua sunt clava, apri Erymanthii caput, Hesperidum mala, leonis exuviae, arcus retensus.





Dixi de communibus lapidis Dodenwerdensis, atque in iis etiam de servo penulato, qui rarior in coenis monumentorum, atque inter ministratores. Restat, ut quae propria & pecularia sunt illius cippi exponamus. Dicam autem primum de synthesi, sed pauca, sunt enim pervulgata pleraque. Coenatorium nominat Martialis lib. 10. epig. 87. cui adde lib. 14. epigr. 135. Ex Synthesium genere fuit ἔνδυμα γάμες, de quo Matthaeus in Euangel. cap. 22. v. 11. Fuit illa vestis pretiosior, atque ob id ditiorum hominum, ut Senatorum & Equitum Romanorum. Martialis lib. 14. Epigr. 1. v. 1.

Synthesibus dum gaudet Eques dominusque Senatus.

Videntur Sagati aut chlamidati & cincti milites coenasse etiam in conviviis, certe ii, qui apud Imperatorem coenabant, vide Trebell. Poll. de Salonino Gallieno cap. 2. absunt ergo syntheses a militum monumentis, etiam Veteranorum plerorumque. Suspicor, Jucgumattium bene peculiatum fuisse, atque inde in Synthesi. Est & in eadem veste Aurelius Mucianus ex numero Equitum singularium

dum Augusti annorum xxxxv. domo Thracia, cujus monumentum exhibet Muratorius ex Donio DCCXCVIII. 2. Elegantissimus hic lapis est. In eo discumbit Aurelius, sinistra manu urnam vinariam tenet. Dextra puerulo alato, is Amor est, lampada, quasi curriculo peracto, sive in decursu, ut est apud Persium Sat. 6. v. 61. tradit. Coronam illi Amor, quod ei non sine gloria militarat, reddit, in imo lapide arcum & pharetram repostam arbor habet. Equites illi singulares Augusti honoratiore loco in castris erant, atque ob id stipendium majus habuisse, credibile est. Ferculum, quod in mensa Jucgumattii vides, in aliorum monumentorum mensis non reperi. Idque eo magis hic attendendum, quod plerique fercula ipsos cibos interpretantur, atque inde dictum exponunt, pluribus ferculis coenare: veriora docuit Casaubonus ad Suetonium in Aug. cap. 74. & recte Fulgentius de Prisco sermone *missum carnium* accipit. Neque tamen carnium tantum, sed & aliorum ciborum fuit. Est enim ferculum illud instrumentum, quo quid fertur, aut sustentatur. Atque ita in hoc Suetonii in Calig. cap. 15. ubi de patris matrisque Caligulae cineribus, *medio ac frequenti die duobus ferculis Mausoleo intulit*. Quae & caussa est, cur in multis libris vetustis passim *fericulum* scribatur, de qua scriptura consule Casaubonum atque Oudendorpium ad illum locum. Abest quoque ab aliis monumentis mappa. In hoc monumento a corpore Jucgumattii inter lectum & mensam dependet. Mapparum & mantiliorum usus in mensis. Mantile insternebatur mensae, mappa a coenantibus pendebat, eo modo, quo in imagine vides, Martial. lib. 12. Epigr. 29. v. 11.

Attulerat mappam nemo, dum furta timentur,
Mantile e mensa surripit Hermogenes.

Idem lib. 14. epig. 138. cujus lemma est, *Gausapa villosa, vel mantile*:

Nobilius villosa tegant tibi lintea citrum,
Orbibus in nostris circulus esse potest.

Isidorus Orig. lib. 19. cap. 26. mantilia scribit fuisse olim mapparum loco, mappae enim inserviebant tergendis manibus. *Mantilia*, inquit, *nunc pro operiendis mensis sunt, quae, ut nomen ipsum indicat, olim tergendis manibus praebebantur*. Olim, inquit, quia ille usus fuit jam Heroicis temporibus. Virgilius antiquitatis peritissimus

mus de coena Didonis, qua Aeneam excepit Æneid. lib. 1. v. 702.

Tonſisque ferunt mantilia villis.

Idem Georg. lib. 4. v. 376. Videntur namque mappae & mantilia ad eundem ſaepe uſum adhibita, quare & Servius in illo loco mantilia mappas exponit. Gloſſae quoque Labbei utramque vocem eodem verbo reddunt. Pollux praeterea in Onomaſt. lib. 7. cap. 16. ſcribit, μαντείλας, quae ſua aetate dicebantur, recte appellari λασσίτων, vel λασίτων nomine, quae dicit μαλλὺς ἔχοντα χειρόμακτρα ὡς ἀπὸ τῆς δασύτητος. *Mappales habentes villos.* Diſtinguit tamen Lucilius, vetuſtus Poeta Latinus, in hoc verſu, quem Servius ſervavit in commentario ad Virgilium Georg. lib. 4. v. 376.

Mappas mantela merumque.

Verum multa in mantiliis & mappis, ut in omni re veſtiaria, uſus, & temporis diuturnitas mutavit. Scripſit ad me Eccleſiaſtes Dodenwerdenſis, perſpectas ſibi fimbrias fuiſſe in illa Trajani mappa. Forte illi villi ſunt cenſendi. Villoſa fuiſſe mantilia, ex iis, quae modo protulimus, apparet, villoſas mappas ex his cognoſce. Servius ad illum Virgilii Aeneidos verſum, *Conſtat*, inquit, *Majores mappas habuiſſe villoſas.* Sed & fimbrias habuerunt. Petronius cap. 32. *laticlaviam mappam circa oneratas veſte cervices Trimalchionis immiſſam, fimbriis hinc atque illinc pendentibus*, narrat. Fimbriatum limbum, qui imam mappae oram ambit, Jucgumattii mappa oſtendit. Quae omnia lautiorem ejus conditionem arguunt. De convivio Alexandri Severi ita Lampridius cap. 37. *Convivium neque opiparum, neque nimis parcum, ſed nitoris ſummi fuit: ita tamen ut pura mantilia mitterentur, ſaepius cocco clavata, aurata vero nunquam, quum haec Heliogabalus jam recepiſſet, & ante (ut quidam praedicant) Hadrianus habuiſſet.* Mittere in menſam idem eſt, quod ſternere, ut notatum hic Caſaubono, cui junge Salmaſium in commentariis ad Trebellium Pollionem de Gallienis duobus cap. 16. Non autem uno mantili, ſed pluribus inſternebatur menſa. Idem Lampridius in vita Elagabali cap. 27. *Exhibuit paraſitis coenas & de vitreis, & nonnunquam tot picta mantilia in menſam mittebat, his edulibus picta, quae apponerentur, quot miſſus eſſet habiturus, ita ut de acu aut de textili pictura exhiberentur.* Fallitur itaque

que Guilielmus Philander, mappis menſas inſtraviſſe Romanos negans, in notis ad Vitruvium de Architect. lib. 6. cap. 5. aut ſi de mappa neget, ſaltem mantili, quod & mappae nomine ſignificatum aliquando, menſam inſtratam fuiſſe, neceſſe eſt, ut fateatur, ipſaque illa menſa, quam pag. 112. pictam dedit, probat, & quas menſas exhibet Notitia Imperii, nec non Ciampin. in veterib. Monument. Tom. I. pag. 137. Hoc unum addendum, mantilia & mappas ex lino fuiſſe, unde villoſa lintea Martialis mantilia dixit, lib. 14. ep. 138. in verſu, quem ante poſui. Mantile aut mappam ita deſcribit Sidonius Apollinaris lib. 5. epiſt. 17. *Linteum villis onuſtum, quod pridiana ſquama politum caſu ſub ipſis aediculae valvis bipatentibus de janitorio erecto trocleatim fune nutabat.* Reſtat gutturnium. Rarum id in ſepulchralibus ſaxis. Contra vaſa vinaria admodum frequentia in iis, quae aut ad pedes miniſtrantium ſunt poſita, aut manibus ab iis tenentur, quod ex iis menſae pocula replebant. Gutturnia autem lavandis manibus erant, quae lavabantur ante coenam, ſaepe etiam ſub coena. Virgilius Georg. lib. 4. v. 376.

Manibus liquidos dant ordine fontes
Germanae, tonſisque ferunt mantilia villis.

Atque Aeneid. lib. 1. v. 699.

Jam pater Aeneas, & jam Trojana juventus
Conveniunt, ſtratoque ſuper diſcumbitur oſtro.
Dant famuli manibus lymphas, Cereremque caniſtris
Expediunt.

Gutturnium ex ore anguſto cognoſco, de eo in hunc modum Feſtus: *Gutturnium vas, ex quo aqua in manus datur, ab eo, quod propter oris anguſtiam guttatim fluat.* Guttus memoratur in coena Horatii lib. 1. Serm. 6. v. 118. ubi Scholiaſtes vetuſtus, vas fuiſſe, ſcribit, ad guttatim vinum fundendum, addatur Varro de Ling. Lat. lib. 4. pag. 3. Qui diligentiſſime intuitus & perſcrutatus eſt lapidis imaginem, loci Eccleſiaſtes, gutturnium illud octogonum deprendit, quam formam Gallis ſacram & religioſam fuiſſe putat Montfauconius in Antiquitez Expliq. in praefat. Supplementi Tom. 5. & lib. 8. cap. 2. inductus argumentis parum validis. Eam formam ob de-

corem placuisse artificibus existimo. Monendum iterum hoc loco, quod & ante coepi dicere, quae de forma, modo, usu vestimentorum, mensae, vasorum dissertavimus antea, quaeque ab aliis edissertata sunt, ea mutata & variata esse saepius, cum aetate tum judicio artificum & utentium. A nobis ea praecipue sunt tradita, quae saeculo Trajani convenire videbantur. Haec caussa est, quare de mensae forma nihil addiderim: Varro de Ling. Lat. lib. 4. pag. 30. quadratam olim fuisse scribit, sed deinceps factam rotundam, dicendum ergo, Jucgumattii eadem forma, id est, rotundam fuisse, certe Poetae, qui aetate illius floruerunt, atque aetate proxima, inde mensas orbes dixerunt. Mirabitur forte aliquis, diversa tradi ab ejusdem, aut proximi saeculi hominibus, de vasis. Horatius lib. 1. Serm. 6. v. 17. cyathum a poculis distinguit, Varro sua aetate nove additum scribit, de Ling. Lat. lib. 4. pag. 31. Guttum & pateram idem Horatius suae mensae adsignat, Varro sacrificiis & rebus divinis, pateram tamen antiquitatis caussa in nonnullis rebus humanis & solennitatibus retentam. Varro ita loco, quo dixi. *Praeterea in poculis erant paterae, eo quod pateant, Latine ita dictae. Heisce etiam nunc in publico convivio, antiquitatis retinendae caussa, cum magistri fiunt, potio circumfertur, & in sacrificando Deis hoc poculo magistratus dat vinum.* Et paullo post: *Quo vinum dabant, ut minutatim funderent, a guttis guttum appellarunt, & quo sumebant minutatim, a sumendo, simpulum nominavere. In bujusce locum in conviviis ex Graecia successit epichysis & cyathus, in sacrificiis remansit guttum & simpulum.* Varietatis caussa haec est, quod alii Romae promtius antiqua mutabant, alii lentius. Refert exhibere hoc loco Horatii coenam, cujus ante mentionem injecimus. Ipse ita describit, lib. 1. Serm. 6. v. 114.

Inde domum me
Ad porri & ciceris refero, laganique catinum.
Coena ministratur pueris tribus, & lapis albus
Pocula cum cyatho duo sustinet: adstat echinus
Vilis, cum patera guttus, Campana supellex.

Coenam frugalem ex re ipsa intelligis, in qua tamen tres pueri ministrantes. Dicas ergo, in coena Jucgumattii etiam plures ministrasse, unum autem, qui expressus est, instar plurium esse, ut in pictura brevi. Nota porro, duo pocula cum cyatho in lapide albo, id

id eſt, in menſa marmorea, imo vero in ferculo menſae impoſito, cui adſtat nempe in menſa pone ferculum, ut in menſa Jucgumattii echinus. Tria illorum uſibus humanis data accipe, pocula duo cum cyatho, tria uſibus divinis potiſſimum conſecrata, echinum, & guttum cum patera. Numerus ternarius ſacer erat & auſpicatus. In alia omnia de coenae Horatianae inſtrumentis eunt recentiores interpretes, Lambinus, Cruquius, Torrentius. Illud recte Scholiaſtes vetus, quod echinum vas ſalis eſſe dicit, in modum echini marini factum, quod, ut ante oſtendimus, alio in loco concham nominavit Poeta. Opportunum quoque fuerit commemorare hoc loco coenam Martini Turonenſium Epiſcopi, in qua viro divino Auguſta, Maximi Tyranni uxor, miniſtravit. Eam eleganter deſcribit Sulpicius Severus in Dial. 2. cap. 6. *Componitur caſtus Reginae manibus apparatus, ſellulam ipſa conſternit.* (Solitus Martinus, credo humilitatis cauſſa, non in lecto adcumbere ad menſam, ſed in ſella adſidere, additque Sulpicius, ſellam eam ruſticanam fuiſſe, qualis in uſibus ſervulorum, quas Galli trapetias, alii tripodes nominabant. Sedit etiam in iſtiusmodi ſella Martinus, adhibitus coenae Imp. Maximi, vid. vitam Martini cap. 20. Conſternit autem ſellulam Martino Auguſta impoſito pulvino) *menſam admovet, aquam manibus ſubminiſtrat. Cibum, quem ipſa coxerat, appoſuit. Ipſa illo ſedente eminus, ſecundum famulantium diſciplinam, ſolo fixa conſiſtit immobilis, per omnia miniſtrantis modeſtiam & humilitatem exhibens ſervientis, miſcuit ipſa bibituro, & ipſa porrexit.* Vox miſcere, id eſt, infundere (vinum namque aqua miſcebatur) in mentem mihi revocat calicem ad Caſtra Vetera effoſſum, in quo pictum M. I. S. C. E. Alium mihi oſtendit nuper Ill. Comes de Randwyk, Superiori Bataviae Praefectus, ad arcem Noviomagenſem, ut opinabatur, erutum, inſcriptumque ita DA BIBERE. Vidi praeterea in antiqua Everardi Hekerani Nobiliſſimi viri Supellectile calicem, in quo erat: MITE MERVM. Cave credas, viventium tantum ea pocula fuiſſe, nam & mortuis apta credebantur, & profutura in epulis & comeſſationibus Elyſiis, quare & in tumulis condita fuerunt, qua de re deinceps plura proferentur.

CAPUT VII.

Victoria & Leones in Monumento. Victoria alata. Di homines dilectos ad Inferos ducebant, Heroas ad sidera. Gruteri & Fabretti lapis expositus, item lapis Begeri. An Triton aut Nereis in monumento Jucgumattii. Coelestium Deorum imagines rarae in monumentis. Victoria & Genius minus rari in iis. Pictis imaginibus hominum nomina designantur, ut Daphne virgo forma lauri frondescentis, Felicla forma felis. Felicla diminutivum est nominis Felicis. Victoria multarum foeminarum nomen. Victorini Tyranni mater Victoria. Trebellii Pollionis haesitatio. Nereidum nominibus amicas insigniebant Poetae. Tritonis & Tritone foeminarum nomina. Nerus Paullo nominatus. Africanorum leonum nobilitas. Leones cur in Monumentis sculpti. Aliorum opiniones rejiciuntur. Saevientium ferorum formae in sepulchris ad terrorem violatoribus injiciendum. Hinc angues in cippis. Persii locus illustratus. Fabretti marmor explanatum. Ovum anguium sanctum Gallis. Gryphes, Sphynges, Gorgonum capita in Monumentis, in cistis, & areis, janúis. Smetii Antiquit. Neomag. expositae. Mausoleum Theodorici Regis Leonibus insignitum. Item sepulchra antiquiora per Germaniam. Mausoleum Caroli Egmundani Arnhemiae. Martini Roshemii domus monstrorum formis decorata. Institutum illud Graecorum est. Secuti exemplum Germani. Germani aditus arcium & domorum omnes Leonum capitibus muniebant. In foribus templi Ripensis leones. Mos originem cepit ab Aegyptiis. Ornatus caussa Leonum capita in aedificiis.

Quin ad supremum Monumenti partem escendo, in qua Victoria, quam hinc illinc leo tuetur. Leones enim istic gemini. Illa Dea ex alis expansis cognoscitur, nam ab iis pennata, praepes, velox Poetis Latinis appellatur. Quae Trajanum vivum & militantem solitis circumvolarat alis, eum nunc ad inferos comitatur, haud aliter ac Venus Tibullum, lib. 1. el. 3. v. 57.

Sed me, quod facilis tenero sum semper Amori,
Ipsa Venus campos ducet ad Elysios.

De

Deducendis Heroibus ad Sidera aderant Dii, deductosque Dii excipiebant: Gruter. MCXXIII. 7.

Nam me sancta Venus sedes non nosse silentum
Jussit, & in coeli lucida templa tulit.

Idem lapis est in Fabretti Syntagm. Inscr. pag. 233. Elegantissima est scena Nereidum Phorcique chori, Alladiae Marciae animam εἰς τὰς τῶν μακαρίων νήσους (qui multis campi Elysii habebantur) deducentium, quam edidit Begerus in Spicileg. Antiq. pag. 28. Adde Jacobonium in Appendice de prisca Caesiorum gente pag. 89. Qualis chorus pergentem olim ad Oceanum Venerem est comitatus, quem si in Apuleji Metamorph. lib. 4. haud longe a fine legas, dubitabis scio, utrum Auctor sculpturae imaginem ab Apulejo, an Apulejus ab illo auctore, fuerit mutuatus. Omnes illi, qui de hoc Trajani cippo ante ad me retulerunt, uno ore adfirmabant, Tritonis aut Nereidos simulacrum sibi visum, quod Victoriae esse dixi. Ipse Gisb. Cuperus in eo sese Tritonem deprendisse videbatur, nullus autem illorum meminit alas: nec abhorret forma, quam Hagenbuchius dedit, nam corpus, qua mergitur, in caudam piscis sinuari dicas. Est & Triton in Lampade sepulchrali Bellorii pag. 14. fig. 5. sed veriora de illa imagine me monuit accuratissimus Van der Souw, qui semel atque iterum a me consultus respondit, recte eam in schemate Hagenbuchii pingi, & alas esse manifestas, sed hoc addebat, qua in volumen virgo, Victoriam dico, abire videtur, ibi femoris initium esse, aut genu attolli. Raro Deorum coelestium simulacra aut formas in Monumentis & cippis sepulchralibus invenias. Neque tamen Dii superi prorsus ab iis alieni, vide quae docui ad Aviani fab. 23. prae caeteris autem Diis Victoria & Genius in Monumentis. Haec est in Sepulchro Cestii. vid. Octav. Falconer. de Pyramide C. Cestii in Thesaur. Graevii Tom. 4. pag. 1474. adde Gutherium de Jure Manium lib. 2. cap. 28. Nec tamen abnuero, si quis Victoriae specie designari in hoc monumento putet M. Trajani delicatulam. Soliti veteres figuris & pictis imaginibus hominum nomina demonstrare, Tullius, nescio quis, ut Ciceronis cognomen significaret, cicerem sculpsit. Plutarch. in vita Ciceronis sub initio; Laberius, ut filiam Daphnen ostenderet, virginem frondentem exhibuit, Tauros, Vitulos, Apros alii ad denotanda cognomina. vid. Fabrettus Inscr. cap. 3. num. XXXVII.

pag. 184. & seq. Fuit &, qui felem posuit, Feliclae nomen spectans, satis ridicule, non enim Felicla diminutivum felis est, sed Felicis, id quod ex aliis titulis cognovimus. Victoriae nomen foeminis multis fuit tributum, in harum numero Victoria fuit, Victorini, qui Gallieno imperante in Galliis est dominatus, mater, in cujus nomine constituendo misere laborat Trebellius Pollio in de xxx. Tyrannis, ut docui alibi. Victorias mulieres alias vulgatissimi nominum indices dabunt. Antequam alatam figuram esse sciebam, sinuosamque in piscem, unam Nereidum signari putabam, quarum nomina multa recenset Apollodorus in Biblioth. lib. 1. pag. 5. quinquaginta Hyginus Fabularum lib. 1. pag. 2. quarum nominibus Poetae & Pastores amicas suas cantarunt, Galateae certe nomine nullum celebratius. Feruntur etiam Tritonis & Tritone foeminarum nomina, Gruter. LXIX. 1. & DCCCXII. 6. Nereus salutatur a Paullo in Epistola ad Romanos cap. 16. v. 15. C. Julius Nereus, qui vocatur Potitius, memoratur Grutero MCXXXII. 13. Qui leones in lapide Trajani adspiciunt, & Afros cogitant in eo memoratos, non dubitabunt, Africanos leones hic designari, quibus nihil nobilius, praesertim in carminibus vetustorum Poetarum, qui Gaetulos, Poenos, Libycos Leones celebrant. Verum cum ostenderim, Trajano illi nihil commune fuisse cum Afrorum gente, necesse est, aliam in hoc monumento sculptorum caussam indagemus. Est autem eadem, quae illos feros in aliorum Monumentis ostentat, modo totum corpus, modo capita, vid. Spon. Miscellan. Erud. Antiq. pag. 44. Visitur M. Caelii Monumentum in agro Bergendalensi, prope Cliviam, qui in bello Variano, Quintilii nempe Vari, cecidit, in quo hinc, illinc, leonum rictus horrendi minantur. Institutum hoc antiquum fuit Romae, si verum est, quod Scholiastes Horatii Epod. 16. v. 13. narrat, ad sepulchrum Romuli, quod in foro Romano erat, duos leones fuisse erectos, ad quem versum Torrentius notat, passim in Italia eos feros in sepulchris spectari. Caussas hujus moris multi quaesiverunt, inter eas etiam mysticas, quas qui volet, is adeat ex vetustis Photium in Bibliotheca, ubi Ptolemaei Hephaestionis περὶ τῆς εἰς πολυμαθίαν καινῆς ἱστορίας λόγους recenset. De iis etiam disputantes cognosce Landium & Comitem de Malvasia ad Marmora Felsinea pag. 157. nec non Baptistam Fontejum de Prisca Caesiorum gente lib. 2. pag. 130. item Jacobonium in Appendice pag. 169. & pag. 198. Gorium in Monum. Hetrusc. part. 1. pag. 197. Equidem ad inji-

injiciendum terrorem furibus & violatoribus, nec non omnibus illis, qui parum caste aut religiose ad sepulchrum adibant, haud secus ac Priapum horto custodem dabant, falce ac inguine minitantem. Sidonius Apollinaris lib. 2. epist. 2. *Sex fistulae praeminentes leonum simulatis capitibus effundunt, quae temere ingressis veras dentium crates, meros oculorum furores, certas cervicum jubas imaginabuntur.* Alii eadem de caussa luporum, canum, aliorumque saevientium animalium formas & ora praefigebant. Canem latrantem & monstri caput videas quoque in Monumento ad Rhenum invento, quod descripsit Vir Illustris Gisb. Cuperus in Monumentis antiquis, quae consecrationi Homeri subdidit, pag. 183. Persii est Sat. 1. v. 112.

Heic, inquis, veto quisquam faxit oletum.
Pinge duos angues: pueri, sacer est locus: extra
Mejite, discedo.

Nam & angues picti aut sculpti terrificabant adeuntes. Sculptos istius modi angues duos vide apud Fabrett. Inscript. pag. 281. arcanas Fabrettus caussas comminiscitur, quum caussae in promtu, obviae, & expeditae sint omnibus, qui Persii illos angues cogitat. Angues ii ovum ore illud formant, quod sanctissimum fuit Gallis, de quo Plinius lib. 29. cap. 3. Imo vero gryphes, sphynges, aliasque monstrorum figuras, Gorgonum etiam capita, in Monumentis vetustis animadvertas, vid. P. Sanct. Bartolius in Vetustis Sepulchr. fig. 46. 49. & de Lucernis Sepulchral. fig. 26. Neque sepulchrorum tantum, sed & aliorum aedificiorum, imo & cistarum, arcarumque, a quibus mala manus arcebatur, & praecipue januarum. Eo pertinent Leonum aeneorum capita, quae Joannes Smetius in Antiquitatibus Neomagens. pag. 70. commemorat. Manavit mos ad Transalpinos & barbaros. Tradit Keyslerus in Itinerar. Tom. 2. pag. 470. Mausoleum Theodorici Gallorum Regis exornatum esse multis leonum capitibus. Videbis, si advertas, tumulum nullum in Germania paullo vetustius, Ducis, Comitis aut primarii cujusque viri, sine leone, aut alio fero. Hic Arnhemiae Mausoleum Caroli Gelriae Ducis, ex Egmundanorum gente orti, spectatur ex marmore factum, in quo leones insignia ducis unguibus retenta ostentant. Spectatur in hac urbe etiam Martini Roshemii, bellatoris egregii, & Carolo duce dignissimi, domus, quam is ex-

eunte

eunte saeculo quinto decimo exstruxit, monstruosis hominum ferorumque formis, qua publicum adspicit, terribilis. Prae caeteris propylea exterrent, satyrorum sub onere gementium vinctis pedibus imagines, de quibus suaviter delirantem, imo horrore daemonum perculsum, audi Arnoldum Slichtenhorstium in de Geldersche Geschiednissen pag. 468. cap. 28. Mihi ea commenta videntur hominum doctrina praestantium, quae illa aetate, quasi ab inferis excitata, in nostras terras rediit. Repetierunt autem ea ex antiquitate Graecorum, qui soliti dominorum populorum imagines, in monstra & ludibrium deformatas & vinctas columnis & oneribus supponere ad perpetuum servitutis opprobrium. Secuti passim Graecos Germani, in qua gente vix arcem, castellum, aut aedificium aliquod, tribus abhinc aut quatuor & superioribus seculis conditum invenias, quorum vestibula, januae & aditus omnes, ipsae etiam fenestrae nonnunquam monstra aut rictus districtos monstrorum non ostentant. Terpander in Historia Ripae Cimbricae pag. 306. monstra memorat, quae in valvis templi primarii Ripensis conspiciuntur. Idem pag. 305. eam consuetudinem ait apud alias nationes inolevisse, ut sculpserint Leones pro templorum, urbium, & palatiorum insigniorum foribus. Unde intelligimus, morem eum ad extremos hominum Cimbros penetrasse. Origo ejus a Romanis, an ab Aegyptiis sit, dubitet quispiam, quod Plutarchus in libello de Iside & Osiride cap. 42. scribit, ab Aegyptiis leonem fuisse cultum, templorumque ostia leonum rictibus ornata, quod Nilus eo sidere exundat. De iisdem Horapollo lib. I. cap. 17. θυμὸν δὲ βουλόμενοι δηλῶσαι λέοντα ζωγραφοῦς. *Animum fortem qui monstrare volebant, leonem pingebant.* Idem addit, ad robur notandum feri illius anteriora membra, ad vigilantiam significandam caput exhibuisse, quod is oculis non clausis dormit. Cuncta haec convenire apprime M. Trajano militi, nemo non animadvertit. Denique hoc adjicit Horapollo cap. 20. quod praecipue huc pertinet, valere adspectum ejus ad injiciendam formidinem. Germanos Isidis cultum ab Aegyptiis accepisse suspicatur Tacitus de Morib. Germ. cap. 9. Quod autem primum ex religione institutum, ut ingressus omnes & omnia aedificia leonum terroribus munirent, id paullatim in consuetudinem abiit, & in solennia domorum & exstructionum decora atque ornamenta, unde Vitruv. lib. 3. cap. ult. *In sinus, quae supra coronam in lateribus sunt aedium, capita leonina sunt scalpenda, ita posita, ut contra columnas*

sin-

singulas ea primum sint designata, caetera vero aequali modo disposita, uti singula singulis mediis regulis respondeant. & lib. 7. cap. 5. *coronasque capitibus leoninis ornatas.*

CAPUT VIII.

Origo fabulae de Dodenwerdensi Monumento & mortuo hospite investigatur. Fabulae ex vocabulorum ambiguitate ortae. De fabuloso Gelre etymo. Floris Gelrici, quod antiquissimum Praefectorum & Comitum Gelriensium insigne fuit, origo. Floris hujus variata saepe forma. Crux praestantissimum insignium decus. Gelre oppidi etymon, & prolati appellationis termini. Fabula de turre olorina Clivensium. Dodenwerdae nominis scriptura. Vernaculae vocis Dode multiplex significatio. Vocis Weerd significatus. Dodones atque Dodae harum finitimarumque terrarum commemorantur. Dodae atque Dodingae in Frisia. Doniawerstal & Doenjum vici in Frisia etymon. Dudo idem qui Dodo, sic Dudenwerde, & Dodenwerde. Gentis de Dudenwerde nobilitas. Meinwercus primus Paderbornensium Episcopus. Browerus Arnhemiensis. Dotichemii, Zutphaniensis Comitatus oppidi, origines. Dodonis curtis in Gallia. Arces, pagi, oppida a prato & possessore prati dicta. Sic Bolsweert & Leeuwarden Frisiae urbes. Leovardiae etymon. Live priscum nomen vernaculum. Augustinus & Rembertus Dodonis, qui & Dodonaeus, Frisii celebres. Doede & Doewe hodie in Frisia. Dode, Doder, Dodder typha. Dodeweerd locus palustris. In nummis Romanis Rhenus typhum & arundinem praefert. Dodden, & Dodders, Dojers, anserum & anatum pulli, vitel & stulti. Typha in imagine Christi. Doddendael vicus ad Vahalim.

Nemo, credo, dubitabit ex iis, quae de M. Trajano Jucgumattio docui, eum militem fuisse ex exercitu Romano, genere barbarum, sed civitate Romana donatum, & militia missum, cum ei ille lapis fuit positus: positum autem fuisse lapidem ad sepulchrum ejus, ad condecorandam ejus memoriam apud posteros. Idque factum more atque instituto Romanorum. Reliquum nunc est, ut originem fabulae de hospite mortuo, & pecunia ejus, ex

qua templum Dodenwerdense exstructum esse creditur, investigemus. Fabulas plerasque ex vocum nominumque ambiguitate esse ortas, notum. Nota, quae de nutricibus Cyri, Romulique feruntur: Quae de monstruoso Semeles partu, atque aliis sexcentis, quibus caussam dedit diversa ejusdem vocis significatio. De illo partu Mela de Situ Orbis lib. 3. cap. 7. *Urbium, quas incolunt* Indi (*sunt autem plurimae*) *Nysa est clarissima & maxima: montium Meros Jovi sacer. Famam hinc praecipuam habent, quod in illa genitum, in hujus specu Liberum Patrem arbitrantur esse nutritum: unde Graecis auctoribus, ut femori Jovis insutum dicerent, aut materia ingessit, aut error.* Exitum non inveniet disputatio, si incunabula Regionum, locorum, urbium, arcium proferam, ex dubio vocis etymo ficta. Ficta autem pleraque ad ambitum & jactationem. *Gillen* inconditus sonus est, atque inde Gelriae nomen & Fratrum Pontiorum, ex interfecto immensi corporis & immani ferocia Dracone, virtus & gloria. Hinc etiam Gelrici floris, quem Pontii, Gelriensium Praefecti, primique Comites ex Gente Nassavia, pro insigni ostentant, & cujus summa laus ante trecentos quadringentosque annos, & honos, res namque a Pontiis sub esculo gesta. Sed quis mortalium florem foliatum in esculo vidit? Mespili vox vicina erat, atque hinc alia fictio. Donec tandem, adjuvantibus ingenium Monachis, crucis forma florem, qualem natura abnuit, confinxerunt per id tempus, quo rerum divinarum & humanarum crux summa erat, & una salus existimabatur, praestantissimumque insignium decus. Mihi oppidi Gelriae appellatio a loci natura indita videtur, oppidi autem antiquissimi vox ad omnes Comitum Ducumque Gelriensium possessiones transiit. Milesio sermone suavior est de turre Olorina Clivensium fama, quae a Zwenno, quod viri nomen est, ut Zwenna foeminae, mihi dicta existimatur. Mitto alia: De Dodenwerda dico, quod nomen & Dodeweerd, & Dojeweerd scribitur (ipse autem secutus sum scripturam Diplomatis anni MCCCXV. quod est Reinaldi Comitis, a Slichtenhorstio editum in Histor. Gelr. pag. 575.) ex nota inter Gelros litterarum mutatione, ejus vocis multiplicem esse usum. Dode aut proprium hominis nomen est, aut, si appellativum, mortuum significat, typham, & avis pullum, praecipue anseris, unde & aliae praeterea atque aliae vocum metaphorae, quas omitto, quia huc non pertinent, *Weerd* autem hospitem, cauponem, & pratum notat. Pagani, sive pagi Dodenwerdensis

densis incolae, id est, Rustici homines, conspicati in turri, quae non postrema pars ecclesiae erat, hominem, eum Ecclesiae fundatorem, quorum nomina templis praescribi solebant, esse existimabant, mensamque ante eum positam nummulariam rati. Atque hinc fabula. Litterarum enim atque antiquitatis rudes & ignari fuerunt. Caeterum mihi pago nomen haesisse videtur a prato, aut a possessore ejus Dodo, Doda, vel Dodone, namque his terminationibus id nominis efferebatur, aut a typharum multitudine, aut denique ab anserum, anatumve pullis. Dodi, Dodae, & Dodonis nomen olim frequentissimum fuit in his terris. A Touto vel Toutone id repetebat Reinesius, adstipulante Hagenbuchio in Epistol. Epigr. pag. 807. n. 11. Q. Melius Toutonis filius est apud Gruter. pag. 807. n. 11. qui lapis Arelate in Gallia fuit inventus, adde nummum Francine apud Bouteroue pag. 343. Dicam promiscue de illis nominibus. Dodo fuit ordinis Praemonstratensis in Frisia, vid. Acta SS. Bollandi Martii XXX. Dodo de Ryswyk subscripsit diplomati Theodorici Comitis Hollandiae anni MLXXXIII. Fuit praeterea eo nomine septimus Ecclesiae Paderbornensis Episcopus; Stangefol. in Descriptione Circuli Westphalici lib. 2. p. 177. Doda Sanctimonialis Remis, in Actis SS. Bollandi Aprilis XXIV. praeterea uxor Divi Arnulphi, mater Clodulphi Episcopi Metensis, Martii IV. Item mater S. Idae, uxor Gothofredi Lotharingici, Aprilis XXIV. Emmius, Rerum Frisicarum scriptor eruditissimus, lib. 1. atque eo loco, ubi de nominibus Frisiorum, Dodas atque Dodingas, id est, Dodis ortos, inter solennia Frisiorum nomina recenset. Hinc Dodingawerstal, qui pagus sive regio Sevenwoldiae est, nunc corrupto nomine Doniawerstal dicitur, de quo idem Emmius ad annum MCCCLXII. & Schotanus Beschryving van Vriesland pag. 221. est & Doenium vicus prope Franekeram, dictum olim Dodingahem, vid. Schotan. pag. 206. Duravit hoc nomen diutissime in Frisia. Celebratur Augustinus Dodo, Dodone patre natus, saeculo sexto decimo exeunte, nec non Rembertus Dodo, ab exteris, ad quos pater, mutata sede, sese contulerat, Dodonaeus appellatus, herbarii instructissimi auctor, consule Suffridum Petri de Scriptoribus Frisiae Decade 9. cap. 4. & Decad. 13. cap. 8. Neque hodie infrequens in Frisia Doede nomen & Doewe. Dudones & Dudas etiam aliae gentes nominavere. Memoratur Dudo Episcopus Havelbergensis. Nec non Theodorici Regis epistolae exstant ad Dudam Sajonem apud Cassiodorum

Variarum lib. 4. cap. 32. & 34. Id quod propterea addo, quia in antiquissimis rerum Gelricarum monumentis in Nobilium ordine memorantur Domini de Dudenwerde, a sede, quam in pago Dodenwerdensi generis auctor habebat, sic appellati. Ita Henricus de Dudenwerde memoratur in litteris Ottonis Comitis Anni MCLXXXX. Dodica, Dudica, Doudika, Dodike, crebra ejusdem originis nomina sunt in vita Meinwerci, qui filius fuit Wichmanni, Comitis Zutphaniensis (Comitatus Zutphaniensis id temporis pars Amelandiae erat) primus Paderbornensium Episcopus, edita a Browero Arnhemiensi, homine doctissimo, pag. 5. 47. 48. 53. 71. 154. A Dodo vel Dotico est Dotichem, quod varie scribitur, nam & Deutrichem, Deudinchem & Deudekum appellatur Comitatus Zutphaniensis oppidum, id est, Dodonis vel Doticonis domus, idemque valet, ac Dodanhusun in vita Meinwerci pag. 56. & pag. 68. & Dodonhuson pag. 148. In Frisia, ut ante ostendimus, est Dodingahem, nunc Doenjum, in Gallia Dodonis curtis, quae nunc contractiore voce Doncourt dicitur, vid. Valesius in Notit. Franciae pag. 579. Eodem modo prata alia multa nomen possessoris dederunt pagis, arcibus, monasteriis, ut Keysersweert, Stevensweert, Amelisweert, Brunosweert, quorum situs notissimi. In Frisia sunt Bolsweert, & Leeuwarden, quae in litteris anni MCCC. Leuwerth vocatur, id est, Livi pratum, quod vetustissimum in ea gente, proximisque regionibus nomen est, sed sono vario, vid. supra cap. 2. Vulgus Frisiae appellationem urbis suae primariae a dilecto hospite, ut vulgus Bataviae pagi Dodenwerdensis nomen ab hospite mortuo, repetere amat. Pratum autem Ward, Werd & Weerd nuncupare solemus. Nec tamen cum illis contendere velim, qui aut a typha, aut ab anserum anatumve pullis Dodenwerdense nomen arcessunt. Typha a nostratibus Dode, Doder, Dodder appellatur, adde Kiliani Nomenclator. Neque enim hoc minus certum aut infrequens, pagis ab ingenio & natura loci dari nomen. Id si probes, Dodeweert erit locus palustris & uliginosus, cujusmodi in locis laeta & uberrima typharum seges. In iisdem locis crebri anserum aliarumque aquatilium stationes & nidi. Fuisse locos istiusmodi complures ad Rhenum inde arguo, quod arundo istiusmodi capite molli ac plumeo (est enim typha ex arundinum genere) a Rheno, qui & Vahalis Deus, gestatur in nummo Drusi, qui utrique Germaniae praefuit, & res magnas gessit auspiciis Augusti, nec non in nummis Imperatoris Hadriani & Postumi,





M TRAIANIVC
GVMATTIVS GAI
SIONIS FVETALAE
AFROR T P I

ſtumi. Stationes ad Rhenum, Wahalim, Moſam anſeribus, anatibus, aliisque aquaticis avibus fuiſſe olim, & nunc eſſe, ſcimus. Harum avium pulli recens excluſi a ſimilitudine plumae typhicae *Dodden* & *Dodders* & *Doiers* dicuntur, a ſimili mollitie eſt & vitellis ovorum idem nomen: Eſt & ſtultis inde, & minime verſutis appellatio, quod Varrones typhis pro ſceptro inſigniebantur, cujusmodi ſceptrum per Weſtphaliam tribui videas Chriſto in imaginibus, cui pro ridiculo ſceptrum arundineum Judaei dederunt. Sed hoc mitto. Haud longe a Dodenwerdenſi pago abeſt, verum in oppoſita Vahalis ripa, Doddendal, typharum aut pullorum vallem dicas. Fuiſſe Dodenwerdenſem pagum idoneum olim generandis typhis, quae loca humilia & paluſtria amant, ex litteris Reinoldi Comitis Gelrienſis accipe, datis Anno MCCCXV. quas exhibet Slichtenh. in Gelderſche Geſchiedeniſſe pag. 575. In quibus ita Comes. *Caeterum revocantes ad memoriam, qualiter dudum advertentes ſanctum & venerabilem ac pretioſitate famoſam crucem in Eccleſia parochiali villulae noſtrae Dodenwerdae exiſtentem, loco videlicet humili & minus ſecuro, ac inbabitatoribus paucis culto, quodque propter viarum impedimenta, pluribus anni temporibus Chriſti fideles, cauſa peregrinationis & venerandae crucis, ipſum locum nequeunt commode viſitare.*

CAPUT IX.

Aetas Jucgumattii inquiritur, & quo tempore poſitum Monumentum. Cur is ad Dodenwerdam ſepultus. Unde Monumentum turri incluſum. A Trajano Imperatore civitatem & nomen accepit. Batavi multi Imperatorum Romanorum nominibus dicti. Trajanus Imperator Marci praenomen babuit. Quo ſaeculo Romani barbam ponere, quo reſumere coeperunt. Hadrianus barbatus in monumentis. Inde & milites atque alii. Tumulati bonoratiores ad viam publicam. Fragmentum antiquum a Goeſio editum inter Rei Agrariae ſcriptores emendatum. Veteranorum dignitas & patrimonium unctum in provinciis. Veteranus laticlavius Duplex via Romanorum per Bataviam. Celebritas Bataviae antiquae. Viae Romanorum per Bataviam aggeres. Viae ex ſilice, terra, aut glarea. Straten a ſtratis Romanorum. Agger viam ſignificat.

 Ban-

Bandyken & Baendyken aggeres, seu viae publicae. Herbane, Heirbane, via militaris. Sidonius Apollinaris illustratus. Lapides miliarii per Bataviam. Tabula Peutingeriana illustrata. Viae ex glarea. Glarea, grint, & grintsant. Sulpicius Severus expositus. Fiscalis rheda. Cursus publici per Bataviam. Codex Theod. & Justin. laudatus. Tabula Peutingeriana & Itinerarium Antonini laudatum. Aggeres per Bataviam praecipue curae habuerunt Romani. Tiberii incredibilis celeritas per istiusmodi aggeres. Valerii Maximi calamistri & errores. Drusi casus ex equo lethalis in Velavia. Het onsellige Bosch in Velavia ex castris sceleratis nomen accepit. Aggeres Batavici a Romanis sunt structi. Jo. Mich. Roukensii laus. Bataviae antiquae spatium. Caninesates in Batavorum nomen transierunt. Zelandorum insulae Bataviae accersitae. Franci, Saxones, Frisii aggeres Batavicos curarunt. An moles amnium obliquae, quas Kribben appellamus, Romanis ignoratae? Cimbris artes adversus Oceani fluctus non incognitae fuerunt. Graecorum & Romanorum Scriptorum jactantia, & joculares errores in rebus Cimbrorum. Aelianus notatus. Zelandorum & Batavorum industria adversus inundationes. Saxorum coacervatio adversus Oceanum est hujus saeculi inventum. An recte ei Graecorum χηλαὶ, comparentur. Cimbri non Chersonesum duntaxat tenuerunt, sed late habitarunt. Cimbrici diluvii fabulosa narratio. Frisii aut Cimbrorum pars, aut Cimbrorum terras vacuas occuparunt. Frisiae miserandae inundationes. Frisiorum amplissimae sedes ad Oceanum. Lucani Poetae Cinea, & Frisicarum legum Cinesala. Scaldis ostium. Frisiorum migrationes multae ob inundationes. Frisii universa Germania sparsi. Falso Cimbri stoliditatis insimulati a Scriptoribus antiquis. Stupor Romanorum. Zelandorum, Hollandorum, Frisiorum Herculei labores adversus Oceanum laudantur. Bataviae quanta olim frequentia. Batavorum crebri delectus. Batavi corporis Imperatorum custodes. Kaedyken Romanis noti fuerunt, qui Cajas nominabant. Ausonius expositus.

Restant tria, quae inquirantur. Primo, quo tempore vixerit M. Trajanus Jucgumattius, secundo, cur ad Dodenwerdam sepultus sit, tertio, unde turri templi inclusum sit Monumentum ejus. Nota nulla lapidis est, indicium nullum, ex quo de aetate Jucgumattii constituamus. Est tamen, quo conjecturae ducunt. Con-

Conjecturam unam facio ex nominibus, alteram ex ore imberbi. Utraque eum ad Trajani Imperatoris saeculum extollit, qui mortuo Nerva Coccejo imperium adeptus est Anno C. N. LXXXVIII. Ab illo namque Imperatore, quem constat ad Rhenum diutius militasse, &, si fides Eutropio, atque Aurelio Victori in Epitome, aliisque, quam tamen fidem elevat Dodwellus in Praelection. Academ. 6. pag. 272. apud Agrippinensem Coloniam, quae Germaniae inferioris caput fuit, imperium suscepit, Marci Trajani nomina adscivisse videtur, posteaquam ab eo civitate donatus fuit. Mos namque fuit Romanis, ut exteris civitate donatis donantium nomina permitterent. Quae quidem consuetudo Batavis Julios Claudios, Aurelios, atque alia aliorum Imperatorum nomina dedit, qua de re plura dixi cap. 1. Marci praenomen abest ab omnibus Monumentis, quae sane plurima sunt, Imperatoris illius, quod ejus aetate cognomina magis, quam praenomina frequentabantur. Habuisse autem illum id praenomen in Excerptis Dionis docet Xiphilinus pag. 770. ubi narrat, a Nerva Coccejo adoptatum fuisse Trajanum his nominibus, Marcum Ulpium Nervam Trajanum. Inspice praeterea Ulpiorum Trajanorum nomina, quae in Inscriptionum Thesauris obvia, quos quidem ego Imperatoris nominibus dictos arbitror, videbis plerosque Marci praenomine insignes. Illis adde Marmora Felsinea Comitis de Malvasia pag. 466. & seqq. nec omittendus M. Ulpius Heracles unguentarius, cujus alabastra sive gemmae unguentariae ad Noviomagum fuerunt inventae, vide Smetii Antiq. Noviomagenses, qui ignorantiam suam profitetur ingenue. Est praeterea Ulpius December in Cippo Voorburgensi ad Rhenum nostrum, Reinesius Class. 1. 160. & Ulpia Anthusa Agrippinensis, Maffejus in Antiq. Gall. pag. 63. Murator. in Thes. CXXIII. Creditur Colonia Agrippinensis aucta fuisse a Trajano Principe. Barbam Romani saeculo quinto ponere coeperunt, teste Plinio lib. 7. cap. 59. redierunt autem ad barbam imperante Hadriano, de quo Spartianus cap. 26. *Statura fuit procerus, forma comtus, flexo ad pectinem capillo, ut vulnera, quae in facie naturalia erant, tegeret.* Quare Xiphilinus ex Dione pag. 777. Hadrianum primum ex Imperatoribus barbam aluisse scribit. Secuti fuerunt Imperatoris exemplum reliqui Romani, & praecipue milites, id quod ex nummis, signis, statuis, aliisque imaginibus & Monumentis publicis apparet. Qui ergo inter utrumque saeculum medii fuerunt, ii, justa aetate, omnes inberbes pinguntur, finguntur que Romani. Et cum

ro-

robusta aetate fuerit M. Trajanus Jucgumattius Veteranus, qui sine barba in Monumento conspicitur, necesse est, eum Hadriano priorem fuisse. Sepultus fuit Jucgumattius in pago Dodenwerdensi, quod ibi publica via. Ad eam enim tumulabantur maxime honoratiores. Docuerunt id ex recentioribus multi, sed praecipue Kirchmannus de Funeribus lib. 2. cap. 22. Ex vetustioribus vero, Auctor fragmenti, quod inter Leges Agrarias edidit Goesius pag. 347. Et quia illud aliis est praeteritum, manumque emendatricem desiderat, hoc loco adscribendum esse duxi. *Monumentum plurimis est constitutum rationibus. Est unum, quod ad itinera publica propter testimonium perennitatis est constitutum, quod rationem finium non recipit, nisi forte inter convenientes ager divisus pactione fuerit. Est aliud, quod proxime aedibus suis unusquisque miles vel consors condit in portionibus suis, vel ad progeniem futuram heredibusve* (corrige *ad progeniem futurum heredesve.* Monumentum futurum est ad progeniem, id est, apud progeniem, malet alius, nec me invito, *venturum* in Cippis scriptum reperias *pertinebit ad posteros*, & *sequetur heredes*) *testis loco, quod vice instrumentorum tabellarumve possessionis caussam monstraverit, quod aeque nullam limitum recipit rationem. Est & aliud, quod longe ab aedibus ad itinera publica constitutum, id est, juxta legem Semproniam & Juliam, quod cardinibus & decumanis constitutum esse monstratur.* Vides praeterea caussas, cur ad viam publicam sepulchra fuerint facta. Quarum tamen alias alii tradunt. Ditioribus honestioribusque, quibus tumulos ad viam publicam excitatos dixi, accenseo veteranos, & praecipue veteranos alarum, id est, equitum, in quorum numero Jucgumattius. Veteranis enim nec honor in provinciis, nec unctum patrimonium defuit. Honestior certe militia Romana, quam nostra hodie, & frequentior locus crescendi & rem augendi ex stipendio, praeda militari, & praemiis militaribus. Quare Scriptor rerum Bellicarum, qui Notitiae Imperii Orientalis & Occidentalis a Panzirollo est subditus, in eo capite, quod de Relevando militari sumtu est scriptum, *Veteranos*, dicit, *regiis donis opulentos.* De commodis, honoribus & gradibus eorum amplissime caverunt Imperatores, vid. l. 3. C. Th. de Veteranis. In lege autem quinta, quae est secunda Cod. Justinianei, Veterani memorantur protectoria dignitate cumulati, honoresque varios pro meritis suis consecuti. At vero in l. 13. C. Th. Tribunatus & Praepositurae Veteranorum laudantur. Adde Jacobi Gothofredi Paratitla

titla, Tom. 2. lib. 7. pag. 263. in Marmore Gruteriano pag. 1107. n. 1. est Aurelius Veteranus Laticlavius, sed quia is Beneficiarius fuit, non meritis & annis (mortuus namque est anno XXVII.) sed beneficio, atque ut est in l. ult. C. Th. de ambitu & suffragiis, gradum illum & dignitatem eum adeptum fuisse puto. Duae viae in Batavorum insula frequentabantur; ad Rhenum altera, altera ad Vahalim, quae militum, mercatorum, aliorumque hominum, Galliam, Britanniam, Germaniam magnam petentium, pedibus, equis, vehiculis terebantur. Illorum autem hominum maxima multitudo in ea insula, in qua celeberrimi mercatus, plurima castra, Romanorum alis, vexillationibus, cohortibus infesta, ut in limite imperii Romani, quem ad Rhenum octo legiones tuebantur. Viae illae ab Agrippa Augusti genero sunt factae, oculisque exponuntur in antiqua tabula, quae, quod in Peutingerorum aedibus reperta, Peutingeriana appellari solet, intelliguntur que ex Antonini Itinerario. Viae illae aggeres fuerunt, qui etiam nunc ad utrumque amnem durant, & aquas ab insula excludunt. Vani itaque sunt illi, qui aggeres illos a recentioribus factos Romanisque ignoratos fuisse opinantur. Struendi illam artem egregie perspectam habuerunt Romani, tu vide, quae de hac re Plutarchus in Gracchis, Nicolaus Bergierius de Militaribus Romanorum viis, nec non vir Amplissimus Everardus Otto de Tutela Viarum lib. 2. cap. 4. Inspice porro l. 2. §. 2. ff. de Via publica & itin. publ. refic. Ex illis cognosces, vias Romanis fuisse aut lapidibus stratas, aut ex glarea, aut ex terra factas, Cujusmodi vias majores nostri dixerunt, & nos hodie appellamus Straetwegen/ Sandwegen/ & Kleywegen/ unde & vox ipsa Romanorum *Strata* & *Strada* linguae nostrae haesit, sed ita, ut non tantum ex silicibus factam viam eo nomine dicamus, verum & aliter munitam, unde Boerstraten/ quae plerumque terrenae. In Italia pleraeque viae ex lapidibus fuerunt, quarum notissima feruntur nomina. At vero per provincias praecipue ex terra aut glarea; quarum multae ductae per fluminum ripas. Earum autem duplex usus, cum ad iter expediendum, tum ad amnis eluviem coercendam. Atque haec est caussa, cur Romanis scriptoribus, maxime iis, qui sub Principibus fuerunt, via publica aut militaris, agger dicatur, & agger publicus. Arcadius & Honorius in l. 5. C. Th. de Itinere muniendo. *Propter immensas vastitates viarum certatim studia cunctorum ad reparationem publici aggeris conducibili devotione volumus festinare.* In qua lege quas vias

 dicunt,

dicunt, mox aggerem publicum nominant. Atque ita in l. 5. Adde praeterea, quae in notis Gothofredus, nec non Sidonium Apollinarem lib. 4. epist. 24. & lib. 9. epist. 3. Denique l. 2. C. Th. Ne quis in Palatiis maneat, & quae nobis olim dicta ad Avianum fab. 17. Quia vero aggeres illi, ut olim, ita & hodie, viam publicam & militarem expediunt, inde Baendyken & Bandyken appellantur, *Bane* enim viam publicam significat, unde *Herbane* & Heyrbane/ id est, via militaris, quam exercitus ambulat, vid. Kilianus & Besoldus in Thesaur. Pract. p. 89. n. 6. Illo enim nomine aggeres publici & majores a minoribus, qui per pascua sunt ducti, ad cavendas aestivales aquas, distinguuntur. Apposite Sidonius Apoll. Carm. 24. v. 5.

Antiquus tibi nec teratur agger,
Cujus per spatium satis vetustis
Nomen Caesareum viret columnis.

Aggerem per Eleveris amnis, qui Ligeri in Gallia miscetur, ripas factum intelligit, distinctum, ut omnes viae militares & publicae, columnis, sive lapidibus miliaribus. Ornarunt autem istiusmodi lapides etiam nostros aggeres vetustos ad Rhenum & Vahalim, quos aggeres adhuc terimus. Lapis talis nomen loco ad duodecimum dedit, cujus mentio in Tabulis Peutingerianis. Fuit is locus in eo aggere, sive via publica, qua per Vahalis ripam Noviomagum commeabatur. Exstat & hodie istiusmodi lapis, sed remotiore a Vahali via inventus, quem Joannes Smetius in curiam Noviomagensem transtulit, vid. illius Smetii Antiquitat. Neomag. pag. 77. Servamus etiam hodie vetustissimum Romanorum morem, injiciendi glaream aggeribus publicis. Qui quidem mos Romanis fuit frequentissimus, praesertim in Gallia, quare Ausonius Poeta Gallus vocem glareae pro aggere publico sive via posuit. Epist. 10. v. 13.

Aequoris undosi qua multiplicata recursu,
Garumna pontum provocat.
Aut iteratarum qua glarea trita viarum
Fert militarem ad Blaviam.

Invitat Ausonius Paullum, ut aut nave ad se adceleret, per Garumnae amnem, aut aggere per amnis ripas. Est autem glarea arena.

arena amnium gravior crebris calculis & ſcrupis. Auſonius in Moſella v. 66.

lucetque, latetque
Calculus, & viridem diſtinguit glarea muſcum.

Batavi nominant Grint & Grintzant. Non praetereunda hoc loco Sulpicii Severi verba, Dial. 2. cap. 3. quia res acta in Gallia eſt, cujus pars Romanis cenſebatur Batavia. *Interim per aggerem publicum plena militaribus viris fiſcalis rheda veniebat.* Fiſcalem rhedam intellige vehiculum curſus publici, de quo in utroque Codice de Curſ. publ. Aggeres illos publicos, ſive vias fiſcalium rhedarum, & curſus publici per Bataviam, Tabula antiqua, quam diximus, & Itinerarium Antonini ob oculos ponunt. Quanta cura Bataviae aggeres habiti, & quanto negotio & opere via illae expeditae fuerint, cum provinciarum in proximo momenta, & praecipue Britanniarum declarant, quarum res celerrime ac ſub manum, vid. Sueton. in Auguſt. cap. 49. per Batavorum aggeres annunciabantur. Tum incredibilis Tiberii velocitas, qua per vicinos Bataviae aggeres raptus ad fratrem Druſum, ex equi lapſu periclitantem in Germania, inviſebat. Rem narrat Plinius Natural. Hiſtor. lib. 7. cap. 20. quam dum ad augendam famam, ut ſolet, calamiſtris inurit Valerius Maximus lib. 5. cap 5. non uno ſeſe errore implicat. Aeſtiva tum Druſus habebat in colle, qua Velavia noſtra Iſalam & Doesburgum proſpectat. Ob miſerandum ſummi ducis fatum ſcelerati nomen loco Romani indiderunt. vid. Sueton. in Claud. cap. 1. Germani idem ſignificantes onſelig vel onſehlich dixerunt. Unde & hodie ſilva, quae in caſtrorum veſtigiis crevit, accolis het onſellige bosch appellatur. Quae cum rerum Gelricarum ſcriptoribus praeterita ſunt, commemoranda hoc loco exiſtimavi. Verum ex diverticulo hoc in viam redeo, atque ad eos aggeres, ad quorum alterum ſepultus fuit Trajanus Jucgumattius. Reditque huc diſputatio noſtra, Romanos ſtruxiſſe aggeres, quos hodie per Bataviam intuemur, & Bandyken appellamus. Attigit eam diſputationem Vir Conſularis, Joannes Michael Roukens in de Deductie over het Dyckrecht van den Circul van der Oye pag. 4. & ſeqq. dicturus plura pro doctrinae, qua pollet, copia, ſi res opportuniorem locum praebuiſſet. Bataviam autem dico more Romano eam inſulam, quae a Rheni & Vahalis divortiis inter

utrius-

utriusque oſtia (quibus oſtiis Scaldis oſtia duo Orientalia accenſeo, Zelandorumque inſulas Bataviae antiquae adnumero, Inſulanis illius fluvii, ut & Caninefatibus in nobilius Batavorum nomen & rempublicam Antonino ſaeculo transgreſſis) ſternitur. Aggeres a Francis, Saxonibus, Friſiisque, qui, exſtincto per Occidentem Romanorum imperio, Bataviam tenuerunt, aggeres curatos fuiſſe opinor. Quid ſi nec alias artes muniendi ripas, in quarum numero moles obliquas, quas Kribben appellamus, pono, Romanis incognitas fuiſſe dicam? Quid ſi nec Cimbris, quos antiquiſſimos Batavicarum proximarumque inſularum, terrarumque cultores fuiſſe puto, quod longo tractu inde a Cimbrica cherſoneſo Oceanum praetexebantur, exſtructiones ad compeſcendos undarum furores, ignoratas fuiſſe dicam? Ridebunt ſcio, qui opinionem hanc, graviſſimorum ſcriptorum teſtimoniis contrariam, legent. Verum liceat & mihi viciſſim ridere eos, qui animum inducunt credere jactatoribus Graecis & Romanis, ea tradentibus, a quibus ſoli, quod incolimus, aquarum, & populorum natura abhorret, dum ex patriae ſuae ingenio remotiſſimas terras aeſtimant. Expendamus paucis verba ſcribentium. Aelianus homo Praeneſtinus, qui accepta ab aliis prodidit, nunquam enim patriae fines exceſſit, Variar. Hiſt. lib. 12. cap. 23. ubi de Celtis, narrat (quorum appellatio latiſſime patet, Germanos omnes, ipſos etiam Cimbros complexa:) *Multi*, inquit (ſcribam verba Latine) *inundans mare ſuſtinent. Sunt etiam, qui arma capientes in fluctus irruunt, & eorum impetum excipiunt, nudos gladios & haſtas intentantes.* Suſtinent ſane etiam hodie, oppoſito aggere, ſive terrea mole molliter in altum evecta, in qua undarum vis, adſcenſu quaſi fatigata, deſaevit, ut in Walacria Zelandiae, praecipue ad Weſtcapellam. Alii ſuſtinent oppoſitis trabibus ferro vinctis, cum maxime etiam, id quod hujus ſaeculi in his terris inventum eſt, ſaxorum coacervatorum molibus objectis, quibus nequicquam aliquis Graecorum χηλὰς comparaverit. Neque etiam inſuetum hodie, hibernis amnium fluctibus videre per aggeres hominum catervas ſudibus (haſtas Romani nominant) ſecuribus, falcibus, aliisque armis ac telis inſtructas ad expedienda ea, quae inſtans periculum & neceſſitas exigit. Spectare etiam eſt, nonnullos, telis, id eſt, ſude an ſudibus armatos, qua labem hiatumve minatur agger, in fluctus ſeſe conjicere, corporum pondere faſces, quibus ad munitionem opus eſt, mergere, merſos figere. Vide autem, quam aliene haec transferant Graeci, ratione

tione & judicio decepti, subjicit enim Aelianus, Graecos alios secutus, fecisse ea Celtas, tanquam si terrere aut vulnerare fluctus possent. Verum operae pretium est Strabonem contrariis sententiis pugnantem audire de rebus, quas fando acceperat, oculis nunquam usurparat. Ita autem is lib. 7. pag. 293. *De Cimbris quaedam inepte dicuntur, quaedam probabilitatem habent non mediocrem. Non enim hac de caussa eos ut incertis vagarentur sedibus, & latrociniis victum quaererent, compulsos crediderim, quia e peninsula, quam habitaverant, diluvio fuerint ejecti, cum hodieque antiquas incolant sedes.* Penuriae metu & melioris vitae spe Transalpinos, Transrhenanosque omnes sedes suas mutasse, alienas expulsis possessoribus occupasse, late praedas egisse, nemo nescit. Fallitur praeterea Strabo, existimans, solam chersonesum antiquissimis Cimbris habitatam. Eum praeterea haec ratio fellit, non videri Cimbros ex chersoneso ejectos, quia sua aetate eam Cimbri habebant. Dixi ante, late Oceani littora tenuisse Cimbros, etiam ultra Rheni ostia. Chersoneso autem non omnes expulsi fuerunt, sed multi eorum, neque enim opinio fidem capit, omnem peninsulam aquis fuisse obrutam, & vasta inundatione, quam Cimbricam nominamus, editiora quaeque & terras remotiores absconditas fuisse. Inundationes non dissimiles aetas nostra vidit, vidit etiam majorum aetas, quas annales memorant, maxime Frisiorum, quod ea gens aut Cimbris orta, aut vacuas Cimbrorum sedes ingressa est, qua inter Wiseram (Visurgim dixerunt Romani) & Scaldim, quem Cineam nominat Lucanus, Cinesalam Frisiorum leges antiquae, littora porriguntur. Frisiorum multi rebus omnibus amissis extorres patria, in alias terras se contulerunt, quae & caussa est, cur tota paene Germania sparsi, alii ad sedes pristinas, refectis aggeribus, quos Oceanus disjecerat, redierunt, quas cum maxime incolunt. Florus lib. 3. cap. 3. tanta stoliditate Cimbros fuisse scribit, ut Athesin flumen non ponte, nec navibus, sed primum corporibus fuerunt adgressi, posteaquam vero retinere amnem manibus & clipeis frustra tentaverant, ingesta obrutum silva transiluisse. Sed quis credat, homines ad Oceanum, atque inter multorum amnium ostia natos, ab Oceani undis patriis sedibus expulsos, sexcentos amnes, certe quicquid amnium est, inde ab ultimo Oceano (Oceanum septentrionalem sentio) usque ad Alpes, in Germania, in Gallia trajectos, naturam & ingenium aquarum ignorasse? & nescivisse, amnem manibus, telis, corpore retineri non posse? Nisi ea tela intelligas eas

manuum operas, eas corporum objectiones, quas multi ad cavendam eluviem ſpectarunt hodie in Gelria, Itali olim ad Atheſin obſtupuerunt, & quia cauſſam non intelligebant, aliorſum traxerunt. Mihi quidem ille Cimbrorum conatus reprimendi amnem, indicium facit, hominibus illis artem inſuetam fuiſſe, atque incognitam Romanis, ſed fruſtra in Atheſi, qui rapidiore fertur impetu, quam, quos illi viderant amnes, tentatam. Si quid mirandum in ea re, miror ſtuporem Romanorum, ridentium ea & aliene interpretantium, quae non intelligebant. Videbis & hodie obſtupeſcere illos, qui mari mediterraneo adſueti Herculeos labores, quibus Zelandi, Hollandi, Friſii adverſus Oceanum patriam tuentur, adſpiciunt. Herculeos dico, quia Hercules Vetuſtis exiſtimatus eſt illius artis & laboris inventor. Ille nempe Hercules, qui a Batavis Maguſani nomine dictus eſt, quo de ante diximus. Suavis eſt Strabo, at quanta fide, quanta ſapientia ſcriptor, cum ea refellit de inſueta Oceani aeſtuatione lib. 7. pag. 293. imperitia lapſus, quae noſtrum nullus ignorat, debiturus ludibrium ruricolis noſtratibus, ſi eum intelligant. Verum redeo hinc ad Batavorum inſulam, & hoc addo, neminem miraturum eſſe, Romanos ſumma cura tuitos fuiſſe ab inundatione inſulam, ſi ſciat, quot peditum equitumque praeſidiis, quot oppidis, quot manſionibus, quot mutationibus, quot ſtabulis Caeſareis, quam ſtupendo equorum veredariorum numero, quanto negotiantium concurſu, quantis navium ſtationibus & portubus, claſſium propugnaculis eam munierint, quae in extremis Romani imperii finibus ſita, Barbarorum, Gallorum, Britannorum, Romanorum, imo terrarum orbis merces pronis alveis & adfluente Oceano accipiebat & mutabat. Tuiti etiam Romani gentem, Imperii robur, & Imperatorum praeſidium, Batavos dico, ex quibus crebri delectus, & qui Germanos, infeſtiſſimos imperii Romani hoſtes, a tranſitu Rheni prohibebant, & corporis cuſtodes Principum erant. Succurrit demum hoc loco, id quod ante memorari oportuit, non majores tantum aggeres, quos militares vias nominavimus, & vernacula appellatione Bandyken, Romanis fuiſſe notos, ſed & minores, quos Kaedyken dicimus. Ii per prata humilius attolluntur, ad leviores inundationes, quas nonnunquam aeſtus minatur, cavendas, iis in locis, ubi longius agger publicus ab amne recedit. Propiores autem illi ſunt amni, & ſecundum ripas ducti. Vox ipſa Romana eſt, Romani namque Cajos nominabant, quam vocem ex pervetuſtis gloſſis in medium protulit Joſephus Sca-

Scaliger ad Auson. Epist. 2. v. 13. qui Poëta Burgidalensis videtur designare minorem istiusmodi aggerem in hoc loco, ubi de ambulatione sua ad Mosellam.

Desertus, vacuis solisque exerceor aris,
Nunc ego pubentes salicum deverbero frondes,
Gramineos nunc frango toros: viridesque per ulvas
Lubrica substratis vestigia libro lapillis.

Voces enim *vacuis*, *solis*, distinguunt aras illas, nam & hoc nomine cajos dixerunt Romani, ab aggeribus publicis, in quibus homines multi versabantur.

CAPUT X.

Ex Monumento M. Trajani non exstimandum de vetustate templi Dodenwerdensis. Turres templorum recentiores sunt templis per Gelriam, etiam alibi. Basilicae Trajectinae serior turris. Aetas operum ex lapidum genere & forma aestimatur. Duifsteenen qui lapides. Sacrilegium fuit, lapides sepulcbrales auferre, nisi essent hostium sepulcbra. Merulae de lapide Noviomagensi error. De lapidis illius scriptura. Religio fuit Gentilibus, lapides sepulcbrales templis Deorum superorum inferre. Ne destinata quidem Diis inferis, Diis superis dabant. Quare turres Ecclesiis additae. Campanarum sonitu fugabantur daemones. Cur hodie campanarum sonitus in funere redimatur pecunia. Foedus mos tumulandi mortuos in templis unde ortus. Campanae olim baptizatae fuerunt. Campanae Arnhemienses. Martyrum reliquiae templis illatae. Quae caussa sit multitudinis templorum per has terras. Ecclesiae excitatae a Christianis, ubicunque gentilium luci, templa, aut arae fuerunt. Antiquissimae in his terris Ecclesiae ex ligno. Moenia urbium ex ligno. Quando Groninga muro lateritio cincta. De Tielae urbis munimento. Excerpta legum Frisicarum emendata. Almenum Frisiae pagus pomoerio Harlingae inclusus. Gallorum ecclesiae vetustae ex ligno, item Hiberniae.

Si qui sunt, qui ex hoc M. Trajani Monumento, quod vetustissimum esse diximus, de antiquitate templi atque Ecclesiae Dodenwerdensis

-denwerdensis existimabunt, quos plurimos fore puto, certe eos fuisse conjicio, quos Arnoldus Slichtenhorstius in het Toneel des Lands van Gelderland pag. 33. §. 57. scribit, Ecclesiarum omnium in ea Bataviae regione eam antiquissimam censuisse (nullum enim aliud praeter illud Monumentum tantae vetustatis argumentum est) ii insigniter falluntur. Quanquam enim non nego, persuasus his, quae ad me de ea re Reverendus Ecclesiae Pastor, Monumenti illum lapidem turri recentiorem non esse, sed inclusum tum, cum condi est coepta. Nego tamen, vere ex turri de antiquitate templi judicari oportere; ob id quod turrium templis adpositarum est recentius inventum. Imagines templorum, quas Sponius in itinere suo, aliique pinxerunt, turribus carent, nec non eae, quas Tabulae Peutingerianae prodiderunt. Spectavi saepe fana per Gelriam consideratius, praecipue ea, quae aut scriptorum testimoniis, aut opinione vulgi, aut fabricae lapidumque forma & genere vetustissima sunt visa, eorum autem omnium turres diverso lapide, dispari specie & dispari aetate structas repperi. Aetatem minorem aestimavi ex laterculis coctilibus, aut Antunnacensium lapidum minore forma. Non nullorum rimae eaeque grandiores, qua turris & templi aedificium jungebatur, & diversa structura, fabricam turris serius adpositam docebant. Basilicae Trajectinae, quam Willebrordus aedificavit, serius accessit turris, saeculo demum XIV. vid. Hedae Histor. Ecclesf. cap. XXXXIIII. Antiquiora templa omnia ex lapide Antunnacensi sunt, qui lapides quanto antiquiores, tanto formae magnitudine praestant. Antunnacensem lapidem dico, qui ad Antunnacum, quod oppidum est vetustissimum ad Rhenum, fuerunt erecti, quos hodie tophos, Duifsteene / Cementsteene / Cras / quanquam ab iis, quos Romani olim caementa & tophos dixerunt, diversi sunt. Tametsi autem turris Dodenwerdensis ex Antunnacensi lapide est, si a solo Monumento Trajani discedas, quod ex creta est, quia tamen lapidum forma minor aliaque indicia demonstrant, non eadem, qua templum, aetate structum esse, recentiorem eam opinamur. Recentior quoque est religione ea, qua nefas erat, & sacrilegii instar, lapides, qui ad sepulchra pertinebant, in quorum numero cippi, aedificandi caussa movere. Edictum hoc est Imperatoris Constantii, *Si quis de sepulchro abstulerit saxa vel marmora, vel columnas aliamve quamcunque materiam fabricandi gratia, sive id fecerit venditurus, decem pondo auri cogatur fisco inferre.* Julianus autem ita cavit: *Pergit audacia ad busta defun-*

functorum & aggeres sacratos, cum & lapidem hinc movere & terram evertere & cespitem evellere proximum sacrilegio majores nostri semper habuerint. Quas leges dein Theodosius, postea & Justinianus Codicibus suis inseruerunt, ubi de sepulchro violato. Sepulchra hostium non religiosa fuisse Romanis, docet Paullus in l. 4. ff. de Sepul. viol. Verum Batavis Christianis hostium loco habitos fuisse Paganos Romanos ignoro. Ostenditur etiam Noviomagi cippus Diis manibus consecratus, qui ex pariete aediculae, quae in arce est, & sacellum fuisse creditur, exemtus. Gerardi Noviomagi sententiam de eo exagitat Paullus Merula in Dissertatione de Neomago, quam Annalibus suis Gelricis inseruit Pontanus lib. 1. pag. 53. Ludibrium autem doctioribus hominibus nostri saeculi praebet ipse exagitator Merula, quod aediculam eam Diis Manibus consecratam putat. Lapis ille ex arce translatus in Curiam est, ubi hodie visitur: cujus haec est sententia: Diis Manibus C. Julio Claudio Pudenti Veterano Legionis decimae Geminae piae fidelis annorum quinquaginta & Julio Junio filio ejus heredes fieri curarunt Gryphos tituli mitto, quorum posteriorem recte pinxit Gruterus pag. 547. n. 1. priorem autem, qui est in versu tertio, melius quam caeteri, Miscellaneae Observationes Criticae Novae Tom. x. xi. xii. pag. 348. in litteris J. Gaspar. Hagenbuchii ad Illustriss. Comitem Ottonem Fridericum de Lynden, referunt, nec tamen accurate satis. Nemo hodie nescit, sacella aut aediculas Diis manibus non consecratas esse, sed singulos cippos, tanquam aras sepulchrales, unius hominis aut paucorum Manibus positas. Inde autem, quod turri Dodenwerdensi & sacello sive aediculae arcis Noviomagensis lapis sepulchralis additus est, arguo, opera illa admodum antiqua non esse, nisi forte aediculae parieti ex refectione insertus, certe ab homine gentili non exstructa. Gentilibus enim religio fuit & summum nefas, non sacrata tantum, sed & destinata Diis inferis, superis Diis dare, inter quos maxima rerum omnium & caerimoniarum pugna. Quare Domitianus, teste Suetonio in vita Domit. cap. 8. ne qua religio Deum impune contaminaretur, monumentum, quod libertus ejus e lapidibus, templo Capitolini Jovis destinatis, filio construxerat, diruit per milites, ossaque & reliquias, quae inerant, mari mersit. Auctor est Tacitus Historiar. lib. 4. cap. 53. de instaurando Capitolio, praedixisse Haruspices, ne temeraretur opus, saxo aurove in aliud destinato. Quod de turrium usu minime vetusto disserui, sciendum, caussam turribus Ecclesiarum atque origi-

nem dedisse superstitionem, & praecipue cupiditatem avaritiamque sacerdotum, qui persuadebant hominibus, ex campanarum sonitu fugari daemones, malorum omnium auctores, sed ita fugari, si campanae consecratae essent. Hinc ambitus & nummorum profusio, maxime in funere, ad propulsandos de mortuis concertantes daemonas. Durat mos & sonitus campanarum in protestantium ecclesiis, & quamquam superstitione sublata, in iis tamen campanarum funebrium pulsus magna mercede redimitur. Foedior mos est tumulandi mortuos in urbibus atque in Ecclesiis, non quod sacra hoc modo pollui clamem, sed quod tetros pestiferosque tabe fluentium cadaverum foetores, uno loco, in quo civitatis conventus, concludimus. Dudum superstitionem natam inde, quod maturior ex eo loco a praesidio martyrum, quorum reliquias Ecclesiis inferre mos antiquissimus in astra die decretorio adscensus erat, expulerunt Protestantes, malum retinent. Id quod, ut puto, mirabitur posteritas, ubi semel damnare coeperit. Quibus caeremoniis consecratae & baptizatae fuerint Campanae Ecclesiarum, narrat Joannes Wierus de Praestigiis Daemonum lib. 1. cap. 9. §. 4. de portentosis viribus in fugandis daemoniis, lib. 5. cap. 3. §. 3. cui, si suaves nugas audire lubet, adde Antonium del Rio in Disquisit. Mag. lib. 6. pag. 741. & Campanarum titulos, quos habet Keysler. in Itin. Tom. I. ep. 1. In campana Arnhemiensi est, *pestem fugo*, in altera, *fulgura frango*. De honoribus atque inmortali beneficio eorum, qui proxime Martyres in Ecclesiis sepulti jacebant, ita refert Maximus Taurinensis, qui vixit saeculo quinto, sermon. 55. *Ideo haec a majoribus provisum est, ut Sanctorum ossibus nostra corpora sociemus, ut, dum illos Tartarus metuit, nos poena non tangat, dum illos Christus illuminat, nobis tenebrarum caligo diffugiat. Cum sanctis ergo Martyribus quiescentes evadimus inferni tenebras, eorum propriis meritis attamen consociati societate.* Plura quaerenti dabit Ludov. Anton. Muratorius in Anecdotis Latin. Dissertat. 17. Crebro equidem admiratus sum Ecclesiarum multitudinem per has terras. Caussam alii dicunt locorum celebritatem & hominum frequentiam, quae olim fuit, deinde autem Normannorum saevitia & vastationibus, marium & fluviorum eluvionibus, intestinis dissidiis imminuta est. Sed quia deficientium locum facile repleverunt vicinae gentes, quotannis huc spe lucri & commodioris vitae commeantes, dubito, minorem cum maxime hic incolarum numerum esse, quam olim fuit, quare veriorem puto fuisse caussam con-

consuetudinem priscorum Christianorum excitantium Ecclesias in omnibus iis locis, in quibus gentilium fana, delubra, templa, luci, aut arae steterant, ne quis locus Νεοφύτοις, id est, novis Christianis, vacaret religione, ad quem ante numinis caussa convenire consueverant. De Martino Sulpicius Severus in ejus vita cap. 13. *Et vere ante Martinum pauci admodum, imo vero paene nulli in iis regionibus Christi nomen receperant: quod adeo virtutibus illius exemploque convaluit, ut jam ibi nullus locus sit, qui non aut Ecclesiis frequentissimus, aut monasteriis sit repletus. Nam ubi fana destruxerat, statim ibi aut Ecclesias aut monasteria construebat.* Adde Dialog. lib. 3. cap. 8. Idem per Germaniam factitasse dicitur Carolus Magnus, vide vitam Junioris Bedae in Actis Sanctorum Bollandi Aprilis x. pag. 867. Facilis autem & sine sumtu haec structura, parabili ubique materia, quod struebantur tum templa & monasteria ex ligno fere. Auctor Chronici Egmondani ad annum 977. *His temporibus fuit Theodoricus Comes Hollandiae secundus filius praenominati Theodorici primi Comitis, qui paternae devotionis erga Deum & Sanctum Adelbertum ferventissimus extitit aemulator, nam pater ejus ligneam, hic lapideam in honorem ejusdem Sancti magno sumtu aedificavit basilicam.* Lebuinus Willebrordi sodalis templum ex ligno Daventriae exstruxit, vid. Dumbar kerkelyk en wereldl. Deventer 2. boek 3. hoofdst. pag. 182. Ipsa oppida septo ligneo munita fuerunt. De Groninga rerum Frisicarum scriptores omnes testantur, diutissime ligno munitam fuisse. De ea, haec Ubbo Emmius lib. 6. pag. 101. *Crescebat tum* (exeunte saeculo undecimo) *frequentia &, opibus Groninga ad ipsos Drentiae fines in agro Frisico sita, in qua praedium Bernulpho Ultrajectino Episcopo cum Drentia donatum esse ab Henrico ad annum MXL. supra diximus. Ea propter muro etiam lateritio cingere se coepit anno MCX. cum ligneo septo pro muro usa hactenus per XC. annos esset.* An & ligneo munimento circumdata olim Tiela fuit, quondam Brabantiae, nunc Gelriae civitas? De ea Imperator Otto primus in diplomate Anni DCCCCL. quod Heda edidit in Histor. Episcop. Ultraj. pag. 86. *Monasterium in loco Tiela constructum, cum nova atque lapidea in eodem loco civitate.* Adde pag. 111. Caroli Magni tempore aedificia nulla in Frisiis fuisse, ex legibus eorum, quas stetten & hoeren nominant, perspicimus. Adscribam verba, ut mendam inde eluam, quae dudum inolevit. Adscribam autem ex Bern. Schotani Beschryving van Friesland pag. 107. Quo in loco refert Extract end oversettinge van d'ou-

de Friesche rechten / quarum legum haec clausula. Dese breef brochte Magnus in Vrieslandt ende dat leest men in Almannen in Sunte Michaels doeme / de doe ter tydt myt holte und myt stroe getymmert was. Daer was yn Vriesland anders geen woenheydt. At vero quid Alemannia ad Frisios ? Nihil sane. Evolve pag. 56. ejusdem Schotani, ubi eaedem leges memorantur, scriptae vetustiore Frisiorum sermone, ubi exaratum videbis non *Almanyen*, sed *Almenum*. Fuit autem Almenum vicus vetustissimus prope Harlingam, cujus urbis pomoerio inclusus est anno MDLXXX. ecclesiamque habuit S. Michaeli consecratam, quae in lege Frisiorum Sint Michels doem appellatur. De Galliae Ecclesiis ex ligno vid. Mabillon ad Acta SS. Ordinis Benedicti Tom. II. pag. 1004. In Hibernia Kienanus primus Ecclesiam ex lapide aedificasse dicitur, Act. SS. Bolland. Januar. 1. in vita S. Mochad. cap. 4.



A D-

ADDENDA.

Pag. 5. lin. 26. post donarat. Marius, reprehensus quod duas Camertium cohortes, in proelii conflictu, quod bene pugnarent, adversus leges civitate donarat, respondit: inter armorum strepitum verba se juris civilis exaudire non potuisse. Valerius Maximus lib. 5. cap. 6. ex. 8.

Ibid. lin. 31. post cap. 28. Idem de Augusto, eum.

Pag. 10. lin. 36. Post dicuntur. Adde. Nec non Titi Flavii Venustinus & Saturninus Fratres in hoc elogio cippi sepulchralis, quem eruit ex vinea sua Romae Jo. Baptista Casalius, vulgavitque in profanis Romanorum Ritibus cap. 26. pag. 153.

D. M.
P. FLAVIO RVFO
TT FLAVII
VENVSTINVS ET
SATVRNINVS
FRATRI
PIENTISSIMO
FECERVNT

Pag. 11. lin. ult. post appellantur. Adde. Non una de caussa memoranda est epigraphe lapidis Musei Victorii, quae praemissa est Dissertationi Glyptographicae, pag. XXIV. referam huc eam partem, in qua Fratres tres cognominibus distincti, liberorum autem nulli commune cum parentibus cognomen.

D. M. S.
N. FADIVS HERMES. ET. EERVENIA. RESTITVTA.
CVM. FADIS. FIL.
SVIS. IAMBO. FESTO. FRVCTO. ET. CONFLONIA.
FORTVNATA
FECERVNT. SIBI. ET. SVIS. LIB. &c.

Pag. 14. lin. 30. Quare uxorem Pomponii Caeciliam accipio. Corrige & adde, quare matrem Pomponii Caeciliam accipio, quae illo tempore vivebat. Extulit eam annos natam nonaginta

 ip-

ipſe ſeptuagenario major, teſte Cornelio Nepote in vita Attici, cap. 17.

Pag. 15. lin. 19. poſt Atticum lib. Adde 14. ep. 5. 6. 10. 11. 12. 20. 21. 22. Contra Octavianum lib. 15. ep. 12. ut & lib. 16. ep. 11. Vitruvius in Prologo lib. 1. Octavianus Auguſtus, ubi tamen in nonnullis libris eſt Octavius.

Ibidem lin. 33. poſt quaeſivi. Adde. Tertulliano de Anima cap. 46. Julius Octavius nominatur. *Reformatorem*, inquit, *imperii puerulum adhuc & privatum loci, & Julium Octavium tantum, M. Tullius jam & Auguſtum, & civilium turbinum ſepultorem de ſomno norat.* Fallitur Tertullianus, referens, jam eo tempore Julium Octavium dictum, quo per quietem viſus fuit Ciceroni, id quod illud tempus eſt, quo Octavius iſte adfuerat avunculo Caeſari in ſacrificando, quo tempore nondum Julii nomen habebat Octavius, nactus id demum teſtamento avunculi illius. Tu vide, quae de eo ſomnio Suetonius in Aug. cap. 94.

Pag. 16. lin. 24. poſt pag. 567. In pulcherrimo marmore, quod legis Regiae monumentum nonnullis exiſtimatur, apud Gruterum CCXLII. *uti licuit Tiberio Auguſto, Tiberio Julio Auguſto.*

Ibid. lin. 33. poſt MMXXXIII. 8. Τιβέριος Ἰούλιος Ταρσοξ σεβάςου ἀπολεύθερος καὶ ἐπίτροπος. Stephan. Winand. Pighius in Herc. Prodic. pag. 331. Τιβέριος Ἰούλιος βασιλεὺς Ρησκόποριs, in Nummo, quem vidit Maffejus, vid. Antiq. Gall. pag. 113.

Pag 17 lin. 15 poſt adoptionem. adde etiam.

Ibid. lin. 29. poſt perſpicit. Claudii filia, quam ex Petina habuit, Antonia dicta, quo nomine fuit mater Claudii: quam habuit ex Meſſallina, ea Octavia appellata.

Pag. 25. lin. 31. poſt Cornelia fuit. Caecilius Dio appellatur Ciceroni in Verrem lib. 2 cap. 8. qui cap. 7. Q. Caecilii Metelli beneficio civis Romanus factus eſſe dicitur.

Pag. 26. lin. 23 poſt. cap. 13. Hoc animadvertiſſe mihi videor, eos, qui ante conſtitutionem Caracalli, qua civitas omnibus in orbe Romano degentibus eſt impertita, civitatem ſunt adepti, tribuentis nomen gentile adſciviſſe, qui vero poſt eam cives facti, a ſeſe nomen inveniſſe, id eſt, barbarum ſuum nomen in ſonum nominis gentilitii Romani in ius conformaſſe.

Pag. 28. lin. 31. poſt Herodiadaeque. Paullo vindicat Vir Clariſſimus mihique amiciſſimus in diſſertatione de Epiſtolis Apoſtolorum idiographis. Quae illum inter & me controverſia inde fue-

rit

rit orta, ex litteris meis cognoſces, quas ſubjunxi hoc loco. Accepi litteras, quas tractatui tuo de Epiſtolis Apoſtolorum idiographis addideras, ſed accepi tardius, atque a longo circuitu, & quaſi a peregrinatione ad me perlatas. Pro egregio illo dono tuo gratias ago habeoque. Quod rogas, ut candide atque aperte meum de illo ſenſum declarem, id requiris, quod ingenio meo, moribusque meis unice eſt conſentaneum. Divinam ad Romanos epiſtolam, non Paulli, ſed Tertii manu ſcriptam, eumque Tertium, quem Tu ipſum Paullum fuiſſe putas, alium Paullo fuiſſe cenſeo. Illud ut credam, ordinis a Paullo propoſiti ratio me adducit. Ordinem hunc propoſuit Paullus in illa epiſtola, ut priore loco recenſeret amicos a ſe ſalutatos, poſteriore amicos ſalutantes Illorum nomina enumerat ad Rom. cap. ult. v. 3. uſque ad v. 6. In eo autem verſu incipit annunciare ſalutem, non a ſe, ſed ab aliis, primo ab Eccleſiis, mox a ſingulis hominibus. Horum numero ſunt, Lucius, Jaſo, Soſipater, v. 21. Tertius, v. 22. Gajus, Eraſtus, Quartus, v. 24. Vides, Tertium a Paullo diſtingui, cum nomine tum loco. Verum, ais, epiſtola ea Paulli eſt, is ergo ille *Ego* intelligendus in v. 22. Sed contra dico, verba epiſtolae Paulli eſſe, litteras ſive ſcripturam Tertii. Is Tertius cum in epiſtola, a Paullo dictata, amicos vellet ſalutari a ſe, maluit eos ſalutari a ſua perſona, quam a perſona alterius, id eſt, ut Grammatice loquar, perſona prima, quam tertia: in quo is nihil fecit alienum aut a re ipſa, aut a conſuetudine Romana. Soliti enim Romani, nomina ſua ſcribentes, perſona prima uti, etiam tum (id quod maxime huc pertinet) cum ea alienis tabulis & inſtrumentis apponerent, ut in contractibus, pactis, & teſtamentis, aliisque, quibus teſtes accedebant Idem faciebant illi, qui nomina facere dicebantur, cum in creditorum tabulis expenſi ea locabant. Quid autem cauſſae eſt, cur idem non factum ab amanuenſi in epiſtolis? Si amanuenſis libertus fuit, aut ſervus, abſtinuit forte pudoris cauſſa, neque a prima tantum perſona, ſed & a ſalutatione. Sed ſi amicus, nulla abſtinendi cauſſa erat, imo amicitiae officium & ratio invitabant. Tertium autem hominem liberum, paene dixerim ingenuum, fuiſſe, ipſum nomen declarat. Sed fac, fuiſſe libertum, fac ſervum, in cauſſa Chriſtiana dominum ſervumque Chriſtus aequavit, atque amicitiam aliquam inter eos conglutinavit. Quod autem pag. 123. ſcribit, ex Cl. Roloffii ſententia, Paullum his nominibus fuiſſe dictum, Tertium Saulum Paullum, atque in iis Tertium praenomen fuiſſe,

Sau-

Saulum nomen gentilicium, Paullum cognomen, id nequaquam mihi ſit veriſimile. Tertius enim aetate Paulli non praenomen, ſed cognomen fuit, ut & Tertulli, quod idem eſt Tertio. Nam a Tertio eſt Tertiolus, atque inde Tertullus, eademque nomina ſunt Tertia & Tertulla. Sueton. in Caeſ. cap. 50. Scio, ex numeris praenomina fuiſſe, ſed non alia praeter Quinti, Sexti & Decimi. Sauli nomen Hebraeum eſt, id eſt, barbarum, cui nullus locus inter Romanas gentes. Paulli fuerunt Aemiliae, Juliae, Sergiae Gentis, etiam plurium, ſi Polliones Paullis accenſeas, quibus accenſendos puto. Sauli nomen Apoſtolorum princeps habuit patrium, Paulli Romanum. Illo inter Judaeos, hoc inter Romanos appellabatur. Soliti, tempore Paulli, Judaei Aſiaticorum plerorumque more duobus nominibus dici, patrio, & Graeco, ſeu Romano. Nunquam autem, certe rariſſime, iis junctis, ſed ſingulis appellabantur. Unde creberrimum illud apud Joſephum ὁ καὶ, quod & de Paullo Lucas in Actis Apoſtolorum, cap. 13. v. 9. & frequens in Aſiaticorum Inſcriptionibus. Paullus autem tum demum Romano hoc nomine dictus eſt, cum a Spiritu Sancto miſſus inter Graecos Romanoſque verſari coepit, vid. Actor. cap. 13. Quod Actor. cap. 9. v. 11. conjungenda putas ὀνόματι Ταρσέα, non ſequor in eo rationem tuam. Ad patriam deſignandam hoc additum nomen eſt, id quod non peculiare fuit Paullo, ſed commune cum omnibus Tarſenſibus. Conſueverunt Romani cives ſuos a tribu, exteros a patria deſignare, cujus rei frequentiſſima ſunt exempla in ſaxis antiquis, maxime militum. Nemo autem ea inter propria hominum nomina retulit. Viden, me accurate & ſedulo executum mandatum tuum, ſincereque ac ſimpliciter animi mei ſententiam declaraſſe? Illud addendum eadem ſimplicitate, qua caetera Videri mihi, illum libellum tuum erudite atque eleganter ſcriptum. Dabam, Arnhemiae XXIII. Novembris CIↃ IↃCC LI. Viſum fuit Clariſſimo Viro, familiarem eam confabulationem ab epiſtola in lucem & quaſi in forum protrahere, reſponſum ſubjungens diſputationi ſuae Theologicae, cui nomen fecit ἀποστολικὸν ἴδιον, ſive de epiſtolis Apoſtolorum propriis. Ea cum dudum publicata ſit & inter manus verſatur, non referam, quae ibi diſſeruit. Non omittendum tamen duxi hoc loco, id quod litteris familiaribus ei mox repoſui. Quarum cum plura ſint capita, memorabo tantum illud, quod ad cauſſam hanc noſtram pertinet. Gratias tibi dico ob ἀποστολικὸν ἴδιον, quod non niſi perlectum e manibus depoſui, fructumque lectionis uberri-

ri-

rimum tuli. Poscis in calce disputationis tuae ad me missae, ut demonstretur tibi librarius sive amanuensis, qui nomen suum, persona prima, quam Grammatici dicunt, usus, epistolae alterius adscripsit. Ego vicissim quaero, quae caussa sit, cum alienis tabulis publicis, privatis in persona prima adposuerint nomina sua veteres, cur ea abstinuerint in epistolis? Tertium Praenomen dixeras, Saulum Gentile nomen, Paullum cognomen. Tertii Praenomen ex antiquis monumentis praefers, quorum nullum Paulli saeculo, quod quaerebam convenit. Saeculum autem, quo Paulli nomina Romana sunt nata, non Paulli existimandum est, sed patris ejus, a quo Paullus Romana Nomina, una cum civitate, accepit. Aetas autem Patris incidit, ni fallor, in saeculum Augusti. Vellem etiam, Sauli Nomen Gentile esse docuisses. De Romanorum Nominum ratione haec mihi perspecta esse puto. Incerta eorum ratio fuit sub Regibus. Certa sub libera Republica, fluxa sub Imperatoribus. Fluxerunt autem illa una cum moribus Romanis, infusa peregrinitate, quae coepit inde a triumphis Asiaticis & Gallicis, caeterisque Transmarinis & Transalpinis. Non autem tota nominum structura, quae pulcherrima fuit, uno ictu aut uno tempore impulsa ruit, sed pedetentim labefactata est. Inde a Caesare Dictatore usque ad Antoninos Praenomina & Gentilia Nomina negligi coepta sunt, cognomina contra valere. Ab Antoninis ad Constantinos πολυωνυμία placuit, & in struem cumulata sunt promiscue Nomina. Ad pauciora reditum sub Constantinis. Hactenus epistola. Addo nunc, qui fieri potest, ut Saulus nomen, quo a Luca appellatur, gentile sit, siquidem gentilia Nomina omnia in ius vel aeus (quae tamen paucissima) fuerint terminata? Ecqua Gens Romae eo dicta est? Ecqua Gens Romana Judaico nomine dici voluit? Ecquod simile in universa antiquitate exemplum. Ast exemplum requirit Vir Cl. quo declaretur, librarios in alterius epistola salutasse prima persona. Videat ergo Vir Clarissimus, an hoc exemplum placeat ex Cicerone petitum. Is ita ad Atticum lib. 5. ep. 20. *Alexis, quod mihi toties salutem adscribit, est gratum, sed cur non suis litteris idem facit, quod meus ad te Alexis facit.* Consuerat Alexis (verum hoc an fictum nomen sit, parvi refert scire) librarius Attici, in litteris, quas dictante Attico ad Ciceronem exarabat, huic a se salutem adscribere. Adscripsit ergo is amanuensis suo nomine, non Attici, ex sua persona, non Attici, sua manu, salutem Ciceroni. Quaero, utrum similius vero, cum ex

fua perfona fcripferit, perfona prima an tertia eam fcripferit? Mihi veriffimum videtur, perfona prima adfcripfiffe.

Pag. 29. lin. 26. Ante vero quam Barbarorum nomina mitto, addendum hoc eft, in Sicilia nonnullos, qui cives non erant, Romanum aliquod nomen ufurpaffe. Ita namque Cic. in Verrem lib. 5. cap. 43. *Fuit in illis navarchis Heracliensis quidam Furius. Nam habent illi nonnulla bujuscemodi Latina nomina, bomo quam diu vixit, domi fuae, non folum, poft mortem tota Sicilia clarus & nobilis.* Quae autem illa fuerint nomina, ignorare nos voluit.

Pag. 32. lin. 7. poft non opinor. Ciceronis aetate, ut ipfe fcribit ad Atticum lib. 7. ep. 8. πολιτικὸν id σκέμμα vifum, *rectumne fit nobili adolefcenti mutare nomen mulieris teftamento.* Lege, quidpiam Romae ante Caefarum imperium de Nominibus fuiffe cautum non memini. Moribus nominum ratio ftetit, quae ex avaritia & ambitu ad extremum corrupta eft, unde & ipfa adoptionis, quae nova nomina tribuebat, jura funt corrupta, cum Clodius a Fannio, qui aetate minor erat, fuit adoptatus. Qua adoptione quamquam nihil perverfius, valuit tamen ea. Unde profpicimus, aliud fuiffe in his τῶ πολιτικῶ σκέμμα, aliud juris confultorum. *Non placuit Afiae Matri a filio*, qui deinceps Auguftus fuit dictus, *adiri nomen Caefaris.* Vellej. lib. 2. cap. 60. Nihil ibi Vellejus de aditione hereditatis diffuafit. Sufpicor inde, jam tum citra difpendium hereditatis licuiffe abftinere a nomine juffo.

Ibid. lin. 25. poft fideicom. 1. Tefte Vopifco in Aureliano cap. 14. *In actu legitimo, jubente imperatore Valeriano, Aurelianus ab Ulpio Crinito factus eft beres facrorum, nominis & bonorum, totiusque juris.* Num autem Aurelianus Ulpii Criniti nomina geffit? Non puto. Certe nulla monumenta publica, quae plurima exftant, Aureliani ea nomina loquuntur. Sed de Adoptatorum nominibus dixi fupra cap. 4. Septimii Severi pater Geta fuit dictus; avus paternus, Fulvius Pius; mater, Fulvia Pia; patrui, M. Agrippa & Severus; avus Maternus, Macer; paternus, Fulvius. Animadvertis fanguinis & affinitatis conjunctionem, nominum vero maximam difcrepantiam.

Ibid. lin. 42. poft dici. Sueton. in Claud. cap. 26. *Item Liviam Medullinam, cui & cognomen Camillae.*

Pag. 35. lin. 28. poft communicaffe. Nihil ineptius hoc Servii Grammatici praecepto (fi tamen id Servii eft, cujus commentarios

tarios in Virgilium in magno pretio habemus, siquidem aliena multa praestantiorum Grammaticorum nomine venditantur) quod est apud Putschium in Grammaticae Latinae auctoribus. *Non potest libertus habere nomen, quod familiam significat, cum ipse sine familia sit.*

Pag. 38. Sciendum praeterea, variis modis, multisque ex caussis suspensam fuisse servis libertatis conditionem a dominis: Addo unum ex Cicerone Famil. lib. 14. ep. 4. *Est autem in Officio adhuc Orpheus praeterea magnopere nemo caeterorum servorum. Ea caussa est, si res a nobis abesset, liberti nostri essent, si obtinere potuissent. Sin ad nos pertineret* (sic velim legas) *servirent.* Res acta eo tempore, cum Cicero, bonis publicatis, urbe erat expulsus. Fuit & manumissio mortis caussa, quia de Petrus Diaconus in Notis litterarum. Nam is ita: *M. C. M. mortis caussa manumissus.* Quae inventa fuit, ad exemplum donationis mortis caussa, fiebatque ob mortis suspicionem, ut loqui amant juris consulti: ut si manumittens periret, liber esset servus: sin, serviret.

Ibid. lin. 17. post fuisse. Id est, medio inter libertum & servum loco, quo qui erant, deinceps lege Junia Norbana lata, liberale, id est, civis Romani nomen accipiebant.

Pag. 39. lin. 18. post & crux. Justinus lib. 2. cap. 5. *Verbera in aciem, non tela adferenda, omissoque ferro, virgas ac flagella, caeteraque servilis metus paranda instrumenta.*

Pag. 41. lin. ult. De libertis id unum adjicere liceat. Libertis, sive servis manumissis dominorum nomina (praenomen dico & nomen gentile) tributa fuisse, satis notum, sed minus perspectum est, quemadmodum domini adoptati, qui & veri patris, & patris adoptantis nominibus cumulatus erat, nomina manumissis fuerint distributa, & quemadmodum duorum dominorum nomina servo communi manumisso impertita. Sentimus utrumque ex Eutychidae & Dionysii nominibus, quorum ille ab adoptato, hic, servus communis, a duobus dominis erat manumissus. Adscribam de iis locum Ciceronis ad Atticum lib. 4. ep. 15. *De Eutychide gratum, qui vetere praenomine, novo nomine T. erit Caecilius, ut est ex me & ex te junctus Dionysius, M. Pomponius.* Mens Ciceronis paucis explorata est, si tamen ulli. Eutychiden servum manumiserat Atticus. Atticus hic veris nominibus T. Pomponius Atticus fuit dictus, sed adoptivis, Q. Caecilius. Ille manumisso verum praenomen suum Titi imposuit, sed adoptivi patris nomen gentile nempe

pe Caecilii. Atticus vero & Cicero Dionysio communi servo dederunt Ciceronis praenomen, quod fuit Marci, sed Attici nomen gentile, quod erat Pomponii.

Pag. 46. lin. 19. post ordinarium. Aut primum ordinarium.

Ibid. lin. 22. post *caput.* Nunc tamen propior sum neganti.

Pag. 47. lin. 7. post caeterisque. Reinesius Cl. 1. 19. Salmas. in Commentar. ad Lampridium in Alexand. Sever. cap. 31.

Ibid. lin. 37. post juvenis. Quem nunc cassum lumine lugemus.

Pag. 52. lin. 11. post sequaris. Fabiam Verecundam conjugem Sabbii Servi Caesaris, denique libertos ejus libertasque, vicarios & posteros disce ex lapide, quem in vinea sua Romana invenit Josephus Baptista Casalius de profanis Romanorum Ritibus cap. ult. pag. 155.

Pag. 57. lin. 34. post & 26. Servis Caesaris annumerandus Felicissimus, quo auctore Monetarii turbas gravissimas excitarunt Romae, Aureliani Imperatoris tempore. Is Imperator in epistola ad Ulpium Crinitum Consulem, eum ultimum servorum nominat, vid. Vopisc. in Aurelian. cap. 38. Tu autem ultimum accipe, non ordine & conditione, sed improbitate, & moribus profligatissimum. Nam addit Aurelianus mox, sese ei procurationem fisci mandavisse. Vopiscus eum Rationalem dicit, quo nomine illum quoque appellat Aurelius Victor cap. 35. Suidas in voc. Μονητάριος, τὸν ἴδιον ἄρχοντα, nempe Monetariorum. Non ignoro, Julium Caesarem peculiarem servum praefecisse monetae. Verum puto, delato hoc honore a domino, quo Republica incolumi functi fuerant honestissimi viri, Triumviri Monetales, servum illum factum fuisse servum Caesaris & liberti loco habitum, haud aliter atque servus privati, ornatus a domino, factus ei fuit libertus ex lege Junia Norbana.

Pag. 58. lin. 11. post dicitur. Non discrepat Herculanensis Marmoris titulus, reperta nuper urbe eruti.

D. M.
C. AVSINIO. AVG. LIB.
PARAMVTHIO
FESTIANO
FALCONIA HECDONE.
MARITO. BENEM.

Pag.

Pag. 59. Prius vero quam hominum ſervos mittimus, explanandus nobis Vopiſci locus eſt, qui multis impeditus videbitur. Is in vita Aureliani cap. 49. *Servos & miniſtros*, inquit, *peccantes coram ſe caedi jubebat, ut plerique dicunt, cauſſa tenendae ſeveritatis; ut alii, ſtudio ſeveritatis. Multos ſervos e familia propria legibus audiendos, judiciis publicis dedit.* Idem cap. 50. *Servis bis veſtes easdem Imperator, quas & privatus dedit, praeter duos ſenes, quibus quaſi libertis plurimum detulit Antiſtium & Gillonem, qui poſt eum ex Senatus ſententia manumiſſi ſunt*, ſervos & miniſtros diſtinguens, ſervos intelligit, qui vulgari ſervorum more ſerviebant, miniſtros vero, ſervos Caeſaris aut fiſcales, quos honeſtioribus miniſteriis adhibitos diximus, ſimiles libertis, quibus de plura paullo ante. Servos e familia propria dixit eos, quos peculiares ſub initio hujus capitis nominavimus. Mox Antiſtium & Gillonem *quaſi libertos* vocat, quod erant Latini Juniani, qui, ut cap. 8. oſtendi, vivebant ut liberi, ſed moriebantur ut ſervi, ſoliti Romanarum Gentium nomina, quale eſt Antiſtii, praeferre. Addit Vopiſcus, Aureliano mortuo eos ex Senatus ſententia fuiſſe manumiſſos, accipe autem manumiſſionem iteratam, quae fiebat ad Praetorem, & qua plenum jus civitatis Romanae conſequebantur Latini Juniani.

Pag. 63. lin. 1. 2. poſt vox, corrige & adde. Servus. Nequis in aedibus Domitiani extra Romam, in villa aut familia ejus extera.

Ibid. lin. 16. poſt connectendae. Mutato caſu pro *vernae*.

Ibid. poſt LIB. Idem pag. 86.

MANIBVS
L. ABVCCI POTHI VERNAE
ABVCCIAE ARISCVLAE L.

Lucius Abuccius Pathinus fuit verna libertus Abucciae Ariſculae. Quare auſim hoc modo enodare epigraphen lapidis Gruteriani CMLXXVIII. II. *C. Julius Heleni* Libertus *verna ſibi & Marciae C. l. Au.* exempla alia adminiſtrabit Joſ. Caſtalio in Var. Lect. cap. ult. Is tamen quantumvis eruditus, vocis indolem perſpectam non habuit. Inſignis eſt Inſcriptio lapidis, quem in monte Pincio ſpectavit, memorata etiam Grutero DLXXXVI. & non unam ob cauſſam praedicanda:

SECVRITATI
COGNATIONIS SVAE
FORTVNATVS AVG L
VERNA PATERNVS
AB EPISTOLIS
ACCENSVS PATRON
DIVO AVG VESPASIANO
LICTOR CVRIAT
VIAT. HONOR DEC COS ET PR
ET SIBI ET
EPAPHRODITO AVG L
AB EPISTVLIS FRATRI SVO

Fortunatus Augusti libertus verna paternus (libertus verna paternus dicitur, quem libertum vernam a patre adsignatum acceperat, ut in l. 8. ff. de Adsign. Libert.) Fuerat is antea Accensus Patrono suo D. Aug. Vespasiano & Lictor Curiatus, nec non Viator honorarius Decuriae Consularis & Praetoriae, de cujusmodi Decuriis vid. Reines. Cl. x. 3.

Pag. 68. lin. 5. post *fuit*. Sextius fuit Romano nomine Venerius, Cic. Verr. lib. 3. cap. 67. unde id praeterea discimus, fuisse Venerium illum Lictorem Verris, atque adeo servum publicum. Is Sestius appellatur in Verr. 5. cap. 43. ut Sixtus pro Sexto, censente Reinesio in Syntagm. Cl. xvii. 110. neque aliter bissit pro bixit aut vixit, apud Fabrett. Inscr. pag. 563. adde pag. 551. visit pro vixit, cap. vii. 389. Sic mixtus & mistus. Memorantur praeterea Venerii Apparitores Verris, Cic. Verr. lib. 3. cap. 25. & cap. 38. Venerius servus Lictor, lib. 5. cap. 44. Sed nequaquam omittendus Apronius, adsiduus fere Verris satelles, & scelerum administer, qui Venerius servus dicitur, lib. 3. cap. 40.

Pag. 70. lin. 19. post constabat. Si quid tamen mutandum, ita scriptum fuisse arbitrabere, *BasiliDES DEI libertus*. *Dei* extritum fuit ob terminationem similem vocis proximae.

Ibid. lin. 35. post xxxxviii. n. Domina Venus ubique apud Charitonem salutatur. Vid. lib. 3. cap. 2. 6. lib. 3. cap. 8. lib. 5. cap. 10. lib. 7. cap. 5. bis. lib. 8. cap. 4. ΔέσποιΝη Νεμεσις est apud Gudium lv. 13.

Pag. 75. lin. 12. post mittimus. Marius consecutus annulos aureos, sese libertum nominat in epigrammate Muratorii dccxviii. 3.

Pag.

Pag. 77. lin. 22. post legitur. Projectos complures citat Juretus in Miscellan. ad Symmach. lib. 3. ep. 6. quos quanquam non ausim affirmare omnes Christianos fuisse, hoc tamen certum, saltem vixisse eo tempore, quo dudum lux Christiana fulsit. Simile nomen fuit filiae Sororis Justiniani; πρϊέκτα nunc in vulgatis Procopii libris appellatur, de Bello Goth. lib. 3. cap. 31. Fuit ea uxor Areobindi.

Ibid. lin. 28. post III. N. Rutil. in Itiner. lib. 1. v. 389.

Radix stultitiae, cui frigida Sabbata cordi.

Celsus hoc dictum Christianorum exagitavit olim, teste Origene in Celsum lib. 1. cap. 9. κακὸν ἡ ἐν τῷ βίῳ σοφία, ἀγαθὸν δ' ἡ μωρία. *Mala est bujus vitae sapientia, bona autem stultitia.*

Pag. 78. lin. 33. post gessisse. Martyrum nomina data fuisse infantibus discimus ex Theodoreto Serm. 9. pag. 122. Chrysosthomus Homil. 12. eos reprehendit, qui, sprera consuetudine imponendi nomina sanctorum virorum, alia dant ex augurio longioris vitae. De Cadualla Saxonum rege, saeculo septimo, vid. Fabrett. Inscr. pag. 735.

Percipiensque alacer redivivae praemia vitae,
Barbaricam rabiem, nomen & inde suum.
Conversus convertit ovans, Petrumque vocari,
Sergius Antistes jussit & ipse pater.

Pag. 79. lin. 2. post tempore. Adde Jo. Baptist. Casalium de Veterib. sacr. Christian. Ritib. part. 2. cap. 4. pag. 45. Fuerunt & aliae caussae Christianis mutandi nomina, ut vita monastica, honores Ecclesiastici, quarum aliae aliis temporibus fuerunt inventae & probatae. Sed eas in praesenti mittimus.

Pag. 82. lin. 8. post videtur. Non me latet, a Livia recusatum fuisse nominis hujus honorem, ea tamen recusatio prohibere non potuit, quominus nonnulli eum darent.

Pag. 88. lin. penult. post puto. Germanorum Symbola nuptialia non longe abeunt ab iis, quae Romani probarunt. Tacitus de Morib. German. cap. 18. *Ipsis incipientis matrimonii auspiciis admonetur sponsa, venire se laborum, periculorumque sociam, idem in pace, idem*

idem in periculo passuram, ausuramque. Hoc juncti boves, hoc paratus equus, hoc data arma denunciant.

Pag. 93. lin. 14. post Gajus. Operator Titius id est.

Pag. 120. lin. 25. post cap. 2. Dixi plura de hoc genere in Trebellio cap. 3. pag. 181.

Pag. 124. lin. 6. post conditum. Haud longo temporis intervallo.

Pag. 126. lin. 17. post Francis. Sed & praeter illas monetas, quas dixi, fuit & Narbonensis moneta tempore Sidonii Apollinaris. Inspice carmen ejus 33. v. 6.

Pag. 132. lin. 25. post Ex Trierarchis. Dicitur enim Extrierarchus, ut Exquaestor, qui Trierarchatu & Quaestura est functus.

Pag. 137. lin. penult. post Panegyr. 26. Secuti id exemplum sunt etiam privati homines. vid. Plinius lib. 1. ep. 8. lib. 7. ep. 18. Adde l. 117. ff. de leg. 1. & Gruter. MXXVIII. 5.

Pag. 138. lin. penult. post labores. Plenius Pomponius Mela lib. 1. cap. 5. *Addit fama nominis fabulam, Herculem ipsum junctos olim perpetuo jugo diremisse colles, atque ita exclusum antea mole montium Oceanum, ad quae nunc inundat, admissum.* Adde Plinium lib. 3. cap. 1. Herculis aggerem ad sinum Bajanum exponit Pighius in Herc. Prodic. pag. 373. ex Strabone. In portibus passim consecratus stetit Hercules, quorum plerique magnis impensis, & magnis laboribus facti & conservati fuerunt. Montfaucon. Antiquit. expliq. Tom. I. chap. 24. pl. a la 22. pag. ex Boissardo exhibet Herculem, cancrosque Marinos sive paguros ad pedes ejus. Notum est, paguros insigne fuisse locorum maritimorum. Nota etiam loca ad maria ex Geographis, quae ab Hercule nomina ferebant. Arrianus ad Epictet. lib 3. cap. 26. pag. 451. Ο δ' Ηρακλῆς ἁπάσης γῆς καὶ θαλαττης ἄρχων καὶ ἡγεμὼν ἦν. *Hercules autem totius terrae & maris Princeps & Imperator erat.*

Pag. 145. lin 35. post ipsa. mox.

Pag. 146. lin 22. post movetur. Est & in iis nummis Juppiter Salutaris; de quo hoc Trebellii notandum in Gallienis duobus cap. 5. *Nam cum tonitrua sub terra audirentur, atque ejus hiatu motuque oppida per imperium Romanum conciderent, atque ab aquis haurirentur, jussu Sibyllae sacrum factum Jovi Salutari.*

Pag. 153 lin. 7. post Stoke. Inleidinge blad3. 4.

Pag. 162. lin. 19. post cultores. Herculis Magusani.

Pag. 165. lin. 11. *Heim, hem* (quae est pars nominis *Mabusenheim*)

heim) exponendum restat. Illud vocabuli sedem, domum & lucum significat. Est ab *hagen*, quod locum septum interpretere, unde & *hain* lucus. *Mahusenheim* vel *Mahusenhain* locus aut lucus est, Magusano Deo consecratus. Atque ita in eodem Bonorum Trajectensis Ecclesiae Catalogo *Marithaine* erit locus, lucus vel aedes Mariae sacra. Dixerunt etiam vetustiores *hus* pro templo. Eccard. in Vetustor. Monumentor. quatern. *Her leida ima in thas Godes hus*. Quod Latine vertitur, *ducebat ipsum in Ecclesiam.*

Pag. 166. lin. 7. post mihi. Videri.

Ibid. lin. 11. post condemnatis. Qui in metalla condemnati dicebantur.

Ibid. lin. ult. post Tiburtini. His adde, quae de lapidicinis Tiburtinis narrat Pighius in Herc. Prodic. pag. 392. Vitruvius lib. 2. cap. 7. lapidicinas recenset Tiburtinas, Amiterninas, alias. Iis adjunge Isidorum Orig. lib. 19. cap. 11. qui Plinium, ut solet, exscribit, quem vide lib. 36. cap. 22.

Pag. 167. lin. 14. post lapidibus. Exscribendis.

Pag. 168. lin. post Antunnacum. Prope Monasterium S. Antonii, quod corrupto vocabulo Tonnusstein appellatur.

Pag. 170. lin. post conspicis. Neglexit eam Q. litterae formam Typographus, quae expressa quodammodo est in Dissertatione mea de Brittenburgo pag. 102. ubi vide: proxime ea accedit ad formam litterae G.

Ibid. lin. 17. post primae Felicis. Primae Minerviae Felicis.

Pag. 178. lin. 9. 10. post nummis. Aliisque antiquis.

Pag. 183. col. 1. lin. 15. post Rhaetici. Duces limitaneos per Orientem Notitia Imperii enumerat XIII. per Occidentem XII. In quibus nullus Dux Transrhenani limitis, quod is limes eo tempore, id est, regnante Theodosio secundo, a barbaris occupatus tenebatur.

Pag 184. col 1. in fin. & col. 2. init. post finxerunt. Quae hoc loco disputavi, nec non infra ad cap. 6. ut demonstrarem, Postumo Patri Filium Junium non fuisse, ea ipse redarguo, cum maxime adductus ad id potissimum auctoritate Joannis Smetii, qui in Antiquitat. Neomagensib. pag. 189. praeter M. Cass. Lat. Postumum, quae Patris nomina sunt, recenset etiam C. Jun. Cass. Postumum. Quae cum discrepent a Patris nominibus, Filii nomina sint oportet. Major autem Smetio fides, non tantum, quod rei nummariae scientissimus fuit, sed & quod nummos, quos habuit, non

a circitoribus peregrinis emerat, quod fallax hominum genus est, sed a civibus suis, aut hominibus mercenariis, qui ipsi nummos invenerant, ignari artis monetam adulterandi, acceperat.

Pag. 186. col. 8. post significari. Non Aemilianum.

Pag. 189. col. 1. lin. 9. rescribe hoc modo. Varietas ea est orta ex proprio nomine illius actuarii, quod fuit Attitianus, vel Attilianus, teste Victore. Quare scriptum fuisse ab Eutropio reor: *Attitiano*, vel *Attiliano actuario quodam.*

Pag. 190. col. 1. lin. 12. post Neomag. 167. T. Fl. Victorinus Centurio Legionis trigesimae Ulpiae Victricis exstat in cippo, quod exscripsit Gelenius in Admirandis Coloniae lib. 2. Syntagm. 10. pag. 336. & Christophor. Brouwer. in Annal. Trevirens. pag. 177. Venus, Victorin. in Antiquit. Gall. Maffei, pag. 57.

Pag. 191. col. 2. lin. 3. post Tom. I. pag. 649. Vidit nummum Joannes Pierius Valerianus, cujus meminit in Antiquitatib. Bellunensib. Serm. 4. pag. 113. in quo scriptum erat DIVVS AVGVSTVS VEITORIANVS, creditque, Veitorianum exaratum fuisse pro Victoriano. Verum cum plerique nummi, aetate Gallieni & Tyrannorum cusi, obscuris sint litteris scripti, earum errore Pierium deceptum fuisse puto, nummumque Victorini esse.

Ibid. col. 2. lin. 25. post optimus erit. Quemadmodum ipse ceciderim vineta mea vide in Addendis ad pag. 183.

Pag. 194. col. 2. lin. 7. post Phonanus. (Vultus Imperatoris Joviani est.)

Pag. 195. col. 1. lin. ult. post Varro. de ling. lat. lib. 5. pag. 53.

Pag. 198. col. 2. lin. 17. post TETRICVS SC. P. PIVES. TETRICVS & C. PIVES TETRICVS sunt apud Smetium in Antiquit. Neomag. pag. 189.

Pag. 201. col. 1. lin, 15. post omnes. In Gallia inde.

Pag. 202. col. 1. lin. 38. post eam. Ante triumphum.

Ibid. col. 2. lin. 2. post consulatum. Agrippinensem.

Pag. 207. col. 1. lin. antepenult. post tutela, vid. Cicer. pro Murena cap. 12. dele autem haec (ut est...)

Pag. 209. post dixi. pag. 179. & 193.

Pag. 210. col. 1. lin. 3. post supra. pag. 707.

Ibid. lin. ult. post meo. Imperium Tyrannorum Galliae duravit annos XVI. Ii anni ita sunt colligendi. Tyrannorum primus, qui a Gallieno defecerunt, fuit Postumus, teste Aurelio Victore cap. 33. Defecit ergo, Tusco & Basso consulibus, quod iis consulibus Ingenuus

nuus Tyrannus defecit. Trebellius de xxx. Tyrann. cap. 8. Iisdemque Consulibus Imperator Valerianus, pater Gallieni, a Persis est captus. vid. Cassiodor. fuitque is annus Christi CCLVIII. Eusebio teste. In triumphum ductus fuit Tetricus, Aureliano & Capitolino Consulibus, anno CCLXXIIII. testante eodem, quo tempore defecit Tyrannorum in Gallia imperium. Ex illis sedecim annis Tyrannidis decem sunt tribuendi Postumo, cujus trib. pot. x. testantur nummi: tres Tetrico, cujus Trib. pot. III. declarant nummi. Tres anni reliqui, atque inter utrosque, Postumum & Tetricum, intermedii debentur Aeliano Mario & Victorino, ita tamen, ut unus inde cum dimidio cedat Victorino, ex Eutropio, quem vide. Incidit ergo Tyrannis Victorini in imperium Claudii, qui regnare coepit anno CCLXVIIII. Quare non opus est ausu Bandurii, qui in his verbis Eutropii cap. 33. ubi de Claudio: *His diebus Victorinus regnum cepit:* pro *Victorino* substituit *Censorinum.*

Pag. 218. lin. 10. post pag. 389. Gellius Noct. Attic. lib. 3. cap. 16.

Pag 219. lin. ult. post SVIS. Libertus Quigonisecundus, mixto ex duobus Patroni nominibus vocabulo, quorum alterum Quigonus fuit, alterum Secundus, alterum Barbarum, alterum Romanum, est apud Maffej. Antiquit. Gall. pag. 63.

Pag. 220. lin. 2. post non capiebant. Nomina istiusmodi *δυσγράμματα* appellat Aristides in Oratione Aegyptiaca pag. 639.

Pag. 222. lin. antepen. Verjugodomnus. In carmine septentrionali apud Ten Katen, in de Aenleidinge tot het verheven deel der Nederduitsche sprake / 2. Deel bladz. 7. *biuggum* Latine interpretantur pugnavimus.

Hiuggum vier med biuive:
pugnavimus gladiis.

Pag. 223. post terminabantur. Declinatione Latina, quam notat Hieronymus in Commentariis ad Philemonis epistolam.

Ibid lin. 29. post nibus. Apud Fr. Mieris in Charter Boeck 1. Deel pag. 18. Belgica haec hominum vetustiorum nomina reperies, Edo, Hosso, Tiebo, Hano, Betto, Tatto. Nomina Gallorum ex Histoire de l'Academie Royale Tom. I. pag. 209.


V SENICCO SENIX
SONIS F SIBI ⊖ ET SVN.
DVCCAE FVSCI FILIAE
VXSORI ORGOANNO
ET ANDOXBONNI
FILIS

Pag. 231. lin. 18. post erutus. En lapidem pictum a Carolo Patino in Relations Historiques & curieuses pag. 157.

Edo hic picturam lapidis, quod ea neglecta est scriptoribus nostratibus. Egregie illa illustrat Monumentum Dodenwerdense. Idem discubitus, idem discumbentis habitus. Eadem hujus dignitas. Ille Veteranus ex ala Afrorum, hic ex numero Alae primae Thracum, sive Trachum, quae scriptura nonnullis placuit. vid. l. 3. C. Th. de Senatoribus, & l. un. C. ejusd. de Lusoriis Danubii. Dextra elata, (quod laetantis est & propinantis) poculum praefert. Cave ex ala Thracum Valentem Bititralem vinosum arguas, atque ex iis, quae de Thracum moribus Poetae, & Threicia amystide Horat. lib. 1. Od. 36. v. 14. Nam non omnes, qui in ea ala meruerunt, Thraces fuerunt, vide quae disputavi cap. 4. Barba hispida ostendit, cum posteriorem fuisse Trajano Jucgumattio, & Imperatore Trajano, vid. infra cap. 9. Adstant pueri duo, ille major in tunica succinctus, hic minor & cirratus in tunica recincta; ille ad pedes, hic ad caput lecti. Id quod in memoriam revocat hoc Suetonii in Calig cap. 26. *Nihilo reverentior, leniorve erga Senatum. Quosdam summis honoribus functos ad essedum sibi occurrere togatos per aliquot passuum millia, & caenanti, modo ad pluteum, modo ad pedes stare succinctos linteo passus.* Destrictum, ne iis aliquid ex humero laevo (ut atriensi, de quo Phaedrus lib. 2. fab. 5.

Tunica ab humeris linteo Pelusio,
Erat districta.)

an tunicae lacinia in eum humerum rejecta sit, alii judicent. Dependere inde aliquid, quod uterque sinistra retinet, omnes cernunt. Puer major Situlam aut capsulam manu dextra portat, in qua ferta, liba, atque dulcia, mensae secundae apta. Meminit Gellius lib. 10. cap. 15. ubi de Flamine Diali, *Neque in eo lecto cubare*


D· M· VALENTI
BITITRALI
VET· EX· N· ALÆI
ACHVM· H· F· C
Bellaard. delin

re alium fas est, neque apud ejus lecti fulcrum. Capsulam esse cum strue atque lecto oportet. Qui locus perperam distinctus reperitur in vulgatis editionibus. Secundam mensam designant poma, quae sibi visus est in lapide observasse Patinus. Idem vas unguentarium esse putat, quod puer cirratus manu gestat, mihi aut aquae manibus, aut vino fundendo fuisse videtur. Eo habitu quo hic puer, Clinae, solitae Regi ministrare potum, statuas Alexandriae positas scribit Athenaeus lib. 10. cap. 7. pag. 425. amicta illa erat tunica guttumque manu tenebat, quod ῥυτὸν nominat. Casaubonus ad lib. 11. cap. 2. id poculum capax fuisse scribit, & Heroibus tribuit. Alabastrum, quo nomine vas unguentarium appellari creditur Viris Doctis a Matthaeo cap. 26. v. 7. angustius fuit, unde parvus onyx dictus Horatio lib. 4. od. 12. v. 17. Lautius vixisse Bititralem Veteranum ex velo aestimes, quod ad tergum lecti conspicitur, sive illud sit ex eorum velorum genere, quae foribus tricliniorum aut parietibus praetendebantur, de quibus Viri Docti ad Sueton. in Claud. 10. aut ex quibus Canopaea fiebant. Videre est simile velum in marmoreo triclinio Patavii apud Laur. Pignorium de Servis pag. 478. Fallitur Patinus, quatuor novissimas litteras versus ultimi interpretatus *Monumentum hoc fieri curavit.* Nec M. littera disjungenda fuit, interjecto puncto, quod abest a lapide, ut ex Cl. Oudendorpio cognovi, a truncata voce TRACHV. H. F. C. ergo significabit, ut innumeris in Inscriptionibus, *Heres fieri curavit.* Valentius vel Valens in lapide illo nomen Romanum est, Bititralus vel Bititralis barbarum, quod declarat, origine barbara fuisse hominem. Forte illud a Biti est, vel Bitti, qui Luceni filius fuit Avernorum Regis, solitus opes in vulgus spargere. Varie nomen scribitur, ut multa δυσγράμματα Gallorum. Bituitum nunc vulgo vocari videas, dissentientibus libris antiquis. Tu lege, quae Viri Docti ad Valer. Maxim. lib. 9. cap. 6. ex. 3. Strabonem lib. 4. pag. 291. Florum lib. 3. cap. 2. Athenaeum lib. 4. cap. 13. pag. 152. Eutropium lib. 4. cap. 22. Begerus nomen illud etiam in nummis sibi invenisse videtur, in quorum altero BITOYKOC BACI. in altero vero BITOYIOC BACIΛEOC, id quod non persuadet, tametsi id persuasum video Viro Cl. Sigeb. Havercamp. in Notis ad Orosium lib. 5. cap. 14.

Pag. 236. lin. 32. post *choris.* Eadem species viri, manibus decussatim compositis, otiantis, est in nummo, quem inter Contorniatos exhibet Sigeb. Havercamp. pag. 91. Tab. VIII. n. 4. in quo-

is sedens equum ad se adductum contemplatur. Cui gemina forma est nummi 4. Tab. VII. Quod autem Cuperus de Barbarorum lugentium manibus dicit, id a Sponio accepit in Miscellan. Erud. Antiq. Statuas hic tres ob oculos ponit, diverso habitu, interque eas unam cultu hominis Armenii, qui manum manui impositam praefert. Captivum cur dixerit Sponius, &, qui eum sequitur, Cuperus, caussam nullam perspicio. Hoc certum, qui in Columna Trajana, aliisque antiquis monumentis captivi ducuntur, alia manuum forma esse, post tergum enim eae revinctae sunt, quam & a Poetis atque Historicis discimus.

Pag. 238. lin. 4. post Romanum est. Eandem paene Herculis quiescentis imaginem pingit Lucianus in Symposio. Ἐι δέ κάμοιμι χαμαὶ καὶ τὸν τρίβωνα ὑποβαλλόμενος κείσομαι ἐπ' ἀγκῶνος οἷον τὸν Ηρακλέα γράφουσι. *Quod si defatigatus fuero, tum humi substrato pallio, cubito innixus jacebo, qualem Herculem pingunt.*

Pag. 246. lin. 14. post DCCCXII. 6. Nais Servilia fuit amica avi Neronis. Sueton. in Neron. cap. 3.

Ibid. lin. ult. post 198. Ciampin. Vetust. Monum. Tom. I. pag. 30. Adde porro Pierium Valerian. Hieroglyph. lib. 1. cap. 4. nec non lib. 2. cap. 27.

Pag. 247. lin. 26. post Januarum. Syracusis in valvis templi Minervae conspectum Gorgonis os crinitum anguium. Cic. Verr. lib. 4. cap. 55.

Pag. 253. lin. 1. post stumi. Ovidius ex Ponto lib. 4. el. 3. v. 107.

Squallidus immissos fracta sub arundine crines
Rhenus, & infectas sanguine potet aquas.

Claudianus de Laudib. Stil. lib. 3. v. 305.

Et si quis defensus arundine Rheni
Vastus aper nimio dentes curvaverat aevo.


Pag. 265. lin. 3. *habuerint.* Quanquam autem gentilium sepulchrorum religionem tuiti fuerunt Christiani, dubito tamen, eos, quibus licentia destruendi templa atque aras ex Constitutionibus Imperatorum est data, a locis religiosis semper abstinuisse. De illa licentia vid. l. 16. & 19. C. Th. de Paganis. In hac ita edixit Imperator Honorius, qui Occidentis imperium tenuit. *Aedificia ipsa tem-*

templorum, quae in civitatibus vel oppidis, vel extra oppida sunt, ad usum publicum vindicentur. Arae locis omnibus destruantur. Omniaque templa possessionibus nostris ad usus commodos transferantur. Adde Libanium in Oratione ὑπὲρ τῶν ἱερῶν, nec non l. 8. C. Th. de Jure Fisci. Imo vero jus loca religiosa, sepulchra gentilium dico, diruendi negatum ab Imperatoribus, Episcopi & Sacerdotes Christianorum tribuisse videntur. Certe Gregorius Nyssenus in epistola Canonica ad S. Letorium canon 7. pag. 163. venia dignum existimavit eum, qui lapides a sepulchro sustulerat.

Pag. 265. lin. penult. post destinato. Horatius lib. 1. od. 15. saxum novum requirit.

Oppida publico
Sumtu jubentes, & Deorum
Templa novo decorare saxo.

Pag. 267. lin. 11. post lib. 3. cap. 8. Socrates in Histor. Eccles. lib. 3. cap. 2. & Sozom. lib. 5. cap. 7. scribunt, Georgium Episcopum Alexandriae Ecclesiam fuisse molitum eo in loco, in quo Mithrae templum steterat. Adde Sozomen. lib. 7. cap. 15.



INDEX.

INDEX

SCRIPTORUM ET MONUMENTORUM VETERUM LAUDATORUM AUT EMENDATORUM.

INDEX RERUM.

A.

Atii,

B.

Bata-

C.

Ju-

Clau-

E.

F.

Fir-

G.

Usur-

H.

Hepte


M.

Pere-

Ro-

S.

Span-



ERRA-

ERRATA.

Pag. 5. lin. 31. cap. 80. *adde* Idem de Augusto, eum.
— 14. lin. 30. uxorem *corrige* matrem.
— 18. lin. 27. adnepotem. *l.* abnepotem.
— 19. lin. 18. secundo. *l.* Secundo.
— 23. lin. 1. Fabretti aliorumque. *haec delenda.*
— 24. lin. 13. & 14. spuria filia. *l.* spuriam filiam.
— 26. lin. 3. percipisse. *l.* percepisse.
Ibid. lin. 16. Megumattius. *l.* Jucgumattius.
Ibid. lin. 22. Menus. *l.* Menas.
— 32. lin. 29. queritur. *l.* quaeritur.
— 33. lin. 22. Dion. Cassius. *l.* Dion Cassius.
— 35. lin. 11. libertini. *l.* Latini.
— 39. lin. 32. Praetorem dicit. *l.* Praetorem. Dicit.
Ibid. lin. 33. autem *dele.*
Ibid. lin. 36. si autem usque ad servos. *litteris cursivis scribenda.*
Ibid. lin. 39. legitimis. *l.* Latinis Junianis.
— 44. lin. 24. Lucius autem. *l.* Lucius item.
— 46. lin. 19. ordinarium. *l.* Ordinarium aut primum ordinarium.
Ibid. lin. 22. *post* caput *adde.* Nunc tamen propior sum neganti.
— 49. lin. 13. spectatur. *l.* spectetur.
Ibid. lin. 22. collegiorum desiderantur. *l.* collegiorum. Desiderantur.
Ibid. lin. 24. quivis. *l.* quivis ea.
Ibid. lin. 25. centonarionem. *l.* centonariorum.
— 50. lin. 3. publicos. *l.* publicis.
Ibid. lin. 13. peculiares, qui. *l.* peculiares qui.
Ibid. lin. 14. peculiaris locus, *l.* peculiares loculi,
— 51. lin. 20. Cuno. *l.* Cano.
— 53. lin. 12. ostendam *l.* ostendamus.
Ibid. lin. 25. AGATHVXE. *l.* AGATHTVXE.
— 54. lin. 13. Nominus. *l.* Nominis.
— 57. lin. 23. Posıde. *dele.*
— 58. lin. 23. posint *l.* possint.
— 59. lin. 24. Fannia. *l.* Funnia.
Ibid. lin. 26. adsulsa *l.* adsusa.
Ibid. lin. 34. dominatum. *l.* dominatum.
— 60. lin. 8. inducit. *l.* impulit.
Ibid. lin. 11. alia. *l.* ea.
Ibid. lin. 21. domini. *l.* domui.
Pag. 62. lin. 13. Preneſtina *l.* Praeneſtina.
Ibid. lin. 18. Herennaeae. *l.* Herenniae.
Ibid. lin. 3. Tiburtium ac Junonem. *l.* Tiburtium ad Junonem.
Ibid. lin. 5. Vapulatis. *l.* Vapulabis.
Ibid. lin. 11. re *l.* te.
Ibid. lin. 21. dixit *l.* dixit,
— 63. lin. 1. 2. Servus ne quis in aedibus alius Domitiani in villa aut familia ejus natum. *l.* Servus. Nequis in aedibus Domitiani extra Romam, in villa aut familia ejus extera natum.
Ibid. lin. 16. connectendae. *adde* mutato casu pro vernae.
Ibid. lin. 34. Tumyrus. *l.* Thamyrus.
— 64. lin. 6. qua vano *l.* quae vario.
Ibid. lin. 15. addiderim *l.* addideram.
Ibid. lin. 28. reponenda. *l.* reponendam.
Ibid. lin. 34. tui. *l.* tur.
— 65. appellunt *l.* appellant,
— 66. lin. 16. *Curii Ladae. l.* Curii Ludae.
— 67. lin. 13. dixerim. *l.* dixi.
— 68. lin. 9. inter. *l.* praeter.
— 68. lin. 26. PROPITIAE. *l.* PROPITIAE.
— 71. lin. 16. lapidibus T. E. *l.* lapidibus E
— 77. lin. 8. nonime. *l.* nomine.
Ibid. lin. 12. contumeliosos. *l.* e contumeliosos.
Ibid. lin. 23. quo praecipue. *l.* quo nomine praecipue.
Ibid. lin. 30. quem *l.* quam.
— 80. lin. 26. videbar *l.* videbor.
— 83. lin. 30. inducas *l.* induas.
— 92. lin. 15. imagine. *l.* imagini.
Ibid. lin. 31. forte *l.* forte.
— 94. lin. 9. narrantes. *l.* narrantes res.
— 96. lin. 1. proenomine. *l.* praenomine.
Ibid. lin. 2. Rutilus. *l.* Rutilas.
Ibid. lin. 13. Rodocella. *l.* Rodicella.
— 97. lin. 18. ἀιύσατα *l.* ἀτύσατα.
Ibid. lin. 25. ostendis *l.* offendis.
Ibid. lin. ult. de Livia Augusti & Cornelia, quibus monumenta. *l.* Liviae Augusti, & Corneliae monumenta.
— 98. lin. 4. aliis. *l.* alius.
— 99. lin. 10. omia. *l.* omnia.
Ibid. lin. 32. multus. *l.* multis.
— 102. lin. 10. servilia. *l.* Servilia.
— 104. lin. 19. Mammaeam. *l.* Domnam.
— 106. lin. 7. Julius. *l.* Julias.

Ibid. lin. 25. meat. *l.* micat.
Pag. 109. lin. 1. Augustum. *l.* Augustas.
Ibid. lin. 4. haburunt. *l.* habuerunt.
Ibid. lin. 29. Annall. *l.* Annal.
— 113. lin. 12. numerus, siquidem. *l.* numerus est. Siquidem.
Ibid. lin. 22. gentes, & nos cum maxime colimus. *l.* gentes cum maxime colunt.
Ibid. lin. 36. probavit. Litteratos. *l.* probavit. Monumenta litteratos.
— 119. lin. 19. plerique id. *l.* plerique eum.
— 126. lin. 33. ἐπίγειμένην, *l.* ἐπικειμένην.
— 129. lin. 18. γάρ δε ου. *l.* γάρ ἐυ.
Ibid. lin. 21. περ. Παντα ἐνατέρα Ἰσάβετο. *l.* περὶ πάντα ἑκατέρα ἰσάβετο.
Ibid. lin. 23. memorat. *l.* meruerat.
— 130. lin. 22. ὀξὺν καὶ δυσγεφύρωτον. *l.* ὀξύν καὶ δυσγεφύρωτον.
— 135. lin. 23. Mahufenherni quid. Herni & Harn. *l.* *Mabusenbeim quid. Heim & Hain.*
— 136. lin. 26. Dexra. *l.* Dextra.
— 137. lin. 11. lacus, Ilalae. *l.* lacus, accolas.
Ibid. lin. 26. ara. *l.* aram.
Ibid. lin. 28. cap. *l.* cap. 14.
Ibid. lin. 40. Biver. *l.* Biac.
— 138. lin. 15. exituque clauso. *l.* exitu clauso.
Ibid. lin. penult. Hercules. *l.* Herculis.
— 139. lin. 2. utiitas. *l.* utilitas.
Ibid. lin. 15. videbis. *l.* putabis te.
Ibid. lin. ead. villac. *l.* villaeque.
Ibid. lin. 26. nec. *l.* qui nec.
Ibid. lin. ead. & qui. *l.* atque.
Ibid. lin. 28. opem, nulla. *l.* opem. Nulla.
Ibid. lin. 30. repetit. *l.* requirit.
Ibid. lin. ead. Laricum. *l.* Lavicum.
Ibid. lin. 33. emissorios. *l.* emissarios.
— 140. lin. 5. monischurom. *l.* monischuron.
— 141. lin. 11. C & R. *l.* CG. & H.
Ibid. lin. 25. omnes artes. *l.* omnesque.
— 143. lin. 14. 15. simul. *l.* semper.
Ibid. lin. 20. bellicum starepunt, nomina. *l.* bellicum strepunt nomina.
— 145. lin. 1. Doesburgensem. *l.* Doesburgum.
Ibid. lin. 2. Tranrhenani. *l.* Transrhenani.
— 145. lin. 35. ipsa. *l.* ipsa mox.
— 153. lin. 7. Stoke lucum. *l.* Stoke in de Inleidinge blabz. 4. lucum.
Pag. 157. lin. 33. vero. *l.* raro.
— 158. lin. 23. VIHTIRMATIS prior syllaba hujus vocis nexu litterarum implicita fuit, quem exhibet Cuper. in Erratis Harpocratis.
Ibid. lin. ead. & 34. Latinorum diphthongo. *l.* Latinorum e diphthongo.
— 161. lin. 4. libris. *l.* lapide & libris.
Ibid. lin. 6. credimus, nescio. *l.* credimus, & libris.
Ibid. lin. 7. diffusum, brachio. *l.* diffusum. Brachio.
Ibid. lin. 8. laevo truncum. *l.* laeva manu truncum.
Ibid. lin. 18. bentur, sed. *l.* bentur. Sed.
Ibid. lin. 30. capiti Deae. *l.* capiti, Deae.
Ibid. lin. 31. qui ni. *l.* qui, ni.
— 162. lin. 19. cultores vultu. *l.* cultores Herculis Magusani,
Ibid. lin. penult. obstina. *l.* obstipa.
— 165. lin. 13. Oginius. *l.* Ogmius.
Ibid. lin. 21. Oginius. *l.* Ogmius.
Ibid. lin. 24. Oginius. *l.* Ogmius.
Ibid. lin. 29. Oginius. *l.* Ogmius.
— 166. lin. 7. mihi Herculem. *l.* mihi videri Herculem.
— 167. lin. 14. lapidibus quos. *l.* lapidibus exscribendis quos.
Ibid. lin. penult. ad Bonnam. *l.* supra Bonnam.
— 168. lin. 4. inverti locum. *l.* inventi lapidis locum.
Ibid. lin. 26. quanquam notam adjecit. *haec delenda.*
— 169. lin. 13. confluentes & Antunnacum. *l.* Confluentes & Antunnacum.
Ibid. lin. 14. Deo, in quibus eos primum. *l.* Deo. In iis illas primum.
Ibid. lin. 15. neglecta, lapides illi nunc. *l.* neglecta, eae nunc.
— 169. lin. 16. caeteros. *l.* caeteros lapides.
Ibid. lin. ult. discrepabant) q. in *l.* discrepabant) in.
— 170. lin. 17. primae Felicis. *l.* primae Minerviae felicis.
Ibid. lin. 28. praepositus. *l.* Praepositus.
— 170. lin. ult. qui erutus. *l.* quia erutus.
— 171. lin. antepenult. ὑποταρταρυον. *l.* ὑποταρταρίων.
— 172. lin. 28. quam. *l.* Siquidem eam.
— 173. n. 2. id est vernaculam. *dele.*
Ibid. lin. 17. juris. *l.* suam.

Pag.

E R R A T A.

Pag. 174. lin. 6. Autumnacum. *l.* Antunnacum.
Ibid. lin. 11. teste. *l.* duce.
—— 178. lin. 10. nummis antiquis. *l.* nummis aliisque monumentis antiquis.
—— 181. col. 2. lin. 31. vide. *dele*.
—— 182. lin. 11. militis. *l.* limites.
—— Ibid. col. 2. lin. 16. militis. *l.* limitis.
—— 185. col. 2. lin. 6. aevi. *l.* aevum.
—— 186. col. 1. lin. 8. significari illud. *l.* significari non Aemilianum illud.
Ibid. col. 2. lin. 11. dederat. *l.* dedit.
—— 189 col. 1. lin. 10. Varietas haec. *Corrige & rescribe ita.* Varietas haec orta ex proprio nomine ejus Actuarii, quod fuit Attitianus, vel Attilianus, teste Victore. Quare scriptum fuisse ab Eutropio reor *Attitiano* vel *Attiliano Actuario quodam*.
—— 189. col. 1. lin. 37. dicemus. *l.* dicamus.
—— 191. lin. 7. JUNIORE. *l.* JUNIORE vi.
—— 194. col. 2. lin. 10. sed inter contorniatos. *dele*.
—— 195. col. 1. lin. 10. Quacirca. *l.* Quocirca.
Ibid. col 1. lin. ult. Varro. *l.* Varro de Ling. Lat. lib. 5. pag. 53.
Ibid. col. 2. lin. 8. arbitros. *l.* arbitror.
Ibid. col. 2. lin. 9. Antii. *l.* Actii.
—— 197. col. 2. lin. 5. Olympiac. *l.* Olympiadi.
Ibid. col. 1. lin. 21. non Agrippinensis. *l.* non tantum Agrippinensis.
—— 197. col. 2. lin. 23 extremum. *l.* ex eorum.
—— 199. col. 1. lin. 1. ullam esset. *l.* ullam esse.
Ibid. col. 1. lin. 18. in Claud. Trebell. Poll. *l.* in Claud.
Ibid. col. 2. lin. 18. tertium *dele*.
—— 201. col. 1. lin. 15. omnes inde. *l.* omnes in Gallia inde.
Ibid. col. 2. lin. 19 C. Victor in regione XI. *l.* P. Victor in regione IX.
Ibid. col. 2. lin. 20. Minervum. *l.* Minervium.
—— 202. col. 1. lin. 38. post eam Senator. *l.* post eam ante triumphum Senator.
Ibid. col. 2. lin. 2. Consulatum quem. *l.* Consulatum Agrippinensem.
—— 203. col. 1. lin. ult. cap.) filium. *l.* cap. 3.) filium.
—— 204. col. 1. lin. 22. exprinam. *l.* exprimam.

Pag. 205. col. 1. lin. 5. *τόπον. l. τυπον.*
—— 206. col. 1. lin. 5. quos. *l.* omnes.
Ibid. col. 1. lin. 15. initio numerum. *l.* inito numero.
—— 207. col. 1. lin. 6. errarem. *l.* errorem.
Ibid. col. 1. lin. antepen. (ut est..) vid. Cicer. pro Muren. cap. 12.
Ibid. col. 2. lin. 34. Romae. Tanaquilem. *l.* Romae, Tanaquilem.
—— 209. col. 1. lin. 28. removet verbis. *l.* removebis.
Ibid. col. 2. lin. 33. dixi.... *l.* si dixi pag. 179. & 193. si.
—— 210. col. 1. lin. 3. supra.... fuit. *l.* supra pag. 207. fuit.
Ibid. col. 1. lin. 5. Senatum, &. *l.* Senatum. Et.
Ibid. col. 1. lin. 25. Das. *l.* Do.
Ibid. col. 2. lin. 9. de. *l.* De.
Ibid. col. 2. lin. 10. non nihil dicendum. *l.* non nihil adhuc dicendum.
Ibid. col. 2. lin. 33. ut alia mittam. *l.* ut mittam.
—— 214. lin. 1. refero. *l.* refeci.
Ibid. lin. 2. & prioris lapidis monumenti. *l.* & priores monumenti.
Ibid. lin. 7. Veterum. *l.* Caeterum.
Ibid. lin. 21. nunc quasi. *l.* nunc fit, quasi.
Ibid. lin. ead. impositae. *l.* imposito.
Ibid. lin. 24. 1. litteram. *l.* I litteram.
Ibid. lin. 30. Veteram. *l.* Veterani.
—— 215 lin. 14. versatum, &. *l.* versatum. Et.
Ibid. lin. 24. SIC. *l. sic.*
Ibid. lin. 31. NN. *l.* *M*
—— 216. lin. 7. V. *l.* V
Ibid. lin. 33. uno. *l.* aliquo.
—— 221. lin. 11. est, eadem. *l.* est. Eadem.
—— 222. lin. 11. Nerius. *l.* Nervius.
—— 224. lin. 30. Filius Flaus. *l.* Filius. Flaus.
—— 225. lin. 7. spiculi. *l.* Spiculi.
Ibid. lin. 8. *post* n. 74. *l.* & supra pag. 217.
—— 226. lin. 15. arvatum. *l.* arva tum.
—— 227. lin. 14. POSVERVNT. *l.* POSVERINT.
Ibid. lin. 19. DECE F. Est. *l.* DECE F Decebali filius est.
—— 237. lin. 12. terris, quam quae. *l.* terris, quae.
—— 237. lin. 22. Officialium. *l.* Officiales.
Ibid. lin. 27. urbis. *l.* nobis.
Ibid. lin. 31. dictionibus. *l.* adulationibus.

E R R A T A.

Pag. 238. lin. 6. de Beyer. *l.* Justus de Beyer.
—— 240. lin. 8. [illegible]. *l.* [illegible].
—— 244. lin. 11. Nerus. *l.* Nereus.
Ibid. lin. 26. supremum. *l.* supremam.
—— 248. lin. 1. decimo exstruxit. *l.* decimo aut paullo post exstruxit.
Ibid. lin. 16. Terpander. *l.* Terpager.
—— 249. lin. 26. vitel. *l.* vitellus.
—— 251. lin. 14. Francine. *l.* Franciae.
—— 252. lin. 11. Deutrichem. *l.* Deutichem.
—— 254. lin. 14. accersitae. *l.* accensitae.
Ibid. lin. 25. Cinea. *l.* Cinca.
Ibid. lin. 26. Cinesala. *l.* Cincsala.
—— 55. lin. 4. Imperatore, quem. *l.* Imperatore (quem.
Ibid. lin. 8. suscepit, *l.* suscepisse)
—— 257. lin. 11. infesta. *l.* infesta.
—— 258. lin. 21. dedit. *l.* dedit in Batavia.
—— 259. lin. 12. via. *l.* viae.
—— 260. lin. 6. aggeres *dele.*
Ibid. lin. 13. ridebunt scio. *l.* ridebunt, scio.
Ibid. lin. 31. *κιλὰς.* *l.* *χιλὰς.*
—— 261. lin. 14. fellit. *l.* fefellit.
Ibid. lin. 24. Cineam. *l.* Cincam.
Ibid. lin. 25. Cinesalam. *l.* Cincsalam.
Ibid. lin. 31. fuerunt. *l.* fuerint.
Ibid. lin. 37. Germania in. *l.* Germania, atque in.
—— 263. lin. 1. Burgidalensis. *l.* Burdigalensis.
—— 264. lin. 27. erecti. *l.* eruti.
Ibid. lin. ead. tras. *l.* tras nominamus.
—— 265. manibus. *l.* Manibus: atque ita mox lin. 23.
Ibid. lin. 28. nisi. *l.* (nisi.
Ibid. lin. ead. insertus. *l.* insertus.)
—— 266. lin. 14. antiquissimus in. *l.* antiquissimus, in.
Ibid. lin. 15. mirabitur. *l.* semper mirabitur.
Ibid. lin. 23. eorum. *dele.*
—— 269. lin. 8. cippo. *l.* cippi.
—— 270. lin. 4. Contra Octavianum. *l.* Contra. Octavianum.
Ibid. lin. antepenult. Herodiadaeque. Paullo. *l.* Herodiadaeque. Tertii nomen.
—— 271. lin. penult. scribit. *l.* scribis.
—— 272. lin. 28. caetera. Videri. *l.* caetera videri.
—— 273. lin. 5. privatis. *l.* privatisque.
Ibid. lin. 8. praefers. *l.* profers.
Ibid. lin. 9. querebam. *l.* quaerebam.
—— 274. lin. 19. prospicimus. *l.* perspicimus.
Ibid. lin. 21. Asiae. *l.* Attiae.
—— 282. lin. 10. quod. *l.* quem.

Pag. 282. lin. 22. 183. *l.* 184.
—— 284. lin. 27. Destrictum, ne. *l.* Destrictumne.
—— 285. lin. 35. persuadet. *l.* persuadet mihi.
—— 286. lin. 13. *νιεν.* *l.* *ὅιεν.*
—— 288. col. 2. lin. 3. leg. *l.* LEG.
Ibid. col. 2. lin. 4. ΑΠΙΣΤΩ. *l.* ΑΠΙΣΤΩΝ.
—— 294. col. 1. lin. 38. Thransrhenanus. *l.* Transrhenanus.
—— 296. col. 1. lin. 26. legionum cohortium. *l.* legionum, cohortium.
Ibid. col. 1. lin. 41. Christiani tempore. *l.* Christiani, tempore.
Ibid. col. 2. lin. 1. aggeritus. *l.* aggeribus
—— 297. col. 1. lin. 32. anum. *l.* anus.
—— 298. col. 2. lin. 36. Tetrecus. *l.* Tetricus.
Ibid. col. 2. lin. 42. Brittannica. *l.* Britannica.
—— 299. col. 2. lin. 12. collectae, semper. *l.* collectae, non semper.
—— 300. col. 1. lin. 29. Decuriorum. *l.* Decurionum.
—— 302. col. 1. lin. 12. vasi. *l.* vasis.
Ibid. col. 2. lin. 32. diccbantur. *l.* dicebantur.
—— 303. col. 2. lin. 38. Gensalbertus. *l.* Gaiselbertus.
—— 305. col. 1. lin. 28. frumentaria copia. *l.* frumentariam copiam.
Ibid. col. 2. lin. 5. imponebant. *l.* supponebant.
Ibid. col. 2. lin. 8. adoptivos. *l.* Romanorum adoptivos.
—— 306. col. 1. lin. 26. en. *l.* an.
—— 307. col. 2. lin. 36. Jucgumatthii. *l.* Jucgumattii.
—— 310. col. 1. lin. 36. ancillae. *l.* ancilla.
—— 311. col. 2. lin. 3. sacrae. *l.* sacra.
—— 313. col. 2. lin. 33. Nertonarius. *l.* Nertomarius.
—— 316. col. 2. lin. 29. *ταρσεος.* *l.* *τάρσευς.*
—— 317. col. 1. lin. 23. servus. *l.* Servi.
Ibid. col. 2. lin. 25. *ποσουμος.* *l.* Ποσουμος.
Ibid. col. 2. *ποσουμιος.* *l.* Ποσουμιος.
—— 319. col. 1. lin. 18. *ibid.* *l.* *ibid.* & 256.
—— 324. col. 2. lin. 33. Privesius. *l.* Pivesius.
—— 325. col. 2. lin. 16. Imperatories. *l.* Imperatores.
—— 326. col. 1. lin. 14. Vabalatus. *l.* Vabalathus.
Ibid. col. 1. lin. 19. Valentiantianus. *l.* Valentinianus.
Ibid. col. 1. lin. 32. Vetorius. *l.* Veturius.
Ibid. col. 2. lin. 24. dominatus. *l.* domi natus.

